S. ROB. CARD. BELLARMINI S. I.

OPERA ORATORIA POSTUMA

1

S. ROBERTI CARD. BELLARMINI, S. I.

POLITIANI

ARCHIEPISCOPI CAPUANI ET ECCL. DOCTORIS

OPERA ORATORIA POSTUMA

ADIUNCTIS

DOCUMENTIS VARIIS AD GUBERNIUM ANIMARUM SPECTANTIBUS

AD FIDEM MANUSCRIPTORUM EDIDIT

INTRODUCTIONE GENERALI, COMMENTARIO MULTIPLICI, NOTIS

ILLUSTRAVIT

SEBASTIANUS TROMP, S. I.

IN PONT. UNIV. GREG. S. THEOL. PROF.

ALMA COLLEGE
252
LIBRARY
B414
Alma, California

ROMAE

IN AEDIBUS PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

1942

26099

SOCIETATIS IESU
SELECTI SCRIPTORES

I

SOCIETATIS IESU
SELECTI SCRIPTORES

A PATRIBUS SOCIETATIS EIUSDEM EDITI

S. ROBERTUS CARD. BELLARMINUS

DOCTOR ECCLESIAE

OPERA ORATORIA POSTUMA

VOL. I

ROMAE
IN AEDIBUS PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE
1942

BX
1756
.C38
1941
v. 1

IMPRIMI POTEST

Romae, die 17 sept. 1941.

P. EMMANUEL PORTA,
Praep. Prov. Romanae S. I.

IMPRIMATUR

Romae, die 30 april. 1942.

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesar., Vicesgerens

ROMAE, 1942 — TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

EDITOR LECTORIBUS

Ut lingua S. Roberti utar: in huius editionis initio quattuor solvenda sunt dubia: 1° Quaenam Bellarmini scripta edantur, 2° cur haec scripta edantur, 3° cur nunc edantur; 4° cur non prius edantur alia.

Ad primum respondeo, edi Opera Oratoria *latiori sensu: id est Contiones, Explanationes, Instructiones, Exhortationes, Allocutiones, eaque* postuma: *opera scilicet quae ipso Bellarmino vivente numquam typis edita sint, sive hucusque in solis manuscriptis latuerint, ut partis longe maioris conditio est; sive post Cardinalis mortem lucem viderint, ut accidit Exhortationibus Domesticis et uni alterive ex Sermonibus. Ipso igitur titulo excluduntur Sermones Lovanienses. Oratoriis autem postumis addidimus suis locis* Varia Documenta *ad gubernium animarum spectantia, quippe quae licet non indolis oratoriae, cum scriptis tamen oratoriis arcte cohaerent. Omnia simul novem voluminibus absolvenda.*

Ad alterum respondeo: quia sunt dignissima. Sunt enim plena doctrinae, aeque salutaris ac perlucidae; sunt praedicatoribus utilissima, maxime hodiernis, qui sibi conscii fiunt hucusque nimium neglectam fuisse contionem dogmaticam; sunt testimonium praeclarum sanctitatis et zeli apostolici auctoris; sunt documenta non spernenda iis, qui inquirunt in statum religionis istius temporis.

Ad tertium respondeo, annum Domini 1942 esse quartum centenarium nativitatis Bellarmini, quod nullo modo melius celebrari potest quam editione, qua quodammodo renascitur S. Robertus ad inchoandum novum apostolatum.

Ad quartum dico, in animo fuisse prius edere Commentarium S. Roberti in Summam Theologicam *Doctoris Angelici. Quod hoc non factum sit a proposito, rationem habet in miseris conditionibus temporum. Quo enim maior circulus lectorum, eo maior quoque emptorum, et eo minus temeraria editio.*

Solutis dubiis, ipsum audite Bellarminum: « Non debetis exspectare a vero pastore flores et folia eloquentiae, sed fructus maturos, id est doctrinam veram et utilem. Hoc interest inter pastorem et mercenarium, quod iste amat se ipsum, et ideo quaerit gloriam et laudem ex praedicatione sua: ideo ostentat eloquentiam, memoriam, ingenium etc. At pastor amat gregem et ideo quaerit illius utilitatem ».

Hisce finiatur prologus. Valete.

Laus Deo, Beatae Virgini,
Sancto Roberto.

OPERA ORATORIA POSTUMA

VOLUMEN PRIMUM

INTRODUCTIO GENERALIS

RATIO FORMANDAE CONCIONIS

SERMONES DOMINICALES ROMANI

ROMAE
IN AEDIBUS PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE
1942

SYNOPSIS TOTIUS OPERIS

(TOT VOLUMINA QUOT SERMONUM PARTES)

EDITOR LECTORIBUS

INTRODUCTIO GENERALIS

PRAEVIA

I: De documentis et subsidiis litterariis in introductionibus adhibitis.

II: Elenchus eorundem subsidiorum et documentorum.

PARS PRIMA: *De Bellarmino Oratore.*

SECTIO I: De Bellarmino praedicatore.
SECTIO II: De Bellarmino catecheta.
SECTIO III: De Bellarmino instructore et exhortatore.
SECTIO IV: De oratore perfecto ad mentem Bellarmini.

PARS SECUNDA: *De fontibus sermonum, instructionum, exhortationum.*

SECTIO I: De contionibus Lovaniensibus.
SECTIO II: De contionibus Romanis et Capuanis.
SECTIO III: De instructionibus et exhortationibus.

PARS TERTIA: *De ratione huius editionis conficiendae.*

APPENDIX

I: Elenchus librorum et scriptorum quae a Bellarmino citantur.
II: Elenchus vitarum Sanctorum, quae ab eodem allegantur.

OPERA ORATORIA POSTUMA

PRAEVIUM: *De ratione formandae Contionis.*

PARS PRIMA: *Sermones Dominicales, Romae habiti praecipue tempore Adventus et Quadragesimae annis* 1599 - 1600 - 1601 - 1606.

Introductio specialis ad omnes sectiones.

SECTIO I: Sermones Adventus anni 1599.
Sermones (4).

SECTIO II: Sermones Quadragesimae anni 1600.
Sermones (7).

SECTIO III: Sermones Adventus anni 1600: seu in *Missus est Angelus* series 1ª.
Sermones (5).

SECTIO IV: Sermones Adventus anni 1606: seu in *Missus est Angelus* series 2ª.
Sermones (6).

SECTIO V: Sermones sparsi anni 1601.
Sermones (5).

PARS ALTERA: *Sermones habiti tum Romae tum Capuae de Christo, B. M. Virgine, Apostolis, Sanctis.*

SECTIO I: Sermones de Christo et SS. Sacramento.
Introductio specialis.
Sermones (6).

SECTIO II: Sermones de B. M. Virgine.
Introductio specialis.
Sermones (6).

SECTIO III: Sermones de Apostolis.
Introductio specialis.
Sermones (10).

SECTIO IV: Sermones de Sanctis, non Apostolis.
Introductio specialis.
Sermones (14).

PARS TERTIA: *Sermones pastorales Capuae habiti, una cum actis et documentis relativis.*

SECTIO I: Praevia.

1. Conspectus chronologicus laboris apostolici S. Roberti in regenda Capuana Ecclesia, cum fontium indicatione.
2. Introductio specialis communis ad singulos sermones, singula acta et documenta, quae mox sequuntur.

SECTIO II: Sermones; acta; documenta.

1. Autobiographia cap. 35-38: mart. 1602 - mart. 1605; cum relationibus ad Capuam spectantibus.
2. Officia duodecim Episcopi.
3. Exhortatio ad Synodum diocesanam I: Dom. 4ª post Pascha: 5 mai 1602.
4. Exhortatio ad Capitulum Ecclesiae cathedr.: 6 mai. 1602.
5. Sermo primus ad populum in Ascensione Domini: 16 mai. 1602.
6. Epistola Clementis pp. VIII ad Bellarminum: 8 iun. 1602.
7. Sermo de centum ovibus in dom. 3ª post Pentec.: 16 iun. 1602.
8. Sermo de inchoanda visitatione in festo SS. Petri et Pauli: 29 iun. 1602.
9. Sanctae Visitationes: 29 iun. 1602 - nov. 1604.
10. Sermones quattuor de pastore et ovibus in prima visitatione Ecclesiae cathedralis: 27-30 oct. 1602.
11. Acta primae visitationis Ecclesiae cathedralis: 27-30 oct. 1602.
12. Acta secundae visitationis Ecclesiae cathedr.: 4-5 nov. 1603.
13. Sermo habitus ad Concilium Provinciale: Dom. in Albis 6 april. 1603.
14. Acta et Decreta Concilii Provincialis: 6-9 apr. 1603.
15. Acta Concilii Provincialis anni 1577, promulgata 6 apr. 1603.
16. Statuta Synodus Diocesanae secundae: 4 mai. 1603.
17. Sermo habitus ad Synodum Dioces. tertiam: 2 mai. 1604.
18. Contio ultima Capuana in dom. 2 Quadr.: 6 mart. 1605.

19. Conclusiones Capitulares: 21 mart. 1602 - 6 mart. 1605.
20. Epistola Bellarmini ad Capitulum Eccl. cathedr.: apr. 1605.
21. Paulus pp. V ad Card. Bellarminum: 1 sept. 1605.
22. Epistola valedictionis ad populum Capuanum: sept. 1605.

Pars quarta: *Sermones de Tempore, Capuae habiti anno 1603, in Epistolas.*

Introductio specialis
Sermones (28).

Pars quinta: *Sermones de Tempore, Capuae habiti anno 1604 (1602) in Evangelia.*

Introductio specialis.
Sermones (43).

Pars sexta: *Sermones de Sermone Domini in Monte, Capuae habiti annis 1604-1605.*

Introductio specialis.
Sermones (20).
Accedunt relationes et fragmenta.

Pars septima: *Explanationes in Epistolas, quae dominicis et festis diebus inter S. Missam in Ecclesia cantantur, conscriptae Romae c. ann. 1615.*

Sectio I.: Praevia.
1. Introductio specialis de Commentario in S. Paulum et de Explanationibus in epistolas.
2. Opus imperfectum: Explanatio in Epistolas Paulinas.

Sectio II: Explanationes.
1. Bellarmini prologus.
2. Explanationes 22 in epistolas dominicales.
3. Explanationes 2 in epistolas festales.

Pars octava: *Instructiones ad familiam cardinalitiam, moniales, diversos.*

Sectio I.: Instructiones ad familiam cardinalitiam.
Introductio generalis de familia cardinalitia.
1. Instructiones de Imitatione Dei, 1602 et 1612.
Introductio specialis.
Instructiones (20).
2. Instructiones de vitiis capitalibus et virtutibus oppositis, 1615.
Introductio specialis.
Instructiones (14).
3. Instructiones in Dominicis Adventus anni 1607.
Introductio specialis.
Instructiones (4).
4. Allocutiones variae ad familiam.
Introductio specialis.
Allocutiones (7).

Sectio II: Instructiones ad Moniales.
Introductio specialis.
1. Capuanae:
Instructiones (4).
Epistola exhortatoria.
Ordinatio pro Novitiis 27 iul. 1604.
2. Romanae:
Instructiones (5).
Regulae Monialium Stae Marthae a Bellarmino approbatae anno 1617.

Sectio III: Varia.
1. Instructiones ad diversos (4).
2. Fragmenta et Relationes.

Pars nona: *Exhortationes Domesticae ad Patres Fratresque Soc. Iesu.*
Introductio specialis.
Sectio I: Exhortationes habitae Lovanii et Romae. ante 1578.
Sectio II: Exhortationes (9) de Charitate. iun. 1582 - 9 aug. 1583.

19. Conclusiones Capitulares: 21 mart. 1602 - 6 mart. 1605.
20. Epistola Bellarmini ad Capitulum Eccl. cathedr.: apr. 1605.
21. Paulus pp. V ad Card. Bellarminum: 1 sept. 1605.
22. Epistola valedictionis ad populum Capuanum: sept. 1605.

Pars quarta: *Sermones de Tempore, Capuae habiti anno 1603, in Epistolas.*

Introductio specialis
Sermones (28).

Pars quinta: *Sermones de Tempore, Capuae habiti anno 1604 (1602) in Evangelia.*

Introductio specialis.
Sermones (43).

Pars sexta: *Sermones de Sermone Domini in Monte, Capuae habiti annis 1604-1605.*

Introductio specialis.
Sermones (20).
Accedunt relationes et fragmenta.

Pars septima: *Explanationes in Epistolas, quae dominicis et festis diebus inter S. Missam in Ecclesia cantantur, conscriptae Romae c. ann. 1615.*

Sectio I.: Praevia.
1. Introductio specialis de Commentario in S. Paulum et de Explanationibus in epistolas.
2. Opus imperfectum: Explanatio in Epistolas Paulinas.

Sectio II: Explanationes.
1. Bellarmini prologus.
2. Explanationes 22 in epistolas dominicales.
3. Explanationes 2 in epistolas festales.

Pars octava: *Instructiones ad familiam cardinalitiam, moniales, diversos.*

Sectio I.: Instructiones ad familiam cardinalitiam.
Introductio generalis de familia cardinalitia.
1. Instructiones de Imitatione Dei, 1602 et 1612.
Introductio specialis.
Instructiones (20).
2. Instructiones de vitiis capitalibus et virtutibus oppositis, 1615.
Introductio specialis.
Instructiones (14).
3. Instructiones in Dominicis Adventus anni 1607.
Introductio specialis.
Instructiones (4).
4. Allocutiones variae ad familiam.
Introductio specialis.
Allocutiones (7).

Sectio II: Instructiones ad Moniales.
Introductio specialis.
1. Capuanae:
Instructiones (4).
Epistola exhortatoria.
Ordinatio pro Novitiis 27 iul. 1604.
2. Romanae:
Instructiones (5).
Regulae Monialium Stae Marthae a Bellarmino approbatae anno 1617.

Sectio III: Varia.
1. Instructiones ad diversos (4).
2. Fragmenta et Relationes.

Pars nona: *Exhortationes Domesticae ad Patres Fratresque Soc. Iesu.*
Introductio specialis.

Sectio I: Exhortationes habitae Lovanii et Romae. ante 1578.

Sectio II: Exhortationes (9) de Charitate. iun. 1582 - 9 aug. 1583.

Sectio III: Exhortationes (6) de Corde humano.
12 nov. 1583 - ian. 1584.

Sectio IV: Exhortationes (6) de donis Spiritus Sancti.
11 mai. 1585 - init. 1586.

Sectio V: Exhortationes (6) de libertate spiritus.
mai. 1593 - sept. 1593.

Sectio VI: Meditationes de Essentia Dei italice.
circa 1592.

Sectio VII: Exhortationes (13) de Cognitione Dei.
nov. 1593 - sept. 1594.

Sectio VIII: Exhortationes (8) de Perfectione.
sept. 1596 - init. 1597.

Sectio IX: Exhortationes (2) de Humilitate.
anno 1597.

Sectio X: Exhortationes (4) ad Scholasticos, quarum tres in renovatione votorum.

Sectio XI: Exhortationes ad Novitios.
Neapoli (3).
Romae (7).

Sectio XII: Fragmenta et relationes.

Sectio XIII: Exhortationes moribundi.

Indices

Index Scripturisticus eorum locorum, qui a Bellarmino explicantur.

Index Patristicus.

Index Hagiographicus.

Index Exemplorum.

Index Memorabilium.

Conspectus generalis operis.

INTRODUCTIO GENERALIS

INTRODUCTIO GENERALIS

Ut in hac introductione, benevole lector, ab editore revera conscripta, quia spem fovet ut a te legatur, more Bellarminiano absque superfluis verborum flosculis statim intrem medias in res: scias me in ea duo praestare velle, quorum primum tibi non erit ingratum, debitum vero alterum.

Et quidem gratum tibi erit audivisse quaedam de Bellarmino oratore; debitum tibi erit ut rationem reddam tam de fontibus quam de methodo in hac editione adhibitis.

Quare in sectione prima de Bellarmino oratore, in altera de fontibus, in ultima de edendi methodo.

Volo autem quaedam praemittere de documentis et subsidiis litterariis, quibus usus sum tam in hac introductione generali conficienda quam in mox venturis particularibus ad singulas contionum series.

PRAEVIA

De documentis et subsidiis in introductionibus adhibitis

Fons principalis huius introductionis, — si abstrahis ab ipsis sermonibus — est quadruplex: primus est *Autobiographia* ipsius Sancti, alter series illa magna *Relationum*, quae factae sunt immediate post Bellarmini mortem et in Archivio Postulationis generalis Soc. Iesu asservantur; tertius sunt *Epistolae* vel a Bellarmino vel ad eum vel de eo datae; quartus documenta plura quae spectant ad *regimen Capuanae Ecclesiae.*

In primo fonte audimus simplices relationes ipsius Sancti; in altero multos ex clero et laicatu, ex consanguineis, ex amicis et confratribus, ex famulis, qui Bellarmino iuveni, scholastico, contionatori Lovaniensi, instructori domestico, catechistae fratrum, rectori, provinciali, Cardinali, Episcopo et tandem moribundo respec-

tive vicini erant; in tertio commercium litterarium virorum non raro inter se coniunctissimorum; in quarto vocem ieiunam sed eloquentem actorum officialium.

Hisce documentis sese adiungunt duo *Summaria* in processu beatificationis annis 1675 et 1745 confecta. In primo adhibita sunt testimonia officialia in processibus praecedentibus Politiano, Romano, Capuano, Parmensi annis 1622-1629 edicta; in altero haud pauca addita sunt ex fontibus scriptis et commercio litterario. Quae omnia modo magistrali in unum composita sunt in *Relatione Cardinalis Cavalchini* anni 1735, et postea in *Positione* anni 1828.

Quod ad *vitas* S. Bellarmini spectat, nomino vitam auctam, a Patre Fuligatti editam anno 1644, et vitam Patris Bartoli, prout exstat in editione Romana anni 1678. Primam vitam nomino, quia auctor novit ipsum Bellarminum eiusque coaetaneos; alteram, quia semper allegat fontes ex quibus hausit.

Quod ad *epistolas* attinet, non sine fructu adhibere potui collectionem sat magnam, quam assiduo labore confecit P. X. M. Le Bachelet, quae in Archivo Pont. Univ. Gregorianae servatur sub nn. 1600-1636, quaeque etiam hodie in dies feliciter crescit [1].

Et haec sufficiant. Alia inveniet lector in elencho, qui sequitur, ex quo facile quoque intelleget compendia in ipsa introductione adhibita. Quod ad recentiora subsidia spectat, ea tantum sunt allata, quae ad rem nostram, i. e. ad Bellarminum oratorem et pastorem referuntur.

Quae asterisco (*) sunt notata, manuscripta repraesentant non edita; quae duplici (**), manuscripta in hisce nostris voluminibus mox edenda.

[1] Ut multa alia omittam: Patri Le Bachelet nondum notae erant epistolae 5 conservatae in Archiv. Episc. Montispolitiani; epistolae 6 in Archiv. Dom. gener. Carmel. Discalc., Romae; epistolae 36 collectionis Piancastelli in Bibl. communali Foroliviensi (Forlì); epistolae 60 in Bibl. « Feehan » seminarii Sanctae Mariae ad Lacum, Mundelein U. S. Amer., de quibus ultimis H. Koenig in *The Cath. Hist. Rev.*, 24 (1939), pp. 412-416. Hanc notulam addo spe fretus, ut et alibi epistolae hucusque incognitae ad lucem sint venturae.

ELENCHUS

documentorum et subsidiorum adhibitorum in introductionibus

Acta proc. beatific.: Cf. Cavalchini; Dudon; Passionei; *Positio* a. 1828; *Summ. vet. et addit.*

Acta SS. = *Acta Sanctorum ed. Bollandus etc.*, praesertim 21 iun. IV (1707) pp. 1150-1153 et 31 iul. VII (1731) pp. 409-853.

Amerighi, Don Celso: cf. Celsus Abb.

Ameyden Theodorus van, Buscoducensis, **Elogia Pontificum et Cardinalium*. Ex hoc manuscripto, quod olim servabatur penes D. Ab. Vespinianum, adest pericope de Bellarmino in Arch. Postul. Gen. Rom. — Circa 1603/1609 v. Ameyden studet in Collegio Romano.

Anello Polio Giacomo, **Relatio brevis authentica*, probabiliter autographa. In Arch. Post. Gen. Rom.: *Bell.* 6°. — Erat Anello Polio e S. I. adiutor Bellarmini in opere apostolico Capuano.

Annuaire de l'Université catholique de Louvain, 1841.

APUG = Archivum Pont. Univ. Gregorianae.

AHSI = *Archivum Historicum Societatis Iesu*, Romae, 1931 ssqq.

Auctar. Bellarm. = X. M. Le Bachelet S. I., *Auctarium Bellarminianum*, Paris 1913.

Autobiographia = *Rob. Bellarmini autobiographia* secundum editionem Le Bachelet, *Bell. avant son Card.*, pp. 438-466. Cf. Bellarminus.

Azzolini Decio, Card.: Cf. Passionei.

Badino de Noris, **Relat.* = *Attestatio facta a Badino de Noris di Nicosia in Cypro*. Constat 37 numeris. Invenitur in *Volumine Jurium* ff. 111-119. — Erat Badino de Noris praefectus cubiculi et cupparius Bellarmini annis 1614-1621.

Barbarigo Gregorio, Card.: Cf. Passionei.

Bartoli = *Della vita di Rob. C. Bellarmino scritta dal P. Daniello Bartoli libri quattro*, Roma 1678.

B. a. s. C. = X. M. Le Bachelet, *Bellarmin avant son Cardinalat*, Paris 1911.

Beccari Camillo, *Operosità del Ven. Rob. Bellarmino come Vescovo e come Cardinale*, in *Gregorianum*, II (1921), pp. 487-512.

Bellarmini Camilla, **Relatio Camillae Bellarmini*, conscripta die 7 sept. 1621 a Hier. Greppi, quia Camilla non potest scribere, cum declaratione authenticitatis d. 23 nov. 1621. In Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.* 6°. — Est Camilla soror Cardinalis: anno 1621 habuit 71 annos.

Bellarminus Robertus, Card.

— *Admonitio ad Ep. Theanensem*, in *Auctar. Bellarm.*, pp. 639-655.

— *Autobiographia*: prima editio in fine *Summarii veteris* anni 1675 p. 112 (118). Praeter alias editiones exstat in *B. a. s. C.* pp. 442-466; in *Processu beatificat.* anni 1920; apud Brodrick, *Blessed R. Bellarmine* vol. I, pp. 460-481, et cum ed. 2ª *Voti C. Passionei*, cf. ibi.

— *Capuana*: vide Capuana.

— *Contiones Lovanienses*, ed. 1ª Colon. 1615.

— ***Contiones Romanae et Capuanae*: APUG 384 et 385ª; Opp. NN. 231.

— *Controversiae Christianae fidei*, ed. 1ª, 3 vol., Ingolstandt 1586-1593.

— *De aeterna felicitate Sanctorum*, Romae 1616.

— *De arte bene moriendi*, Romae 1620.

— *De ascensione mentis in Deum*, Romae 1615.

— *De cognitione Dei*, Lovanii 1861; in ed. Vivès tom. VIII.

— ***De imitatione Dei*: APUG 385ª.

— *De officio principis christiani*, Romae 1619.

— ***De ratione formandae Contionis*, in *Auctar. Bell.* pp. 655-657; apud Brodrick I, p. 508-511.

— *De scriptoribus ecclesiasticis* cum *Chronologia brevi*, Romae 1613.

— ***De vitiis capitalibus et virtutibus contrariis*: APUG 385ª.

**Epistolae* ex variis fontibus collectae: coepit X. M. Le Bachelet: APUG 1600-1636.

— **Expositiones in doctrinam Christianam*: APUG 1485.

— *Exhortationes domesticae*: Cf. Ortroy.

— *Explanatio in Epistolas S. Pauli*, in *Auctar. Bell.*, pp. 277-313. Cf. Tromp.

— ΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ in *Auctar. Bell.*, pp. 209-256.
— ***Meditazioni dell'Essenza divina*: APUG 373.
— *Memoria Rob. Bellarmini*, in *B. a. s. C.*, pp. 436-438.
— *Sermo de Passione*: Cf. *Orationes 50.*
— *Sermo in honorem Sti Aloysii*, Mediolani 1622 et alibi.
— *Tractatus de oboedientia caeca*, in *Auct. Bell.*, pp. 377-385; Brodrik I, pp. 485-498.

Benedetti, *Relat.* = Steph. Benedetti, archid. Eccl. S. Mariae Maioris, *Testimonium datum in processu Capuano 1627*. Autogr. in Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.* 6°.

Bentivoglio Guido, Card., *Memorie*, Venezia 1648 in 4°; exstant in eiusdem *Opere Storiche*, Milano 1807, tom. V.

Bernier Alfred, *Le zèle du Card. Bellarmin pour la beauté du culte*, in *Gregorianum*, XVIII (1937), pp. 261-290.
— *Un Cardinal humaniste*: S. Robert Bellarmin de la C. de J. et la musique liturgique, Montréal-Paris 1939.

Bliard Pierre, *Bibliothèque de la Comp. de Jésus*, éd. nouvelle, tom. X-XI seu pars historica ad Sommervogel, Paris 1909-1932. De Bellarmino XI, 1374-1394.

Brodrick James, *The Life and Work of Blessed Robert Bellarmine S. J.*, 2 vol., London 1928.

Bullarium Romanum, ed. Taurinens., 24 vol., 1857-1872.

Cangianus Ioann. Ant., Rector Sem. Cap., *Relatio* exstans in *Summ. Vet.* pp. 15-17 (16-18).

Capuana
— ***Conclusioni Capitulari dell'anno 1601 al 1610*. Codex manuscriptus 115 fol. in Arch. Capit. Metrop. Capuan. Excerpta omnium quae ad Bellarminum spectant in APUG; *Estratto* authenticum in Arch. Postul. Gen. Rom.
— ***Decreta Concil. prov. Capuani habiti a. 1577 sub Caes. Costa*, et a Bellarmino anno 1603 confirmata: *Mansi* XXXV, pp. 899-904.
— ***Decreta Concilii provincialis Capuani anni 1603*. In Arch. Archiep. Cap.; copia authentica in Arch. Postul. Gen. Rom.
— ***Sanctae Visitationes per E.mum D. Card. Bellarminum 1602*: excerpta in APUG 1638.
— ***Sermones habiti in Synodis*: APUG 385ª.

— ***Sermones habiti occasione Visitationum*: APUG 385ª.

Casanate Gieronimo, Card.: Cf. Passionei.

Cavalchini = *Relatio Car. Alb. Card. Cavalchini in causa beatificationis V. S. D. Rob. C. Bellarmini*, Romae 1753. Editio nova inter acta beatif. anni 1920. — Citantur numeri paragraphorum, quia in utraque editione sunt identicae.

Celsus Abb., **Relat.* = *Depositione del P. don Celso, generale de' Padri Celestini.* Documentum authenticum in Arch. Post. Gen. Rom.: *Bell.* 6º. — Don Celsus Amerighi erat fidelis collaborator cum Bellarmino, Card. protectore Coelestinorum, in ordinis reformatione.

Cepari Virgilio, *Vita del B. Luigi di Gonzaga, d. C. d. G.*, riveduta, corretta ed accresciuta nella terza parte, Piacenza 1630.

Cervinus, *Adumbr. Imago* = *Adumbrata imago solidarum virtutum Rob. Card. Bellarmini Politiani e Soc. Jesu*, a Marcello Cervino eius Nepote exposita Gregorio XV Pont. Opt. Max., Senis 1722.

Coffin Eduard, *A true relation of the last sickness and death of C. Bellarmine*, St. Omers, dec. 1622, 12º; pro magna parte exstat apud Brodrick, II, pp. 432-440; 458-462. Latine: Audomari 1623, 8º.

***Conclusioni Capitulari.* Cf. Capuana.

Couderc Jean Bapt., *Le Vénérable Cardinal Bellarmin*, 2 vol., Paris 1893.

Cyprianus Theat., *Relat.* = *Relatio Don Cypriani Theatini Capuani*, latine redacta, constans numeris 18. Videtur autographa. In Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.* 6º.

De Backer Augustin, *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus*, ed. 2ª, 3 vol., Liège-Paris, 1869-1876.

Diarium postremae aegritudinis Ven. Bellarmini usque ad obitum: cf. Finali.

Dudon Paul, *Dissertatio*, in *Actis Beatific.*, Romae 1920, pp. I-CIV. — *Bellarmin*, in *Dict. d'hist. et de géogr. eccl.*, VII, 1934, pp. 798-824.

Epistolae familiares, cf. Fuligattus.

Eudaemon-Ioannes Andreas, *Narratio de pio obitu Roberti Card. Bellarmini*, Dillingae 1621, 4º. — Est relatio excerpta ex litteris Eudaemon-Ioannis datis ad Patrem Costerum.

— *Relatio data in processu Rom. anni 1622.* Exstat in *Summ. Vet.* pp. 92-105 (98-111).

Exortationes Domesticae. Cf. Ortroy Franciscus van.

Finali, *Relat. = *Depositioni di fr. Giuseppe Finali della Comp.a fatta nel Processo apostolico di Roma li 14 giug. 1627.* Codex 128 pp. in 4°; composita ab auctore, Bellarmino aegrotante, 28 aug. - 17 sept. 1621 *a pezzi e a bocconi di giorno e di notte*: Arch. Post. Gen. Rom., *Bellarmino* n. 37. Optima huius relationis copia adest in APUG; maior pars relationis typis edita est in *Positione* anni 1828 pp. 377-418 sub titulo: *Diarium postremae aegritudinis etc.* — Anno 1627 fr. Finali habet 39 annos. Novit Bellarminium inde a 1605. Ingressus est Societatem anno 1616.

— *Relatio brevior*: Exstat in *Summ. Vet.* pp. 58-61 (62-65).

Fiocchi Ambrogio, *S. Roberto Bellarmino della Compagnia di Gesù, Cardinale di S. Romana Chiesa,* Isola del Liri 1930.

Foppens Ioannes Franc., *Bibliotheca Belgica,* 2 vol., Bruxellis 1739.

Forgillus Scipio, Iur. utr. doct. Capuan., *Relatio* exstans in *Summ. Addit.* pp. 54-55.

Fuligatti, *Relat. = *Relatio Patris Jac. Fuligatti S. I.,* pp. 16. In Arch. Post Gen. Rom.: *Bellarmino* 6°.

— *Vita = *Vita di Rob. Card. Bellarmino composta dal P. Giac. Fuligatti, dall'istesso rivista et accresciuta,* Roma 1644.

Fuligattus Iacobus, *Roberti Bellarmini S. R. E. Cardinalis e S. I. Epistolae familiares,* Romae 1650.

Galdos Romualdos, *Introductio ad Bellarmini Explanationem in Psalmos* in editione nova *Explanationis,* Romae 1931, vol. I p. xiii-xlvi. *Appendix ad Bellarmini Explanationem in Psalmos,* vol. II p. 840.

Granata Francesco, *Storia civile della fedelissima città di Capua,* Napoli 1752-56.

— *Storia sacra della Chiesa metropolitana di Capua,* Napoli 1766.

— *Storia Sacra di Capua,* Napoli 1766.

Grodicius Stephanus, *Quadripartitae Contiones.* tom. II, Ingolstadii 1610.

Guidotti, *Relat. = *Relatione fatta da Pietro Guidotti* sive *Attestato di Pietro Guidotti già Maestro di Casa del Servo di Dio.* In

Arch. Post. Gen. Rom. *Bell.* 6°. — Erat Guidotti, sacerdos Senensis, per 20 annos magister domus et oeconomus Bellarmini. In proc. Rom. anni 1627 habet 57 annos.

Hernandez Eusebio, *Las fuentes principales del opúsculo « De ascensione mentis in Deum »*, in *Estudios Ecclesiásticos*, X, (1931), pp. 235-243.

Hurter Hugo, *Nomenclator literarius*, 4 vol., edit. 3ª, Oeniponte 1903-1910.

Iacobelli, *'Relatio = Relatione breve di Alessandro Jacobelli delle attioni del S.re Card.le Bellarmino;* autographa, propria manu subscripta; libellus 12 pp. in 8°, constans 52 numeris. In Arch. Post. Gen. Rom.: *Bell.* 6°. — Erat Iacobelli sacerdos Soranus, per 21 annos Bellarmini caudàtarius et eleemosynarius; in processu Romano 1627 circiter annorum 73.

Imbrianus Iulius Caes., *In D. Rob. Bellarmini S. R. C. Cardinalis tituli Divae Mariae in Via, ac Campanorum Archiepiscopi dignissimi primo ingressu Oratio in Cathedrali Ecclesia habita IIII non. mai 1602.* Ad senatum, ordinem, populumque Campanum. Neapoli, 1602, 38 pp.

Koenig Harry C., *St. Robert Bellarmine and his Family*, in *The Catholic Historical Review*, XXIV, n. 4, (1939), pp. 412-426.

Laak Hermannus van, *De operibus S. Roberti Bellarmini*, Romae 1930.

— *De S. Rob. Card. Bellarmini e Soc. Iesu doctrinae praestantia*, Isola del Liri 1931.

— *Documenta quaedam ex archivis detracta circa nonnulla S. Bellarmini scripta*, in *Gregorianum*, XII, (1931), pp. 86-103; 284-302.

Le Bachelet Xavier M., *Auctarium Bellarminianum*, Paris 1913.

— *Bellarmin avant son Cardinalat*: Correspondance et documents, Paris 1911.

— *Bellarmin*, in *Dict. de Théol. Cath.*, II, 1903.

— *Bellarmin et les ordres religieux*, in *Gregorianum*, V-VI, (1924-26), 4 artic.

— *Les devoirs sacerdotaux selon Rob. Bellarmin*, in *Nouv. Rev. Thèol.*, 1923.

— *Le « Votum Bellarmini » sur l'Immaculée Conception*, in *Etudes*, CI, (1904), pp. 656-674.

— *Prédestination et grâce efficace: Controverse de 1610-13* (Bellarmin.-Lessius), 2 vol., Mus. Less., Louvain 1931.

- - *Supplementum ad Exhort. Domesticas ed. a P. Fr. van Ortroy*: in editione v. Ortroy, pp. 252[1]-252[10].

Lorini, **Relat. = Ex Scriptis Ioannis Lorini S. I.* Constat numeris 13. In Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.* 6°.

Manelis Franciscus, *De Regia Christi Potestate ad mentem S. Roberti Bellarmini*, Vilkaviškis (Lithuan.), 1940.

Mansi Ioh. Dominicus, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio*, 31 vol., Florentiae et Venetiis, 1759-1798; reproductio anastatica et continuatio, Paris 1900 sqq.

Marchetti Ottavio, *La perfezione Cristiana secondo il S. Card. Bellarmino*, in *Gregorianum*, XI (1930), pp. 317-335.

Mazzucchelli Giammaria, *Gli scrittori d'Italia*, vol. II p. II, Brescia, 1760, pp. 641-660, in verbo *Bellarmino*.

Menicillo, **Relat. = Cose occorse alla santa memoria del Card. Bellarmino, e da lui fatte nel governo della Chiesa di Capoa*, raccolte dal Primicerio Giov. Lorenzo Menicillo. Copia authentica constans 5 capitibus. In Arch. Post. Gen. Rom.: *Bell.* 6°.

Miert Ludovicus van, *Bellarminus' preeken te Leuven*, in *Studiën*, LVI (1924), II, pp. 102-114.

Ministero della Pubbl. Istruzione, *Elenco degli Edifici Monumentali*, vol. XLVIII, Prov. di Caserta, Roma 1917 (uberrima bibliographia).

Minutolo Iacobus, *Ultima infirmitas et felix obitus Servi Dei Rob. Bellarmini, ad Card. Farnesium* 23 sept. 1621. Exstat in *Summ. addit.*, pp. 125-137.

Monaco Michael, *Sanctuarium Capuanum*, opus in quo sacrae res Capuae et per occasionem plura tam ad diversas civitates Regni pertinentia quam per se curiosa continentur, Neapoli 1630; recognit. Neapoli 1673. Quae ad Bellarminum spectant habentur in *Summ. addit.*, pp. 153-158.

Mongardi, **Relat. de morte = Dell'ultima infermità e del felicissimo passaggio del Card.le Bellarmino, dalli 28 di agosto fino*

a' 17 di settembre in Venerdì a hora 13½, 1621. Libellus 32 paginarum, quarum desunt sex ultimae, in 4°. Sequor apographum optimum in APUG. Libellus sine nomine auctoris. Est autem Augustinus Mongardi, annis 1601-1621 familiaris cubicularis Bellarmini.

Monier-Vinard, *Le B. Bellarmin et St. François de Sales*, in *Rev. d'asc. et de myst.*, IV (1923), pp. 225-242.

Monumenta Historica Soc. Iesu: Monumenta Ignatiana, Romae, 1934 sqq.

Muratori Ludovico Ant., *Annali d'Italia dal principio dell'era volgare sino all'anno 1749*, Napoli, 1751-1755.

Musso Cornelius, *Prediche*, 3 vol., Venetia, 1599.

Nappi Hieronymus, *'Relatio authentica 6 ian. 1622 ad P. Anton. Marchesi, praep. prov. Rom. S. I.*, constans 22 numeris. In Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.* 6°.

Opp. N.N. seu *Opera nostrorum* vocantur multi codices in Arch. Rom. S. I. Ad nos spectant praecipue Opp. N. N. 230-250.

Orationes 50 de Christi Domini Morte; cf. Patres varii S. I.

Ortroy Franciscus Van, *Exhortationes domesticae Ven. Servi Dei Card. Rob. Bellarmini ex codice autographo Bibliothecae Rossianae S. I.*, Bruxellis, 1899. — Supplementum, cf. Le Bachelet.

Passionei Dominicus, Card., *Voto a N. S. Papa Benedetto XIV nella causa della Beatificazione del Ven. Servo di Dio C. Rob. Bellarmino*: ed. 2ª, Ferrara, 1762 (ubi simul vota CC. Barbarigo, Casanate, Azzolini), nova ed. in appendice ad acta beatificationis, Romae, 1920.

Patarini, *'Relat. = *De cardinali Bellarmino*: *deposto da Giovan Pietro Patarini;* relatio constans 37 numeris. In Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.* 6°. — Quasi per 20 annos fuit aulicus Bellarmini.

Patiuchelli, *'Relat. = *Relatio R. D. Vincentii Patiuchelli* sive Pacichelli, Can. Eccl. Cath. Montispolit., die 6 nov. 1621 ob aetatem provectam auctoris conscripta alia manu cum additione officiali authenticitatis. In Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.*

6°. — Anno 1621 in processu Montispolit. Patiuchelli habet 83 annos.

Patres varii S. I., *Orationes quinquaginta de Christi Domini Morte habitae in die Sanctae Parasceves a Patribus Soc. Iesu in Pontificio Sacello*, Romae, 1641.

Positio super dubio an constet de virtutibus anni 1828, Romae ex typ. Cam. Apost. 1828.

Polizzi Vincenzo, *'Relatione della rev. et divota memoria dell'Illmo e Re.mo Sr. Card.le Bellarmino*, cum signatura autographa. In Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.* 6°. — Erat Polizzi doctor Palermitanus.

'Racc. Carm. = *Raccolta Carminata seu*: Raccolta di lettere autografe del Card. Bellarmino al P. Carminata S. I., in Arch. Postul. Gen. Rom.

Raitz von Frentz Emmerich, *Der heilige Kardinal Robert Bellarmin S. J.*, ed. 3ª. Freiburg i. Br., 1930.

— *Der hl. Kardinal Robert Bellarmin als Seelsorger*, in *Der Seelsorger*, VIII (1932), pp. 353-359.

— *Die aszetische Schriften des hl. Bellarmin*, in *Zeitschr. für Asz. und Myst.*, V (1930), pp. 215-233.

— *Les oeuvres ascétiques du B. Cardinal Bellarmin*, in *Rev. d'Asc. et de Myst.*, IV (1923), pp. 243-255; VI (1925), pp. 60-70.

— *La vie spirituelle d'après le b. Robert Bellarmin*, in *Rev. d'Asc. et de Myst.*, VII (1926), pp. 113-150.

— *Vollkommenheit und Liebe nach der Lehre des hl. Rob. Bellarmin*, in *Zeitschr. für Asz. und Myst.*, VII (1932), pp. 1-19.

Recupito Iul. Caesar, *Predica della B. Madre Teresa, fatta in Napoli nella chiesa de' Padri Scalzi con l'occasione della nuova beatificazione*, Napoli, 1614, 4°, pp. 52.

'Relatio cuiusdam e Soc. Iesu in Belgio: fol. separatum in Mscr. *Difficultates* in Sem. Magno Gandavensi.

'Relatio Patris S. I. Napolitani, in qua afferuntur varia testimonia aliorum. Copia in Arch. Postul. Gen. Rom.

Relationes de vita Bellarmini. Cf. Ameyden, Anello Polio, Badino de Noris, Bellarmini Camilla, Cangianus, Celsus abbas, Coffin, Cyprianus Theat., Eudaemon-Ioannes, Finali, Forgillus,

Fuligatti, Guidotti, Iacobelli, Menicillo, Minutolo, Mongardi, Nappi, Patarini, Patiuchelli, Polizzi, Ruffo, Serayz, Torti, Ubaldini, Wise.

Rinaldi Ernesto, *La fondazione del Collegio Romano*, Arezzo, 1914.

Riviere Ernest, *Corrections et Additions à la bibliothèque de la Comp. de Jésus*; supplément au de Backer-Sommervogel, Toulouse, 1911 sqq.

Ruffo Antonius, **Relatio de Bellarmino*, constans 5 numeris, cum declaratione authentiae, data Capuae 26 febr. 1636 a notario pontificio. In Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.* 6°.

Santagata Saverio, *Istoria della Compagnia di Giesu appartenente al Regno di Napoli*, parte terza, Napoli, 1756.

Sedelaar Ludovicus, *Die Lehre von der Mittlerschaft Christi nach dem hl. Bellarmin*, Würzburg, 1937.

Segarra Francisco, *S. Roberto Belarmino y el Primado del Pontifice*, in *Razón y Fe*, 92 (1930), p. 5-22.

Serayz, **Relat.* = *Advertencias de algunas virtudes y casos particulares, que observe en el santo card. Bellarmino;* conscriptae Palenciae 6 dec. 1623 a doctore Don Juan de Serayz, canonico Palenciae. Constant nn. 14. In Arch. Postul. Gen. Rom.: *Bell.* 6°. — Erat Serayz sacellanus Bellarmini et socius exeuntis 1607-1619.

Serviere Jacques de la, *La théologie de Bellarmin*, ed. 1ª, Paris, 1909.

Sirmundus Iacobus, **Relatio* = *Epistola Patri Jacobo Fuligatti data Parisiis 8 Mart. 1622.* In Arch. Postul. Gen. Rom. 9°; *Vol. Jur.*, ff. 168-70; fragm. in *Summ addit.* p. 76. — Erat Sirmundus collaborator Baronii.

Sommervogel Carlos, *Bibliothèque de la Comp. de Jésus*, éd. nouvelle, 9 vol., Bruxelles, 1890-1900. De Bellarmino: I, 1151-1253; VIII, 1797-1807. Cf. Bliard, de Backer, Riviere.

Sta Marta: *Regola di S. Agostino per le monache di S. Marta*, Roma, 1617.

Steinhuber Andreas, Card., *Geschichte des Kollegium Germanicum-Hungaricum in Rom*, Freiburg Br., 2 vol., ed. 1ª 1895; ed. 2ª 1906.

Summ. addit. = *Summarium additionale*, veteri summario adiunctum in actis beatificationis, Romae, 1749. — Cf. *Summ. vet.*

Summ. vet. = *Summarium super dubio, an constet de virtutibus theologalibus etc.* Editio prior inter acta beatificationis Romae 1675; editio altera inter acta beatificationis Romae 1749. — Ubi differt paginatio, numeri editionis secundae sequuntur uncinis ( ) inclusi.

Tacchi Venturi Pietro, *Il B. Roberto Bellarmino*, Roma, 1923.

Storia della Comp. di Gesù in Italia, tom. I, ed. 2, Roma-Milano, 1931.

Torrigio Franc. Maria, *De Card. S. R. Eccl. Scriptoribus*, Romae, 1641.

Torti, **Relatio* I = *Osservationi del S.or Matteo Torti nella vita del Sr. Card.le Bellarmino*, propria manu; constat nn. 38. In Arch. Post. Gen. Rom.: *Bell.* 6°. — Erat M. Torti, theologus Papiensis, sacellanus Bellarmini annis 1603-1621. Tempore process. Rom. anno 1627 habet 51 annos.

— *Relat. II.* = *Depositioni del S.r Matteo Torti.* Constat nn. 66. In Arch. Post. Gen. Rom.: *Bell.* 6°.

Tromp Sebastianus, *Auctarii Auctaria*, in *AHSI*, III (1934), pp. 132-138; IV (1935), pp. 239-252.

— *De Bellarmini indice haereticorum*, in *Gregorianum*, XV (1934), pp. 187-214.

— *De Imagine perfecti oratoris sacri ad mentem S. Roberti Bellarmini*, in *Periodica*, III (1940), pp. 169-178.

De S. Rob. Bellarmini Contionibus Lovaniensibus, in *Gregorianum*, XXI (1940), pp. 383-412.

De Explanatione et Explanationibus S. Rob. Bellarmini in Ep. Paulinas in *Gregorianum* XXII (1941), pp. 353-360.

— *Explanatio dogmatica Bellarmini ad Rom. cap. I*, ibidem, pp. 361-379.

— *Sancti Rob. Bellarmini instructiones in visit. Eccl. Cath. de pastore et ovibus*, in *Periodica*, XXIV, 3 (1935), pp. 85*-103* et 109*-127*.

— *Sancti Rob. Bellarmini liber de Locis Communibus: Text. et Doc.*, Ser. Theol., 17, Romae, 1935.

— *Sanctus Bellarminus episcopus de frequenti Communione*, in *Periodica*, XXV, 2 (1936), pp. 57*-71*.

— *Sanctus Robertus Bellarminus de duello*, in *Analecta Gregoriana*, VIII (1935), pp. 147-159.

Sanctus Robertus Bellarminus de Communione frequenti, in *Periodica*, XXIII, 5 (1934), pp. 209*-217*.

— *Stus Rob. Bellarminus et B. Virgo*, in *Gregorianum*, XXI (1940), pp. 161-182.

Ubaldini, **Relat.* = *Al P. Jacomo Fuligatti del S.r Ugo Ubaldini, Canonico di S. Pietro*. Apographum constans 29 numeris. In Arch. Post. Gen. Rom.: *Bell.* 6º. — Inde a 1605 Ubaldini iuvat Bellarminum in administranda diocesi Politiana, cuius Episcopus, Ubaldini frater, nuntius pontificius in Gallia degebat.

Ughelli Ferdinandus, *Italia Sacra sive de Episcopatibus Italiae et Insularum adiacentium*. Tom. VI complectens Ecclesias Campaniae, Aprutii et Hispinorum. Romae, 1659; ed. 2ª, Venetiis, 1720.

***Visitationes Capuanae*, cf. Bellarminus.

**Vol. Iur.* = *Volumen Iurium formaliter extractorum et productorum in causa Romana V. Servi Dei Rob. C. Bellarmini a mense Sept. 1711 ad mensem Iulii 1712*. Codex manuscr. 229 foliorum. In Arch. Postul. Gen. Rom.

Wise, **Relat.* = *Relatio Andreae Wise* inde a 1593 Ordinis Hierosolymitani S. Ioannis Bapt. Magni in Anglia prioris; facta Neapoli die 12 iul. 1622, in Arch. Post. Gen. Rom.: *Bell.* 6º. — Inde ab anno 1600 Wise habitabat Neapoli. In processu Neapolitano anni 1625 habet circiter 70 annos.

* * *

Hucusque de subsidiis litterariis, tam editis quam ineditis, a nobis adhibitis vel in re nostra utilibus; subsidia autem, a Bellarmino ipso adhibita, in fine huius introductionis invenies. Iam de Bellarmino oratore in eius manifestatione triplici.

PARS PRIMA

De Bellarmino oratore

In hac prima sectione plura afferam, ut habeatur idea generalis laboris et industriae Bellarmini oratoriae. Separatim agam de Bellarmino praedicatore, instructore catechetico, exhortatore domestico. Quibus expeditis, alia documenta proponam, in quibus ipse Sanctus de munere oratoris sacri agit, ut lector videat, qualem sibi S. Robertus oratorem absolutum cogitaverit, et quatenus ipse Cardinalis perfectionis formam, sibimetipsi et aliis propositam, reapse attigerit. Erit igitur haec pars in quattuor sectiones divisa.

SECTIO PRIMA

De Bellarmino praedicatore

Quinque magnis periodis vita oratoria Bellarmini comprehenditur. Prima est illa quae praecedit mansionem Lovaniensem et in variis Italiae urbibus absolvitur; altera Lovaniensis est; tertia comprehendit annos priores romanos cardinalatus; quarta est Capuana et proprie pastoralis; quinta et ultima iterum Romae perficitur et clauditur definitive circa annum Domini 1613. Licet inter Lovanium et Capuam haud pauci fluxerint anni, tamen anni isti Bellarminum praedicatorem quasi intactum relinquunt, cum ea periodo sermones cesserint partim praelectionibus academicis, partim etiam instructionibus domesticis.

CAPUT PRIMUM

De periodo quae Lovaniensem praecedit

Est vox alata: poetam nasci, non fieri; fieri, non nasci oratorem. Quae certe in Bellarmino non comprobantur. Erat enim natus orator: praedicat vix usum rationis adeptus, praedicat moribundus in delirio febrili. Et legenti S. Roberti autobiographiam vix non subrepit cogitatio, Cardinalem suam quasi innatam eloquentiam considerasse ut charisma quoddam speciale.

Videamus iuventutem ante Societatis ingressum. « Adhuc pueruluS annorum, opinor quinque vel sex — ita ipse Sanctus in *Autobiographia* [1] — concionari solebat, et in inverso scabello, indutus linea veste, concionabatur de passione Domini ». Sed etiam extra domum pueris coaetaneis sermones parvos habebat. Quando enim ipsi conabantur Robertum secum ducere ad loca otiosa — ita Can. Ioseph Maccharini, qui Bellarminum puerum docuit musicam — Bellarminus ordinem invertens eos secum ducebat ad ecclesias ad eos alloquendos [2]. Adolescens autem circiter quindecim annorum prima vice donum sermonis demonstrat publice. Rem ipse iterum narrat in autobiographia [3]. Mos enim erat in Montepolitiano, ut prior confraternitatis primariae Sancti Stephani exhortationem faceret in feria quinta Coenae Domini. Anno probabiliter 1557 prior hanc exhortationem commisit Bellarmino. Et is ex materia sibi subministrata a Patribus Societatis Iesu orationem ipse composuit et memoriae traditam protulit ore et actione. Nec sine auditorum satisfactione; nam prima illa eloquentiae demonstratio ratio fuit, ut saepius deinde Bellarminus a priore compelleretur sodalibus verba facere, et quidem brevi solo spatio ad praeparationem concesso. Quae vero a Bellarmino narrantur, confirmantur a duobus testibus facti. Vincentius enim senex Patiuchelli, canonicus Politianus, et

[1] *Autobiographia*, cap. 2, p. 442.

[2] *Summar vet.*, p. 2. Cf. etiam testimonium Sac. Dom. Trafaccii in *Summ. add.*, p. 15.

[3] *Autobiogr.*, cap. 4, pp. 443-444.

olim Bellarmini sodalis in eadem congregatione, declarat[4], Bellarminum quasi singulis dominicis in sodalitio sermonem vel exhortationem fecisse; et cum hoc sene venerabili concordat longaeva soror Bellarmini Camilla, narrans fratrem in congregatione primaria saepissime sermones habuisse[5], idque quasi ex improviso[6]. Tempore immediate praecedente admissionem utriusque in Societatem Iesu Bellarminus et consobrinus eius Richardus Cervini frequenter degebant in villa nota Cervinorum, *il Vivo* quae nuncupatur. Ea occasione ambo (1559-1560) doctrinam christianam explicabant rusticis in ecclesiuncula pagi, teste ipso Roberto[7], et praedicta Camilla addit[8] fratrem suum tunc temporis sese semper exercuisse in praedicando, et hac de causa scandisse quercus atque ex iis habuisse sermones. Quae res non ignota erat Rectori Collegii Politiani, scribenti ad Patrem Laynez, Robertum in castello *il Vivo* nuncupato, praedicasse ad populum cum magna satisfactione[9].

Ex quibus omnibus clare elucet, Bellarminum inde a prima iuventute libentissime praedicasse, horrorem publice loquendi ei ignotum fuisse, eique artem loquendi ex tempore — cum brevi sola praeparatione - fuisse nativam. Accedit, quod iuvenis memoria gaudebat tenacissima. Sufficiebat ei sermonem, etiam si impleret unius horae spatium, semel legisse, ut eum firmiter teneret memoria fixum[10].

Quod ad novitiatum spectat et philosophiae triennium (1560-1563) non habeo quod dicam. Desunt fontes. Certum autem est tunc temporis etiam scholasticos philosophos ad mensam praedicare solitos, tum latine, tum italice, tum aliis linguis modernis[11]. Bellar-

[4] Patiuchelli. *Relat.* 4; cf. etiam *Summ.* add., p. 14.
[5] Cam. Bellarmini, *Relat.* 2.
[6] Cavalchini, n. 64.
[7] *Autobiographia,* cap. 6, p. 445.
[8] Camilla Bellarmini in processo Politiano: *Summ. vet.* p. 2 (3).
[9] Epistola rectoris apud Cavalchini, *l. l.* et *B. a. s. C.,* p. 23.
[10] *Summar. vet.,* p. 3 ex testimonio Bellarmini senis. Memoriam Bellarmini extollit Pater Eudaemon-Ioannes in *relatione* sua. Capuae Cardinalis sentit memoriam verborum decrescere, nondum autem memoriam factorum: *Summ. vet.* 93 (98-99).
[11] Cf. epistolam 30 iun. 1562: *B. a. s. C.,* p. 37: Praesente legato regis Hispaniae in refectorio philosophus primi anni sermonem facit

mino hoc exercitium non defuisse clarum est, eo magis, quia eum collegio Romano vix relicto, ascendere videmus pergamum ecclesiae cathedralis Florentinae.

Anno enim 1563 Bellarminus missus est docendae humanitatis causa Florentiam; et, ut ipse iterum notat in biographia sui [12], Florentiae non solum docuit adolescentes in scholis, sed iam exeunte anno 1563 [13] duas orationes easque latinas habuit in cathedrali ecclesia; evoluta vero hieme ex superioris iussu concionari coepit in dominicis et in festis post Vesperas, licet fuerit iuvenis non nisi 22 annorum, imberbis et sine ullis ordinationibus, immo sine prima tonsura. Narrat ipse quomodo in prima contione pia quaedam mulier semper manserit flexis genibus orando, quae quaesita cur hoc fecisset, respondit se, cum vidisset in suggestu adolescentem imberbem, timuisse ne continuo animo deficeret ignominia Societatis. Sed metus ille caruit fundamento. Nam — ita pergit ipse Robertus — tunc temporis maiori spiritu et audacia verba faciebat, quam postea cum esset senex, cum certus sibi videretur esse de memoria. Orationes autem Florentinas habitas fuisse cum plena satisfactione superiorum ex eo patet, quod cum in autumno anni 1564 a superioribus cum P. Marco peregrinatum mitteretur usque Camaldulum et montem Averniae et Vallem umbrosam, Bellarminus in itinere concionari debuit per pagos et oppida, dum P. Marcus audiret confessiones. Cum autem in montem Camaldulensem venissent, humanissime excepti sunt a Maiore, i. e. a generali Camaldulensium, qui eos per tres dies retinuit. Tertia die Maior ex improviso iussit, ut Bellarminus haberet exhortationem ad Patres. Quod invitus fecit et coactus. Venerandi autem senes attentissime audiverunt, et postea voluerunt osculari manus adolescentis, quod ille renuit [14]. Postea eremitae indesinenter ad invicem dicere solebant: « Nonne cor no-

---

triplicem: latine, italice, germanice (neerlandice); alius eiusdem anni italice tantum. In codice APUG 745 habentur septem orationes a scholasticis habitae in Coll. Rom. annis circ. 1604-1605. Confectae autem videntur a patre Fam. Strada.

[12] *Autobiographia*, cap. 8, p. 446.

[13] Adit Bellarminus Florentiam mense oct., cf. *B. a. s. C.*, p. 44-45.

[14] *Autobiographia*, cap. 8, p. 446-447.

strum ardens erat in nobis, dum loqueretur, et aperiret nobis Scripturas? »[15].

Quod ad periodum Florentinam refert, haec notes velim. Et quidem primum Bellarminum Florentiae docuisse rhetoricam[16], quo certe etiam melius intellexit technicam huius sacrae artis. Deinde eodem tempore etiam perfecte addidicit artem declamatoriam. Nam saltem una ex istis orationibus latinis in cathedrali habitis, praesentibus episcopo Ragusiae cum multis canonicis necnon famoso Petro Victorio cum turba magna aliorum litteratorum et humanistarum et latinistarum, plurimisque aliis, non erat sermo ipsius Bellarmini, sed Patris Fulvii Carduli; tamen ita orationem pronunciavit, ut docti isti putarent iuvenem ex tempore loqui et vendere farinam suam[17]. Tertium est maximi momenti. Testantibus enim Patribus Mutio Vitellescho et Eudaemon-Ioanne, Bellarmini intimis, Florentini qui audiebant Bellarminum, magnopere eum colebant, admirantes super doctrinam et virtutes ipsius[18].

Iure merito autem rogari potest: qualis et undenam haec doctrina? Verum est: oratio praedicta in cathedrali habita tota erat de laudibus scientiarum et de coniungenda pietate cum litteris[19], ideoque de materia non solum ab alio elaborata sed etiam non proprie theologica. Sed clarum est Bellarminum in aliis orationibus data opera de rebus divinis dixisse. Solutio nobis dat *dictatum* sic dictum *Toleti*. Absolute enim certum est, Bellarminum Florentiae transcripsisse ex dictatu confratris explicationem Toleti in *Summae Theologicae* Divi Thomae primam partem, et non solum transscripsisse, sed etiam transscripsisse studendo[20]. Apparet igitur eum vivide sensisse theologiae necessitatem.

Exeunte anno 1564 Robertus a superioribus mittitur in collegium

[15] Epistola Alph. Celini, abb. gen. Camald., ad Clem. XI; apud CAVALCHINI n. 67.

[16] Ep. rectoris ad P. Franc. Borgiam: *B. a. s. C.*, p. 45: Bellarminus nov. 1563 incipit tractatum de inventione.

[17] *B. a. s. C.*, p. 46. Cf. supra p. 17 not. 11 de scholasticis Coll. Romani.

[18] CAVALCHINI, n. 67.

[19] *B. a. s. C.*, p. 46.

[20] Vide quae scripsimus de mscr. Bell. in *AHSI, II* (1933), pag. 187-189.

Montis Vicii [21], ubi publice in universitate docere debet rhetoricam, in specie explicare Ciceronem, Isocratem et Demosthenem. Et licet in initiis ex graecis vix sciret aliquid nisi alphabetum, ita profecit, ut post annum doctores universitatis concurrerent ad eum audiendum. In festo autem Pentecostes anni 1565 invitus et quasi coactus a superioribus in ecclesia urbis principali habuit orationes triduanas, ex quo per totum triennium Montis Vicii praedicabat in Dominicis et speciali modo in Adventu et festis natalitiis Sanctorum. Immerito addit Bellarminus in *Autobiographia* superior de triduo Pentecostes scripsit ad Patres Romanos: « numquam locutus est homo, sicut hic homo » [22]. Quanti autem sermones Bellarmini haberentur extra Societatem patet ex eo, quod praedicationes tempore Adventus in cathedrali ecclesia factae fuerint ex instantia speciali Vicarii episcopalis [23]; patet etiam ex historia gratiosa [24] Patris Prioris conventus Dominicanorum, qui ad ianuam collegii Bellarminum, munere ianitoris fungentem, rogavit ut vocaret concionatiorem, et responso lepido accepto illum venire non posse cum iam adesset, Bellarminum quaesivit, ut ipse vellet publicare bullam pontificiam continentem indulgentias pro iis, qui eleemosynis adiuvarent capitulum generale futurum ordinis S. Dominici. Sic triduo solemni, praedicationibus Adventus, sermonibus dominicalibus, orationibus in festis Sanctorum sese iungit prima contio pro collecta facienda, genus sermonum, ad quod generatim (necessitas enim temporalis nonnumquam acrius sentitur quam spiritualis) vocantur optimi.

Periodus Monte-regalensis quodam sensu Bellarmino fuit definitiva. Res est tanti momenti, ut narrationem S. Roberto reliquam [25]. « Accidit autem illi ut forte legeret contiones Cornelii Bituntini Episcopi [26], et ad eius imitationem inciperet conciones scribere ad

[21] Mons Vicius seu Mons Regalis apud Subalpinos i. e. Mondovi: cf. *Mem. R. Bell.*, in *B. a. s. C.* p. 436.

[22] *Autobiographia*, cap. 10, p. 447. Vide etiam epistolas sept.-dec. 1564: *B. a. s. C.*, pp. 48-57.

[23] Ep. 11 dec. 1556 rectoris ad Franc. Borgiam: *B. a. s. C.*, p. 55.

[24] *Autobiographia*, cap. 12, pp. 448-449.

[25] *Ibid.*, cap. 11, p. 448.

[26] Cornr. Musso, *Prediche*, 3 vol., Venetia, 1599 et multa alia. Cf. Frocchi, p. 76.

verbum et recitare non sine magno labore; sed cum quodam die Natalis Domini post vesperas habuisset contionem valde elaboratam, et in quam memoriae commendandam aliquot dies consumpserat, significatum est a canonicis templi, sequenti die contionem habendam summo mane. Itaque pene desperabat, se concionari posse, cum ne unam quidem horam haberet ad concionem memoriae commendandam. Sed placuit Deo, ut numquam tam fructuose et tam libere et ex corde concionatus sit. Canonici enim dixerunt ei: Alias tu concionabaris, hodie angelus de caelo concionatus est. Ex illo tempore decrevit omnino ornamenta verborum dimittere, et sola puncta latine scribere, quod et fecit, praeterquam in concionibus latinis ». Addere possumus: Quod et fecit, ut clare demonstrat haec editio. Quae enim a nobis edu**ntur** sunt puncta magis (licet sensu valde amplo) quam sermones ad verbum exscripti, et quod curiosum est, etiam ubi agitur de contionibus pro hominibus simplicibus, puncta *latine* composita.

Dixi factum, modo narratum, fuisse rem quandam definitivam in vita Bellarmini oratoris. Quod apparet ex epistola Bellarmini iam senis 6 iun. 1625 ad Patrem Iul. Recupitum [27], in qua vehementer vituperat eum de sermone edito in honorem Beatae Theresiae [28], dicendo praedicatores, qui non praedicent utiliter sed vane, periclitari de aeterna salute, cum dent materiam vanae gloriae. Ad quod demonstrandum in memoriam revocat praedicationes pulchras in Monte Regali habitas, addens se huius rei semper valde poenituisse.

Cum praepositus provincialis, P. Adornus, Bellarminum audivisset praedicantem — praedicabat autem ibi, sicut angelus missus a coelo [29] — iudicavit bonum non esse , ut tamdiu differret studia theologica eumque iussit adire Patavium, ut audito cursu theologico deinceps solis concionibus vacaret [30]. Exeunte igitur anno 1567 ve-

[27] *Summ. vet.*, p. 35 (37).; Cavalchini, n. 68.

[28] Iul. Caes. Recupito, *Predica della B. Madre Teresa, fatta in Napoli nella chiesa de' Padri Scalzi con l'occasione della nuova beatificatione*, Napoli, 1614, 4°, pp. 52.

[29] Fuligatti, *Relat.*, p. 12.

[30] *Autobiographia*, cap. 12, p. 448.

nit adolescens Patavium; et vix duobus mensibus emensis studii theologici, Bellarminus iussu superiorum iam praedicat in templo, primum ante, deinde post prandium [31]. Sed non solum Patavii sermones habuit, sed etiam alibi. Tempore Bacchanalium anni 1568 Venetiis contionem fecit in conventu multorum nobilium, ubi disseruit contra choreas et insanias Carnevalium ad auditorium attentissimum atque ita satisfactum, ut multi ex senatoribus nobilibus manus ipsi deosculari vellent [32]; mense autem maio eiusdem anni occasione congregationis provincialis adest Genuae, non solum ad conclusiones theologicas defendendas, sed etiam ad concionandum. Inter alias ibi fecit die dominica post vesperas contionem ad frequentissimum auditorium; quam orationem fere totam desumpserat ex Basilii sermone in illud *Attende tibi* [33], bene sciens inter auditores paucos fore, qui furtum ex Basilio agnoscerent [34].

Cum ineunte anno 1569 Robertus destinaretur Lovanio ad cursum theologicum complendum et concionandum, iam die 24 octobr. anni praecedentis mandatum acceperat Belgii adeundi; sed cum Patavii in ecclesia S. Mariae Magdalenae modo inchoasset explicationem Psalmi *Qui habitat,* Patres Patavini aegre ferentes abruptum iri contiones istas avide auditas, a superioribus Romanis impetrarunt dilationem. Hac de causa finitis explicationibus, mense aprili profectus est in Belgium [35].

[31] *Ibid.*, cap. 13, p. 449.
[32] *Ibid.*, cap. 13, p. 449.
[33] *ML* 31, 198-218.
[34] *Autobiographia,* cap. 14, p. 449-450. Vide etiam *B. a. s. C.*, p. 58.
[35] *Autobiogr.*, cap. 15, p. 450; ep. Bell. ad Franc. Borg., nov. 1568: *B. a. s. C.*, p. 61. Anno 1606 die 2 nov. canon. Ioan. Bapt. Terzo, olim scholasticus S. I., Bellarmino scribit, se adhuc conservare sermones in Ps. 90, quos Patavii in ecclesia S. Mar. Magd. ex ore ipsius Roberti exceptos conscripserat.

CAPUT ALTERUM

Periodus Lovaniensis

Lovanii Bellarminus acquisivit concionator summos triumphos; accedit quod sermones ibi habiti pro maxima parte posteris sunt traditi. Quare usque ad nostra tempora indoles eloquentiae Bellarminianae quasi unice ex hac periodo considerata est.

Degit autem Bellarminus Lovanii per septem annos[36], scilicet 1569-1576; primo anno, omissis studiis aliisque occupationibus, solum concionabatur, sex annis intermediis theologiam professus est et praedicavit, ultimo anno iam sanitate debilitata, docuit tantum[37]. Coepit autem concionari die 25 iul. 1569 in festo Sancti Iacobi[38], in frequenti auditorio cum omnium plausu[39]. Cum verum sat durum videretur, quod ei nondum initiato sacris ordinibus, absque stola praedicandum erat — in Belgio sc. concionatores omnes stola erant ornati — die 25 martii anni 1570, in Sabbato Sancto simul et festo B. Virginis Annuntiatae Gandavi in crypta ecclesiae cathedralis a celebri Cornelio Iansenio seniori, exegeta famoso, sacerdos ordinatus est[40].

Concionabatur Bellarminus in templo S. Michaelis, hodie iam non exsistente[41], primo anno in dominicis et festis, annis autem sequentibus, (excepto ultimo, in quo non praedicavit) in dominicis

[36] *Autobiographia*, cap. 16-23, pp. 450-455.

[37] *Ibidem*, cap. 18, p. 451; Epist. P. Haarlemii ad P. Mercurianum, 14 oct. 1575, *B. a. s. C.*, p. 99.

[38] Cf. notam autogr. ipsius Bell. in ed. Lovan. 1615, APUG 386, p. 331 collato *Aubiogr.*, cap. 17, p. 451.

[39] Epist. P. Costeri ad Franc. Borgiam: *B. a. s. C.*, pag. 68.

[40] *Autobiogr.*, cap. 17, p. 451; Ep. 14 mai 1614 ad P. Carminata: *Racc. Carm.* n° 46. Cf. quae scripsimus in *Gregorianum*, XXI (1940), pp. 168-169, agentes de Bellarmino et B. M. Virgine.

[41] *Autobiogr.*, cap. 22, p. 454. In editione prima Lovaniensi falso scriptum est in approbatione ecclesiastica, conciones habitas fuisse « intra privatos collegii Lovaniensis parietes ». In exemplari, Bellarmino ex urbe Coloniae transmisso, APUG 386, correxit Bellarminus: « Lovanii in templo S. Michaelis ». Hanc mutationem etiam inculcat typographo Moreto in epist. 4 iul. 1615. Imaginem templi vide apud Fiocchi, p. 93.

Adventus et Quadragesimae et festis celebrioribus tantum[42]. Iam statim erat concursus frequentissimus, et quod magis est: concursus ille numquam minuit[43]. « Quanta esset frequentia auditorum, ita ipse Sanctus[44], potest inde colligi, quod cum finiretur contio, et per diversas portas auditores exirent, ita implebantur duae vel tres plateae, ut cives mirarentur, unde tot homines prodirent; dicebantur enim esse aliquot millia ». Quod confirmatur testimonio Patris Costeri, die 9 dec. 1570 ad P. Generalem scribentis[45], tempore Adventus templum fuisse refertum, et aliquot millia confluxisse; nec minus relatione Andreae Wise, equitis Hierosolymitani et magni prioris Angliae, qui iam pene septuagenarius testatus est[46], se iuvenem 19 annorum novisse Lovanii Bellarminum, et saepe saepius audivisse eundem summa cum laude contionantem in templo Sancti Michaelis, tanta auditorum multitudine illuc confluente, ut eos templum non caperet; famamque tum publicam fuisse, multos haereticos ex Anglia et Batavia ad Bellarminum videndum commeasse, eoque audito fuisse ad orthodoxiam conversos. Narravit quoque praedictus prior, aliis attestantibus[47], in praedicationibus Bellarminum nonnunquam splenduisse ut angelum.

Praeter conversiones ad veram catholicam fidem, nec alii fructus defuere, ut morum mutationes et continuae vocationes religiosae. Audi testimonium Patris Sailly S. I.[48], qui nobis ipse ocularis testis describit, qualis fuerit orator Bellarminus, quo spiritu fuerit raptus, quid sancta eloquentia patraverit: « Lovanii, ita ille, anno 1570 illum in S. Michaele, incredibili hominum doctissimorum concursu, ita verba facientem audivi, cum nondum esset sacerdos, ut quasi angelus quispiam in concionatoria sede multorum oculis com-

[42] Epist. P. Costeri 4 iun. 1570 ad Fr. Borgiam: *B. a. s. C.*, p. 73.

[43] Epist. Bellarmini 8 iun. 1575 ad P. Mercurianum: *B. a. s. C.*, p. 96.

[44] *Autobiogr.*, cap. 22, p. 454; Ep. Bellarmini 25 iul. 1600 ad Univers. Lovan. (*Annuaire de l'Univ. de Louvain* pp. 167-168): « tanti concursus auditorum, ut ego ipse mirarer ».

[45] *B. a. s. C.*, p. 75.

[46] *Summ. addit.*, n° 6, p. 43; Cavalchini, n. 69; Epist. fac. theol. Lov. 24 febr. 1713 ad Clem. XI: *B. a. s. C.*, p. 75-76.

[47] Fuligatti, *Relat*, p. 14.

[48] Cf. *Annuaire de l'Université de Louvain*, anno 1841, pp. 169-170.

pareret, ac ita efficaciter dicere, ut semper aliquot studiosos, scilicet nunc sex, nunc septem, aliquando quindecim ad deserendas mundi fallacias compelleret, qui collegium nostrum appetentes, et ibidem spiritualibus exercitiis formati, varios ordines elegere. Cum interdum per duas horas oraret, nemo in tanto auditorio fatigabatur. Quo tempore praedixit ruinas patriae, quae postmodum acciderunt. Post contionem habebatur quod agerent confessarii varii, ut in retia Domini multos non vulgares, sed magnos pisces pertraherent. Vidisses plurimos pugillaribus [49] instructos, qui singula verba exciperent [50]. Ego inter illos fui minimus ». Hucusque P. Sailly, quem an suam quoque ad Societatem vocationem debuerit Bellarmino ignoro. Certum tamen est ex vocationibus, Bellarmini voce excitatis vel roboratis, nec Societati Iesu suam partem defuisse [51].

Fructus autem spirituales contionum nec ipsi Bellarmino manebant ignoti. Ipse nobis narrat [52] ob sermonem habitum in Commemoratione omnium Defunctorum [53] magnum motum poenitentiae exstitisse; nec minus occasione contionis dominicae infra octavam Corporis Domini [54] multos fuisse confirmatos in fide SS. Eucharistiae vel etiam ab errore conversos [55]. Notat quoque Robertus, multa quae in contionum laudem dicebantur, rationem fuisse cur Lovanienses aegre tulissent sui ipsius reditum in patriam, et cur peteretur tum a S. Carolo Borromaeo tum a Parisiensibus [56]. Quod Bellarmini testimonium confirmatur commercio litterarum tunc temporis facto inter S. Carolum et superiores Societatis Iesu [57], necnon

[49] Pugillares codices vel libelli.

[50] Quam vera sint docent mox dicenda p. 27.

[51] Cf. epist. P. Costeri 9 dec. 1570 ad Generalem S. I.: *B. a. s. Card.*, p. 75.

[52] *Autobiogr.*, cap. 23, p. 454.

[53] Est contio de morte, prima ex quattuor de novissimis. In exemplari *Cont. Lov.*, manu propria a Bellarmino correcto, APUG 386, haec nota autographa legitur: « Haec concio habita est in Comm. omnium Defunctorum, die 2 nov. » anni scilicet 1569, ut patet ex epistola die 2 dec. illius anni data ad S. Franc. Borgiam: *B. a. s. C.*, pp. 70-71.

[54] Contio 37 ex editis.

[55] *Autobiogr.*, cap. 23, p. 454.

[56] *Ibid.*, l. l.; iudicia superiorum S. I. vide *B. a. s. C.*, pp. 75 et 86.

[57] Cf. epistolas plures: *B. a. s. C.*, pp. 78-83; 87-89; 100-101.

epistola die 24 febr. anni 1713 a Facultate theologica Lovaniensi data Clementi Pp. XI [58] pro beatificatione Bellarmini obtinenda. In documento ultimo Lovanienses in memoriam revocant, praedicante Roberto talem concursum fuisse, ut loci vastitas numero par non esset; et tantum apostolicum fructum, ut haud pauci haeretici ad veram fidem reducti fuerint, praesertim eo tempore, quo per octavam SS. Sacramenti Bellarminus realem Christi in Eucharistia praesentiam ex Scriptura et Patribus planissime plenissimeque demonstrasset. Ista Lovaniensium epistola, quasi saeculum post Bellarmini mortem data, eo facilius intelligitur, quo melius prae oculis habetur, quod ad praedicationes Bellarmini magno numero confluxerunt non soli alumni, sed etiam ipsi Lovanienses doctores, publice attestantes, se numquam parem illi praedicatorem audiisse [59].

Famam Bellarmini Lovanii post longum tempus permansisse etiam in *Memoriis* suis Cardinalis Guidus Bentivoglio [60] testatur, qui annis 1607 usque ad 1615 munere nuntii apostolici fungebatur in urbe Bruxellensi: « Tempore nuntiaturae meae Bruxellensis, ait, multi adhuc in vita erant, qui Bellarminum viderant semetipsum aemulantem in operibus mirabilibus, in dubio ambigentes, utrum cathedrae an pulpita maiorem famam maioremque fructum attulissent; in pulpito verum eum dedisse specimina incredibilia rarae eloquentiae ac doctrinae, sicut et zeli apostolici ac pietatis, per multos annos praedicantem lingua latina, et tali quidem claritate et facilitate, ut videretur oratorio studio nutritus natusque ad tale officium ».

Ex praedictis ni fallor haud obscure elucet Bellarminum a sui temporis hominibus inter oratores maximos habitum fuisse. Quod etiam indirecte triplici argumento apparet.

Et ratio prima quidem est, quod iuvenis ille apparenter procerus, quia in suggestu quod deerat staturae suppleret scabello suppedaneo [61], ita de more auditorium suum tenebat attentum, ut nonnumquam praedicationem suam per duas horas extenderet, et qui-

[58] *B. a. s. C.*, pp. 75-76.
[59] *Relatio Patris Belgae e S. I.*: Bibl. Sem. magni Gandav.
[60] *Memorie*, Venetia, 1648, I, cap. 7, pag. 122; apud Cavalchini, n. 69.
[61] *Autobiogr.* cap. 22, p. 434.

dem teste Patre Sailly absque ullius in tanto auditorio fatigatione[62]. Quod sermonibus editis confirmatur. Sunt enim inter conciones Lovanienses haud paucae valde extensae, duplici parte constantes. Accedit, quod tempore Adventus anni 1571 et Quadragesimae anni subsequentis, Bellarminus sermonibus iis, quibus explicabatur dominicae respectivae epistola[63], post paucum intervalli addebat sermonem sat longum de argumentis, quibus demonstratur rationabilitas fidei. Quod alio loco de fontibus sermonum Lovaniensium disserens, argumentis solidis demonstravi[64].

Secunda ratio, eaque non sine gravi consequentia pro origine editionis primae Lovaniensium, in eo est quod haud pauci auditores in ecclesia Sancti Michaelis sermones Bellarmini ad litteram ex ipsius ore receptos conscribere solebant. Quod non unico testimonio constat. Nam primum notat P. Sailly loco iam antea citato[65], in ecclesia S. Michaelis fuisse, qui pugillaribus instructi singula verba exciperent, quos inter ipsum etiam relatorem. Idem deinde narrat Pater quidam e Societate Iesu anonymus[66], asserens multos in templo contiones Bellarmini excepisse, orationesque sic conscriptas commendatas fuisse pro universitatibus. Multi quoque erant qui invidiose custodiebant codices manuscriptos. Praemonstratenses Lovanienses ex autographis Bellarmini sibi codicem confecerant, ut is ad mensam praelegeretur[67]. Ex epistola autem Dulmenii ad Bellarminum[68] videmus Patrem quendam Dominicanum optimum exemplar habuisse in ecclesia confectum; ex epistola Bellarmini ad Patrem Contzen[69], Romae apud Bellarmini confessarium, Patrem Roccam dico, conservatos fuisse duos codices. Accedunt bibliothecae Belgii, quae praedicta testimonia corroborant. In bibliotheca

[62] Cf. *Annuaire de l'Université de Louvain*, supra pp. 24 et not. 48.
[63] Sunt in editis sermones 2, 4, 6, 8, 13, 16, 18, 22, 24, 25.
[64] Cf. *Gregorianum*, XXI (1940), pp. 402-405.
[65] Cf. supra pag. 24-25.
[66] *Relatio* conservata in bibl. Sem. magni Gandav.
[67] Cf. *Epist. famil.* 94 et 185. Apographon illud, eheu, iam non invenitur.
[68] Epist. anni 1610: Arch. Vat.: *Gesuiti*, 18, fol. 26.
[69] Epist. 15 apr. 1614: Münster, Staatsarch.: *Iesuitica in genere*, XIX, n. 324.

enim regali Bruxellensi in codice cat. 1736, invent. 3443-3445 conscripti inveniuntur sermones duodecim *de argumentis fidei*, sermones 12 *in Psalmum « Qui habitat »*, necnon sermones octo *de Tribulatione*. In eadem bibliotheca codex catal. 1738, invent. 4078 conservat sermones *habitos anno 1571* contionesque praedictas *in Psalmum 90*. Brugis quoque in bibliotheca publica adsunt in codice 544 orationes *habitae anno 1573* post Lovanii oppugnationem a principe Arausiaco; et in eiusdem urbis bibliotheca episcopali mscr. 10 et 29 thecae 10ae conservant respective *orationes varias* aliasque *ad clerum Lovaniensem a prima dominica adventus anni 1571* [70]. Codices autem in ecclesia excepti non solum multiplicabantur, sed etiam adaptabantur simplicibus et monialibus ope versionum, quarum quaedam hucusque conservatae sunt [71].

Tertia ratio est labor multorum annorum, quo typographus Coloniensis Ioannes Crithius sub signo Galli meliores codices ex *exceptis* vel *reportatis* [72] quae vocantur collegit, et ex iis aliisque postea ex Urbe acceptis, cura prius Ioannis Dulmenii, s. theol. lic. [73], deinde Simonis Ryckii, ex conventu Moguntino FF. Minorum, editionem primam *Sermonum Lovaniensium* confecit. Nec sine lectorum copia. Nam vel ipso Bellarmino vivente, post primam et secundam editionem Coloniensem anni 1615, iam eodem anno 1615 sequitur editio Lovaniensis, anno 1617 editio Veneta, editio Cameracensis et editio tertia Coloniensis, anno 1619 editio Duacensis. Quibus editionibus iteratis accedit iam anno 1616 versio germanica, a praedicto Crithio Coloniae in lucem edita [74].

Huius loci non est de valore editionis primae et subsequentium disserere. Adeat lector quae alibi de hac materia conscripsi-

[70] Vide quae scripsimus in *AHSI*, III, (1934), p. 136 et in *Gregorianum*, XXI (1940), p. 390.

[71] Cf. L. van Miert S. I., in *Studiën* 56, II (1924), pp. 102-114.

[72] *Excepta* vel *reportata* sunt manuscripta ex ore loquentis confecta. Etiam *dictata* vocantur.

[73] Dulmenius ingressurus Societatem, curam tradidit Ryckio.

[74] Cf. Sommervogel, I, 1228-1229, et VIII, 1805, ubi indicatur iam anno 1586 fuisse editam versionem neerlandicam sermonum *de Novissimis* Lovanii apud I. van den Boogaerde, in biblia aurea, et anno 1605 de novo typis excussam.

mus [75]. Hoc solum noto, ibi argumento apodictico probatum esse, orationes Lovanienses, prout exstant generatim in editis, quasi ad litteram referre ipsum Bellarmini autographon, pro parte maxima deperditum. Inde tria deduci possunt pro re nostra non levia documenta:

1° Bellarminum scripsisse sermones Lovanienses usque ad iotam ultimam; et deinde sermones sic conscriptos ad litteram memoriae tradidisse [76].

2° Bellarminum conciones suas protulisse vocis dictione valde distincta, clara, nitida.

3° Inter eos, qui in ecclesia Sancti Michaelis codices ex auditu confecerint, fuisse qui nulla ratione superarentur a moderno tachygrapho, licet capacissimo [77].

Et haec de fama fructuque contionum Lovaniensium sufficiant. Ut hanc partem claudam, offero (post p. 32) conspectum chronologicum iam antea a me editum in *Gregorianum* vol. XXI anni 1940. In conspectu isto specialiter attendendum est ad duplicem seriem contionum annorum 1571-1572, nec minus ad verba ultima: « Anno liturgico 1574-1575 sermones desunt ». Iure rogari potest, cur eo anno desint. Facillima quidem responsio est, codices illorum sermonum vel non exstitisse, vel periisse, vel a Crithio c. s. non fuisse inventos [78]. Sed forte alia ratio verior est, scilicet Bellarminum eo anno iam fatigatum orationes protulisse iam antea habitas. Haec solutio non est mera coniectura sine fundamento. Certum enim est Bellarminum die 18 dec. 1569 habuisse contionem quintam de novissimis, quae est *de miseria naturae humanae*. Et enim in bibliotheca Collegii S. I. Firmani (Fermo) auctoribus

[75] *De S. Rob. Bell. contionibus Lovan.*, in *Gregorianum*, XXI (1940), pp. 383-412.

[76] Cf. quae supra vidimus p. 17 de felicissima Bellarmini memoria.

[77] Simili charismate donati erant quidam scholares Bellarmini Lovanienses, ut patet comparanti dictata quae exstant in bibliotheca regali Bruxellensi cum autographo *Comm. in Summ. Theolog.* S. Thomae. Cf. *AHSI*, IV, 1935, p. 241.

[78] Mazzucchelli, II II, p. 651 loquitur de quibusdam sermonibus ineditis in Collegio S. I. Senensis S. Vigilii; sed nullo modo constat eos fuisse Lovanienses.

PP. de Backer I, 510 et Sommervogel I, 1229 [79] aderat codex quidam Miscellaneorum B v 65, in quo inveniebatur praedictus sermo cum magno fragmento, quod in editis desideratur, et hac notula finali: « Questa concione fu fatta dal P. Roberto Bellarmino Teologo della Comp. di Gesù nella città di Lovanio già saccheggiata dagli Eretici e inondata dal fiume [80] circa l'anno 1573 ». Etiam P. van Miert observavit [81] in antiqua illa editione neerlandica (1586!) *sermonem quattuor de novissimis necnon de miseria humanae naturae* plura fragmenta maiora inveniri, quae desint in latinis. Quae facta bene explicari non possunt, nisi in suppositione unum eumdemque sermonem pluries fuisse prolatum.

Rogari etiam potest num Bellarminus etiam extra urbem Lovanii praedicaverit. Respondendum videtur negative. Nam Neerlandicae linguae Bellarminus non erat peritus; sermones autem latini non facile fiebant extra civitatem academicam. Verum est eum ad Italos per Belgium sparsos sermonem facere potuisse. Sed rogatus ut Antverpiae ad Italos lingua toscana verba dirigeret, abnuendum existimavit [82], tum ob nimias alias occupationes, tum maxime ob confessiones sermonibus annexas: erant enim Itali isti pro maiore parte mercatores, qui in re pecuniaria valde distabant ab ideis Bellarminianis [83].

Sed iam hora est, ut quaestionibus istis in pace relictis, cum

[79] Ipsi citant Mazzucchelli, II II, p. 651.

[80] Diliae inundatio locum habuit die 8 ian. 1573.

[81] Cf. *Studiën* 56, II (1924), p. 111-113.

[82] Cf. Epist. P. Harlemii 15 oct. 1574 ad P. Mercurianum: *B. a. s. C.*, p. 89.

[83] Cf. *B. a. s. C.*, pp. 89-90. Respondens 27 iul. 1618 Bernardino Iustiniano, Bellarminus tunc iam senex scribit se olim Lovanii explicasse tractatum de cambiis; venisse Lovanium mercatores italos ex urbe Antverpiae, ut hac de re Robertum audirent disserentem; eos post scholam dixisse Bellarmino ipsorum praxin longe distare a Bellarmini theoriis; res financiarias dein esse tam complicatas, ut mercatores facile casus suos tali modo possent proponere, ut confessarius iudicaret verum, quod reapse esset falsum. In posterum se, Bellarminum, abstinuisse ab hac materia explicanda, nec audivisse confessiones mercatorum. Cf. Arch. Vatic.: *Gesuiti* 17 fol. 280-281. Notandum est illos Italos Antverpiae Bellarmino teste difficiles et querelosos fuisse, ac prorsus diversos ab italis in patria, cf. *B. a. s. C.*, p. 96.

Bellarmino aegrotante Lovanio valedicturi nosmetipsos ad iter transalpinum accingamus [84], et breviter expeditis annis 1577-1599 dicamus de cardinalatus initio.

CAPUT QUARTUM

Transitus ad Cardinalatum

Die 25 augusti anni 1576 Bellarminus, absoluta quaestione septima partis tertiae *Summae* Aquinatis, in codice suo autographo haec notat [85]: « Hic finem feci docendi Lovanii die 25 augusti, cum docuissem annos sex. Deo Gratias ». Die 1 sept. Romam proficiscitur [86], et die 22 nov. eiusdem anni cum oratione publica inaugurali in Romano Collegio prolata incipit controversiam de Verbo Dei [87]. Controversiae autem explicandae, et inde ab anno 1584 edendae ita totum Bellarminum occupant [88], ut usque ad annum 1589, quando cum legato Pontificio in Galliam pergit [89], a publicis concionibus in ecclesia (non autem ab instructionibus et exhortationibus domesticis) vacet [90], si excipis orationem de Passione Christi, quam nuper ex Belgio redux, anno 1577 in Parasceve habuit coram Summo Pontifice.

[84] Cf. *Autobiogr.*, cap. 23 p. 454 cum notitia ad calcem. Aegritudini accessit desiderium patriae, cf. *B. a. s. C.*, pp. 101-102. Etiam Gregorius Pp. XIII videtur reditum viri tam sancti et eruditi postulasse. Andr. Wise dicit in sua relatione facta Neapoli die 14 iul. 1622: « Quae (laudes Bellarmini) cum ego Iacobo Card. Sabello, Gregorii XIII... vicario, anno iubilaei 1575 narrassem, author fui ut Sabelli rogatu Everardus Belga Soc. Iesu praepositus generalis Bellarminum in Italiam accerseret ». Vide etiam *B. a. s. C.*, pp. 101-102, et Bartoli, I, cap. xi pp. 70-71.

[85] APUG, 381 D, fol. 148r.

[86] *B. a. s. C.*, p. 102.

[87] Oxford: Cod. Bodl. 639, fol. 1r: Mediol.: Cod. Braidens. AD xi, 48, fol. 1.

[88] Docuit Bellarminus controversias per 11 annos, ergo usque ad finem anni scholastici 1577, cf. *Autobiogr.*, cap. 24, p. 455. Scribere incipit, teste *autobiogr.* l. l. circa 1584. Pars prima Controv. lucem vidit anno 1586; pars altera 1588; pars tertia post reditum e Gallia anno 1593.

[89] Cf. *Autobiogr.*, cap. 25, p. 455-456.

[90] Cf. Cavalchini, n. 69.

Accedit, quod experientia Lovaniensis nimis clare anno ultimo probaverat, contionatorem publicum cum professore publico absque sanitatis detrimento nimis diu constare non posse[91]. Finita autem legatione Gallica usque ad cardinalatum ineundum, Bellarminus anno 1590-1592 est praefectus spiritualis in Collegio Romano[92]; 1592 exeunte usque ad finem anni 1594 ibidem rector; 1594 usque ad initium anni 1597 praepositus provinciae Neapolitanae; annis 1597-1599 theologus pontificius et consultor S. Officii, dum mense febr. 1599 nominatur rector poenitentiariae[93]. Quod si eo tempore praedicaverit publice, certe rarissime. Licet antea aliter iudicaverim[94], id solum nobis constat, Bellarminum modo ex Belgio reducem in die Sancto Parascevis anno 1577 in sacello pontificio sermonem praedictum de passione Domini habuisse coram Gregorio Pp. XIII[95].

Iam igitur accedamus ad eos annos priores vitae cardinalitiae, qui archiepiscopatum Capuanum praecedunt.

CAPUT QUINTUM

Cardinalatus initium

Curae multae, disturbantes simul et clamorosae, quae quasi necessario concomitantur elevationi ad purpuram, et S. Roberti temporibus infinite superabant hodiernas, visitationes innumerae, epistolae creberrimae, constitutio familiae cardinalitiae[96], adapta-

[91] Cf. *Autobiogr.*, cap. 23, p. 454; epist. P. Harlemii ad P. Mercur., 2 aug. 1575: *B. a. s. C.*, p. 99.

[92] Bartoli, II, cap. 2, p. 129; *B. a. s. C.*, pp. 311 et 332.

[93] *Autobiogr.*, cap. 24-32, pp. 455-459; *Memor. C. Bell.* relatae *B. a. s. C.*, pp. 436-437.

[94] *Gregorianum*, XXI (1940), pp. 179-180. Plura in introductionibus specialibus.

[95] *Oration. 50 de morte Christi*, p. 43 et in indice praevio sub voce *R.*

[96] Licet tunc temporis parva haberetur, constabat tamen circiter 30-40 personis. Cf. Ep. 16 iul. 1599 ad P. Carminatam: *Racc. Carm.*, 2, et notam oblatam P. Generali S. I., apud Fuligatti, *Vita*, cap. 19, p. 152.

tio palatii multaque alia: sua natura excludere videntur, quominus Bellarminus anno 1599 praedicaverit. Tamen fecit.

Quod non unico sed triplici constat testimonio. Sunt enim testes Bellarmini nepos Marcellus Cervinus[97]; Bellarmini caudatarius et eleemosynarius, fidelis Alexander Iacobelli[98], qui per 21 annos Cardinali fuit addictus; Bellarmini coaetaneus et primus biographus, P. Iacobus Fuligatti S. I.[99]. Uno ore affirmant ab ipso initio Cardinalatus Bellarminum praedicasse diebus festis et dominicis Adventus cum magna aedificatione et concursu populi in ecclesia titulari S. Mariae in Via. Quod non solum explicatur ex Bellarmini naturali propensione ad ministerium verbi, sed etiam ex quadam quam sentiebat obligatione erga ecclesiam sibi in titulum assignatam. Nam mox post elevationem ad purpuram assignato titulo[100], sibi quaestionem movet, num in ecclesia titulari, quae parochialis erat, ad animarum curam teneatur. Cum autem ecclesia esset commissa fratribus Ordinis Servorum ea conditione, ut prior per monachum a se indicandum parochiam gubernaret sub directa iurisdictione Cardinalis Vicarii, ad modum aliarum parochiarum, hanc quidem quaestionem negative solvisse videtur[101], non tamen ita, ut ipsa ecclesia sibi foret unice in titulum dignitatis. Quidquid id est: ex analysi chronologica contionum plane Iacobelli et Fuligatti et Cervini testimonium confirmatur. Certe enim in manuscriptis adsunt 4 orationes habitae Adventu 1599; certe adsunt 4 orationes Adventus anni sequentis[102]; necnon oratio habita in festo B. M. V. Assumptae anno 1599[103]. Accedit oratio in honorem S. Ignatii, quae tamen habita est in ecclesia Nominis Iesu, eodem anno primo cardinalatus, die festi 31 iulii, et quodammodo

[97] Cervinus, *Adumbr. Imago*, p. 27.

[98] Iacobelli, *Relat.*, n. 31.

[99] Fuligatti, *Vita*, cap. 23, p. 201.

[100] Ecclesia titularis iam nominatur in ep. 18 mart. 1599 ad fratr. Thomam: *Opp. NN.*, 244.

[101] *Bellarmini quaesitum: an Card. S. Mariae in Via teneatur ad curam animarum*, invenitur in *Auct. Bellarm.*, p. 499 et infra p. 161.

[102] Cf. introductiones speciales suo loco.

[103] Annum ipsum indicavit Bellarminus.

dedit initium cultui magis minusve publico Societatis Iesu fundatoris [104]. Nec desunt sermones anni 1601.

Conservata quoque est series sex sermonum quadragesimalium, quae absque ullo dubio ad initium cardinalatus est referenda. Et quamquam ob argumentum, quod primo intuitu videtur apodicticum, habiti videntur anno 1599, i. e. in primo mense cardinalatus Bellarminiani; nec in Bellarmini vita alia facta desunt, in quibus applicari potest illud:

Omnia iam fiunt, fieri quae posse negabam,

tamen gravi de causa illos sermones anno sequenti 1600 attribuendos existimo [105]. At, sive sint anni 1599, sive anni 1600: circa viginti sermones, qui nobis restant ex hac prima cardinalatus periodo, luculenter demonstrant Bellarminum cum purpura non amisisse charisma sermonis.

CAPUT SEXTUM

Periodus Capuana

Si Bellarmino praedicare erat deliciis, ei non defuere deliciae Capuanae!

Die 2 mart. anni 1602 in consistorio proclamatus archiepiscopus Capuanus, die 21 apr. in dominica altera post Pascha a Pontifice consecratus pastor et doctor, die 23 eiusdem mensis pallio a Papa ornatus, die Sabbato 4 mai solemniter Bellarminus intrat Capuam, ubi a multitudine magna cleri et fidelium, oratione habita a syndico et iurisconsulto Iulio Caesare Imbriano, ingenti gaudio acclamatur. Praecedebat enim Sabbatum illud dominicam pri-

[104] Cf. *Exhort. Dom.*, pag. 309; Epist. 6 aug. 1599 ad P. Carminata: *Racc. Carm.* n. 3; *Act. SS.*, Iul. VII, p. 604. Plura in introd. speciali ad *Sermones de sanctis*.

[105] Cf. introductionem specialem ad *Sermones quadragesimales* et *adventus*, infra pp. 154-156.

mam mai, qua Capuae tunc temporis celebrabatur festum translationis S. Stephani, Ecclesiae Cathedralis patroni primarii, et simul habebatur synodus diocesana. Anno autem 1602 non solum urbs plena erat gente undique ex diocesi advecta, sed erat plenissima. Celebritati enim annuae accessit fama novi pastoris. Quare die dominica 5 mai, cum novus Episcopus missam cantaret pontificalem, indulgentiam proclamaret plenariam, et ritu solemni in processione portaret brachium S. Stephani, ecclesia cathedralis tam conferta erat fidelibus, ut ne canonici quidem locos sibi debitos occupare possent, choro quoque impleto turba fidelium. Post meridiem in Synodo novus Pastor confirmat acta concilii praecedentis [106].

Postquam iam die 6 mai habuit exhortationem ad Capitulum [107], mox in festo Ascensionis Domini, die 16 eiusdem mensis primum dirigit sermonem ad populum, quem dein sequentur alii perplures, tum in cathedrali ecclesia, tum in omnibus pagis dioceseos, quam ter in tribus annis Episcopatus fideliter visitavit [108].

Multa praeclara Bellarminus Capuae fecit: ad rem nostram unice spectat continuum concionatoris officium. Hoc autem officium episcopo existimabat ipsa missione impositum, ut antea iam docuerat, nec postea docere desinit unquam. Videri possunt *Controversiae* [109]; *Admonitio ad Episcopum Theanensem* [110]; opusc. *de gemitu columbae* [111], alia. Iam morti proximus scribit Dionysio Stoffels [112], olim familiari et sacellano, nunc electo episcopo Bru-

[106] *Autobiogr.*, cap. 35-36, p. 461; Epist. 18 mai 1602 ad fratrem Thomam: *Opp. NN.*, 244; Epist. Clementis VIII die 8 iun. ad Bellarminum: in *Vol. Iurium*, f. 301; Menicilli, *Relat.*, 1; Monaco, *Sanct. Capuanum.*, p. 294: in *Summ. addit.*, p. 154; Fuligatti, *Vita*, cap. 21, p. 171-173; Imbrianus, *Orat. ad Bell.* habita IV Non. mai 1602.

[107] *Conclusioni Capitulari* dell'anno 1601-1610: die lunae 6 maii 1602 post Vesperas: « l'ill.mo Card. dopo molte belle parole exortatorie al cap.lo ».

[108] *Autobiogr.*, cap. 35, p. 461.

[109] *De clericis*, I, 13; *de sacr. confirm.*, II, 12.

[110] Cap. III, in *Auct. Bellarm.*, p. 646-647.

[111] *De gemitu columbae*, II, cap. 5.

[112] Epist. 20 apr. 1621: *Epist. fam.*, 178.

gensi: « Non eris ex illis, qui in episcopatu magni faciunt opes et honores, negligunt autem curam animarum, et studium orandi et concionandi, de quo S. Petrus ait: Nos orationi et verbo Dei instantes erimus ». Episcopus, qui non concionatur, Bellarmino est contradictio in terminis, et in libello *de Gemitu columbae* ad obiectionem: « alia sunt tempora, alii mores » brevissime replicat: « Ita est; alia sunt tempora, alii mores, sed non alia obligatio! » Quod confirmat cum verbo consecrationis: « Accipe Evangelium: vade et praedica populo tibi commisso », tum exemplo S. Caroli Borromaei, qui licet iurisprudentiae opus dedisset et usum concionandi non haberet, insuper et linguae impedimento laboraret, tamen ex Christi amore difficultatibus omnibus superatis, uberrimo cum fructu usque ad mortem praedicavit[113].

Statim novus Archiepiscopus suam episcopalis muneris quam habuit sententiam Capuae comprobavit factis. Nam licet ibi erat consuetudo, ut in cathedrali non haberentur conciones nisi in dominicis adventus et omnibus diebus quadragesimae[114] — in quadragesima autem ipsi magistratus Capuani ex iure quodam antiquo famosum quemdam invitabant praedicatorem[115] — tamen ipse statim concionari coepit in festis natalitiis Sanctorum, et per totum fere annum dominicis omnibus, in ipsa civitate, vel in pagis tempore visitationum[116]. Haec autem ininterrupta et indefessa assiduitas oratoria nobis affirmatur multiplici testimonio[117].

Eadem testimonia nos certiores reddunt, quo tempore diebus dominicis praedicaret. Primum ut protocanonicus[118] assistebat

[113] *De gemitu columbae*, loco laud.; Epist. dec. 1604 ad Clem. VIII: *Opp. NN.*, 243, fol. 170; Fuligatti, *Vita*, cap. 11, p. 174.

[114] Cf. Serm. de evangel. in dominica Sexages. et Quinquages.; vide etiam *Contiones Lovanienses*, 22 in dom. 1 Quadrages.

[115] Cf. epist. ad P. Carminata, 16 mai, 17 iun., 2 iul. 1603: *Racc. Carm.*, nº 11, 12, 13; Iacobelli, *Relat.*, n. 23.

[116] *Autobiogr.*, cap. 36, p. 461.

[117] *Summ. vetus*, pp. 11-16; Menicillo, *Relat.*, 5 et in *Summ. addit.*, p. 56; Scipio Forgillus in *Summ. addit.*, pp. 54-55; Cyprian. Theat., *Relat.*, 11; Anello Polio, *Relatio;* Guidotti, *Relatio;* Torti, *Relatio*, II, 20 et 30; Iacobelli, *Relat.*, 20 et 23; Patarini, *Relat.*, 13; Monaco, *Sanct. Cap.*, in *Summ. addit.*, p. 154; Cavalchini, n. 71.

[118] Capuae Episcopus erat primus Canonicorum: *Autobiogr.*, cap. 37, p. 462.

matutinis in choro [119]; deinde Missae cantatae in cappa pontificali [120]; mox dum canonici horam tertiam persolvebant, ipse celebrabat Sacrum [121], quo finito ascendebat pulpitum [122], ut sedens in solio tegumento rubro quod erat coopertum [123], per integram horam verba ad populum dirigeret [124]. Ut autem melius praedilecto suo officio fungi posset, novum pulpitum, ex marmoribus pretiosis elaboratum, erigendum curavit [125]. In pagis autem, sede advecta, loquebatur ex altari maiori, vel si altare nimis demisse situm erat, parochi pulpitum ascendere non dedignabatur, quo honore pulpita S. Prisci et Grazianisii gloriantur [126].

In ipsa urbe Capuae Bellarminus praeter sermones in visitatione cathedralis, in synodis quattuor, in solemnitatibus XL horarum, in festis Sanctorum, tres magnas series sermonum habuit: prima est *in epistolas dominicales* inde a prima dominica Adventus, 1602; altera *in evangelia dominicalia* inde ab Adventu 1603; ultima *in Sermonem Domini in monte*, inde a commemoratione omnium Sanctorum 1604 [127]. Aestate autem residet in pago Capuano S. Mariae Maioris [128], ubi semper praedicat [129]; accedunt singulis annis partim in aestate, partim in autumno visitationes circa 40 pagorum [130], qui singuli saltem uno sermone honorantur [131], ita ut 27

[119] Menicillo, *Relat.*, 5.

[120] Iacobelli, *Relat.*, 23; Guidotti, *Relat.*; Cyprian. Theat., *Relat.*, 2.

[121] Guidotti, *ibidem.*

[122] Guidotti, *ibidem.* Nonnumquam ipse Missam cantabat: Torti, *Relat.*, II, 20.

[123] Cyprian. Theat., *Relat.*, 11.

[124] Patarini, *Relat.*, 13.

[125] Guidotti, *Relat.*

[126] Iacobelli, *Relat.*, n. 23; Monaco, *Sanct. Cap.*, p. 296; *Summ. addit.*, p. 154.

[127] cf. Anello Polio, *Relatio;* Monaco, *Sanct. Cap.*, p. 296; Serm. in epist. 1 Adv.; Epist. 17 nov. 1604 ad P. Carminata: *Racc. Carm.*, n° 18; Scipio Forgillus in *Summ. addit.*, p. 55; *Summ. vet.*, p. 13 (14).

[128] Cf. Menicillo, *Relat.*, 4.

[129] Plures contiones in capite habent: *in St. Maria*; in S. Maria Maiore quoque orta est *Explicatio Symboli*, quae constat sermonibus prius ore prolatis.

[130] Cf. Cyprian. Theat., *Relat.*, 15; Monaco, *l. l.*

[131] Cf. Iacobelli, *Relat.*, 20.

iulii 1602 Bellarminus scribat procuratori suo Romae [132], se una hebdomada tres sermones habuisse! Ut omittam frequentissimas instructiones catecheticas cum in urbe, tum foris, de quibus in sequenti capitulo erit dicendum. Negari nequit episcopatum Capuanum concatenationem fuisse praedicationum [133].

Praedicatio illa continua non erat sine cura. Nam quia per diem erat occupatus in diversis negotiis, sese nocte praeparabat meditando Sacram Scripturam et scribendo [134]. Accedit, quod etiam aestatis tempore praedicabat, non obstante bono consilio Patris Carminatae: si enim, ita Bellarminus, consilium istud revera fuisset bonum, certe ipse P. Carminata illud observasset [135]. Nec oblivisciendum est, initio episcopatus Bellarminum iam superasse annum sexagesimum, quod tamen exemplo Patris Carminatae, vel provectioris aetatis, flocci reputabat [136].

Quod ad fructum contionum spectat, licet non adesset auditorium ut olim Lovanii, tamen multi praedicationes adibant. Ipse Bellarminus loquitur de magno auditorio [137]; et Theatinus Don Cyprianus, paulum exaggerans, ni fallor, dicit omnes cives Capuanos singulis dominicis et festis tam aestatis quam hiemis tempore adfuisse [138]; alia autem relatione [139] edocemur etiam principes Neapolitanos Capuam venisse, ut Bellarminum audirent. De modo autem praedicandi nos docet Bellarmini auditor et amicus Can. Michael Monaco [140]: « Concio nihil vanum seu inutile prorsus habebat; ad profectum animarum singula quaeque verba dirigebantur. Maximus doctor quandoque docebat altissima, sed erat in eo praeclara facilitas. Miratus sum ego non semel, quomodo verbis ordinariis expli-

[132] Epist. 27 iul. 1602 ad I. B. Gonfalonieri: Arch. Post. *Bell.* 4°.

[133] Cf. etiam Fuligatti, *Vita*, cap. 21, pp. 173-175 et Bartoli, I, 8, pp. 183-184, qui tamen nullo modo verbis adaequant facta.

[134] Ep. 19 dec. 1602 ad P. Carminata: *Racc. Carm.*, n° 10.

[135] Ep. 16 aug. 1604 ad P. Carminata: *ibid.*, n° 17.

[136] Ep. 17 nov. 1604 ad P. Carminata. Quando is anno 1603 singulis diebus praedicat Capuae, iam est quasi septuagenarius! *Racc. Carm.*, n° 18.

[137] Ep. 16 aug. 1604 ad P. Carminata: *loco laudato.*

[138] Cyprian. Theat., *Relat.*, 11.

[139] Torti, *Relat.*, II, 30.

[140] Monaco, *Sanct. Capuan.*, l. l.: *Summ. addit.*, p. 154.

care potuisset, quae vix scholasticis verbis ab aliis explicantur [141]. Amantissimus pater oves commonebat, et erat in eo mira suavitas; non minarum asperitate, non vocis contentione ac subafflicto vultu, quasi eleemosynas petens, vitiorum odium et virtutis amorem ab auditoribus expetebat. Huiusmodi conciones efficiebant, ut devotio fervesceret in civitate: iam aleae ludi etiam honesti profligati fuerant; vix perditus aliquis e vili plebicula perditam aleae domum intrabat. Eram ego in porticu Sti Eligii cum quibusdam, non minus honestis quam nobilibus viris, cumque de concione Cardinalis habita mane sermo incidisset, unus: credite mihi, inquit, vidi hoc mane Cardinalem afflicta facie constringentem humeros, et abiit a me ludendi voluntas ». Brevius primicerius canonicorum Ioan. Laur. Menicillo [142]: « Omnibus diebus dominicis et festivis praedicavit mirabili fructu audientium ». Brevissime testis ocularis [143]: « Predicava divinamente ». Sed nemo mea opinione melius Bellarminum depinxit quam Don Cyprianus Theatinus [144]: « Singulis diebus dominicis et festis veniebant omnes cives Capuani, etiam tempore aestatis et inverni ad sermones eius audiendos: *et vere docebat populum* ».

Eo autem magis mirandi sunt concursus populi, quo severius Bellarminus in oppositione ad multos praedicatores quadragesimales abstinuit ab omni vana rhetorica et omni specie ostentationis. Accedit quod populus Capuanus generice loquendo magis erat ludo et aleae addictus quam operibus spiritus; et ipse cardinalis numquam desinit severe reprehendere defectus populi sui usque ad ultimam praedicationem. Legantur v. g. ea quae habentur in sermone de evangelio dominicae nonae post Pentecosten, ubi fit comparatio Capuae cum Venetiis, Roma, Neapoli, Parisiis. Ibi sunt multa peccata, sed et opera pia innumera, Capuae verum peccatis gravibus ac frequentibus tantum paucissima opera bona opponuntur! Lege sermonem anni 1604 in Ev. Nativitatis, ubi dicit se nolle leges ferre, sicut olim Borromaeus Mediolani, cum non sit tantus apud

141 Idem observavit Guidotti in *Relatione*.

142 Menicillo, *Relat.*, 5.

143 Process. Rom. 1627, cap. 148, apud Bartoli, II, cap. 8, p. 183 cum nota L.

144 Cyprian. Theat., *Relat.*, 11.

gregem suum, nec populus ita docilis; et de clero addit impleri dictum Isaiae: sicut populus, sic sacerdos. Lege epistolam ad successorem scriptam, eheu non residentem, die 15 maii 1618 [145], ubi de ultima sua praedicatione Capuana agens, narrat se in ecclesia fidelium plenissima dixisse: Capuanos habituros bonum archiepiscopum novum, sed non residentem, quem non essent audituri; et hoc in poenam peccatorum, cum non fructum percipere voluissent ex praesentia pastoris, qui per tres annos continuos non desivisset eos admonere cum publice, tum privatim de eorum defectibus.

Illud certe dolendum est, nos ex permultis sermonibus Capuanis non nisi imaginem imperfectam Bellarmini oratoris formare posse. In sermonibus enim Capuanis generatim ea sola longius evoluta sunt, quae ad doctrinam spectant; quae autem pertinent ad exhortationem moralem haud raro expediuntur paucis istis: *Hic fiat exhortatio de tali vel tali materia,* vel, quod brevissimum est, vocula *etc.* Ex relationibus autem constat, eum haud raro ex sede sua rubra esse locutum proprie tamquam patrem in media familia ad proprios filios. Sic v. g. in pulpito dixit, se ex reditibus Capuanis ne quadrantem quidem adhibuisse pro propria persona sua [146]; in alio sermone explicat [147] quomodo agros et fundos ecclesiasticos suae dioceseos noluerit elocare mercatoribus Genuensibus, sed unice rusticis propriae dioeceseos — quos optime tractabat [148] —, et Deum benedictionem non denegasse; se uno anno habuisse 12 millia scutorum, altero 15 millia, cum Genuenses ad summum octo millia ducatorum dedissent! Et, addit relator [149]: « Essa sant'anima lo disse in pulpito con gran suo contento et allegrezza ».

Quod si absentia partis paraeneticae generice dolendum est, in specie illa deploratur in famosa praedicatione 9 mai 1604 in festo S. Gregorii Nazianzeni, ubi Cardinalis in fine fecit compara-

[145] Ep. 15 mai 1618 ad Ant. Caietanum: Arch. Vatic.: *Gesuiti,* 20: lett. div. 4. Caietanus continuo erat nuntius apostolicus in Germania et Hispania, cf. Ughelli, *Italia Sacra,* VI, pag. 362.

[146] Cyprian. Theat., *Relat.,* 9.

[147] *Ibidem,* n. 17.

[148] Guidotti, *Relat.,* Cf. etiam ep. Card. de Camerino Bellarmino datam 16 aug. 1602: *Opp. NN.,* 240, fol. 29.

[149] Cyprian. Theat., *Relat.,* n. 17.

tionem inter Gregorium et semetipsum, et visus est facie resplendente luce quadam mirabili [150]. De quo sermone postea plura erunt dicenda in introductione speciali ad festa Sanctorum. Dum autem M. Monaco [151] nobis narrat totum contentum perorationis, in manuscripto APUG 385a fol. 127*b* nil aliud legitur nisi: « Hic posset poni apologia contra ea quae dicuntur de nobis. Nam conscientia est necessaria pro nobis; fama pro aliis. Unde Augustinus coram populo reddebat rationem, si quae dicebantur contra ipsum ».

Et haec de Capua sufficiant. Gregi in praedicationibus non pepercit, nec ministris regiis, saepe saepius agens de iniustis gabellis. Tamen ut dicit in autobiographia [152]: « Amabatur a populo et ipse amabat populum: ministri quoque regii nihil molestiae illi umquam intulerunt, et venerabantur eum, quoniam arbitrabantur eum esse servum Dei ». Cum autem populo valediceret in ultima allocutione, erat planctus magnus [153].

CAPUT SEPTIMUM

Periodus ultima: 1605-1613

Generale testimonium horum annorum nobis dat Neerlandicus Theodorus van Ameyden, Silvaducensis, qui iuvenis aulae cardinalitiae Andreae Card. Austriae addictus, deinde patrono mortuo anno 1600, post aliquod temporis Romam redux, ut alumnus

[150] Philippus Caresius, Rector S. Marcelli Capuanus, in processu Capuano 1627 declarat se saepius Bellarminum praedicantem mira luce splendentem vidisse, et se eam rem defectui oculorum suorum attribuere non posse. Cf. *Summ. vetus*, p. 15 (16); *Summ. addit.*, p. 113. In praedicatione habita de Sto Gregorio Naz. idem observasse testatur Ioh. Ant. Cangiani, Rector Seminarii, in sua *relatione*: Cf. *Summ. vet.* pp. 15-17 (17-18) § 92-94 collatis pp. 43 (45-46).

[151] Monaco, *Sanct. Capuan.*, p. 298: *Summ, addit.*, p. 155. Cangiani. *loc. laud.* in nota praecedente, de eadem peroratione agens, multa confundit. Vide *Posit.* 1828 p. III, cap. 4, pp. 35-44; Cavalchini, n. 122 c. nota; Fiocchi, p. 384, ubi unice relatio minus accurata Cangiani omisso Monaco.

[152] *Autobiogr.*, cap. 38, p. 463.

[153] Menicillo, *Relat.*, in fine; Monaco, *l. l.* et *Summ. addit.*, p. 155; *Summ. Vet.*, p. 14 (15): Ep. 15 mai 1618 ad Ant. Caietanum: Arch. Vat.: *Gesuiti*, 20, lett. div., 4.

Collegii Germanici studiis incubuit in Universitate Gregoriana, ubi anno 1605 publice defendit theses philosophicas, et postea, ut ipse narrat in *Elogiis Pontif. et Cardinal.*, theses theologicas, ipso praesente Bellarmino. Romae deinde fuit S. Rotae advocatus et provisor Collegii de Anima [154]. Commemoratis Bellarmini *Recognitione,* conscripta anno 1607, opusculisque asceticis, addit Theodorus in *Elogiis*: « Ad haec publice in templo Societatis Iesu et aliis diebus festivis maioribus concionabatur, praesertim cum exposita Sacra Synaxi, haberentur 40 horarum preces, solemne recens a Clemente VIII institutum »[155].

Clarum igitur est, Bellarminum iterum Curiae Cardinalem factum, sermonibus non valedixisse, immo haud raro praedicasse: non tamen in ecclesia titulari, ubi testante Iacobelli [156] sermones fecit in cardinalatus initio.

Pauca ex hac periodo nobis restant, exceptis sermonibus habitis in honorem S. Ignatii 1605-1608 [157]. Quod mirum non est. Post episcopatum Capuanum, ut bonus pater familias, ex thesauro suo probabiliter magis quam nova protulit vetera.

Inde ab anno 1613 existimo Bellarminum iam non publice praedicasse. Ratio est duplex: prima, quia anno 1612 intrat septuagesimum; altera, quia inde ab anno 1613 scribit suas *Explanationes* in epistolas dominicales et festales, in quibus expungit omnia, quae suspicionem erigere possent orationis reapse habitae ut v. g.: *Auditores, Amen,* similia [158]. Accedit, quod in fine *Autobiographiae* anno 1613 conscriptae, loquitur de negotiis variis et aliis occupationibus, tacet verum de operositate oratoria [159]. Quod quidem argumentum ex silentio per se parum valet; sed non omni vi caret, ubi agitur de Bellarmino, qui alibi in *autobiographia* de ea generatim non tacet.

[154] I. Fr. Foppens, *Bibl. Belgica,* 1739, II, p. 1119. De thesi philosophica cf. Sommervogel, VII, 69. Excerptum ex *Elogiis Pontificum et Cardinalium*, quod tunc temporis servabatur apud D. Ab. Vespinianum, exstat in Arch. Post. Gen.

[155] Clemens VIII, Constitutio: *Graves et divinae,* 25 nov. 1592.

[156] Iacobelli, *Relat.*, n. 31; cf. Cervini, *Adumbr. Imago,* p. 27.

[157] Cf. Sermones *de Sanctis,* et *Exhort. domest.*, p. 297 et 302.

[158] Cf. Introductionem ad *Explanationem* in volumine VII.

[159] *Autobiogr.*, cap. 40, p. 463.

Non tamen putandum est, S. Robertum anno 1613 amisisse charisma sermonis. Quod non fit nisi in die penultima vitae, ut patebit ex sequentibus de catecheta et instructore domestico.

SECTIO SECUNDA

De Bellarmino Catecheta

De Bellarmino praedicatore locuti, non possumus non quaedam adiungere de Bellarmino Catecheta, tum ad melius cognoscendum S. Robertum in labore suo assiduo oratoris et instructoris, tum etiam quia duo opera catechetica Bellarmini, eaque principaliora exorta sunt ex instructionibus catecheticis ore prolatis.

CAPUT PRIMUM

Instructiones orales catecheticae

Iam ante ingressum in Societatem Iesu, vidimus Bellarminum in altera parte anni 1555 et in parte priori anni 1560, dum degit in villa nota Cervinorum *il Vivo* noncupata, explicantem catechismum rusticis in parva ecclesia [1] villae annexa; non tamen adeo frequenter, ut ipse nobis narrat in capite sexto *Autobiographiae* [2].

Num Bellarminus post societatem initam catecheticas instructiones habuerit ante annum 1590, quando redux ex Gallia, fit spiritualis praefectus in Collegio Romano, mihi non constat. Quidquid id est, inde a finita legatione Gallica incipit triplex industria, de qua erit nobis fusius disserendum. Nam anno 1590-1592 explicavit Catechismum in Collegio Romano; deinde Archiepiscopus Capuanus in metropoli et omnibus pagis dioceseos; purpuratus autem per totam vitam cardinalitiam parti inferiori familiae famulorum.

De prima periodo annor. 1590-1592 nobis testimonium reddit P. Fuligatti in Bellarmini vita [3]. Narrat Robertum, cum esset praefectus spiritualis in Romano Collegio, singulis quoque hebdomadis

[1] Imaginem ecclesiae parvae vide apud Fiocchi, p. 145.
[2] *Autobiogr.*, cap. 6, p. 445.
[3] Fuligatti, *Vita*, cap. 12, pp. 94-95.

tradidisse fratribus coadiutoribus praecipua fidei nostrae capita. Et illud quidem tanta cura eum fecisse affirmat, ut prius dicenda omnia referret in codicem; et tanta claritate, ut multi quoque sacerdotes assisterent, atque ea quae a Bellarmino explicabantur, calamo ex ore eius scripto exciperent.

Quod ad actionem pertinet Capuae praestitam, primum notandum est, Episcopum catechismum exposuisse tam in urbe quam in pagis. In ecclesia cathedrali singulis dominicis in media plebecula collectitia otiosorum, mendicantium, vagabundorum [4], ex variis paroeciis convocata, viros ac feminas cuiusvis aetatis, explicando, rogando, ipse per se docebat fundamenta nostrae fidei [5], et manu propria praemia distribuebat ut coronas B. V. et sanctorum imagines [6]. In omnibus fere ecclesiis parochialibus deinde consuetudinem instituit, ut fixis temporibus infantibus explicaretur, quam anno 1597 composuerat, *Brevis doctrina christiana*; et quo firmius haec consuetudo radicaretur, pedibus incedens et sola bireta coopertus, nunc unam, nunc aliam adibat ecclesiam, partes parochi in se assumpturus, suoque exemplo sacerdotes de hoc munere exercendo instructurus [7]. Narrat Ant. Rufus, Capuanus, quomodo ex altera parte altaris, S. Francisco Assis. dedicati, duobus pulpitis ligneis erectis, singulis dominicis pueros ex alto recitandos curaret catechismum, dum ipse doctrinam brevem manu tenens parvulorum errores corrigeret [8]. Singulis quoque annis in Coena Domini duodecim pauperibus lavabat pedes, quo facto iis explicabat symbolum.

Notum est [9], quomodo — anno 1603, ni fallor — tali occasione experiri debuerit, antiquiorem ex duodecim, hominem fere centenarium, ignorare prorsus symbolum apostolicum, licet S. Petrum

[4] Bartoli loco mox citando: « in mezzo ad una plebaglia ragunaticcia di scioperati, di pezzenti, di vagabondi e d'ogni più laida conditione ».

[5] Bartoli, II, cap. 8, p. 187.

[6] Cyprian. Theat., *Relat.*

[7] Bartoli, *l. l.*, ex relatione doctoris Franc. Graziani; vide etiam relationes Ioh. Ant. Cangiani, Alex. de Isa, primicerii Cap. et Steph. de Benedictis, Archid. Cap., in *Summ. Vet.* p. 22-23 (23-24).

[8] Ruffo, *Relat.*, n. 1.

[9] Fuligatti, *Vita*, cap. 36, p. 303; Bartoli, II, cap. 8, p. 187. Fuit probabiliter prima Coena Domini regiminis episcopalis, quia Bellarminus hanc occasionem arripit pro cleri reformatione.

repraesentaret primum Ecclesiae magistrum, illudque non ex defectu memoriae, sed, ipso fatente sene, quia numquam debite erat instructus. Tristitia motus, rogavit Bellarminus miserum repraesentantem principis Apostolorum, quot annos haberet, et cum respondisset senex se hoc ignorare, sed iuvenem collaborasse -- erat enim caementarius · · in construendo quodam sacello Capuano, Cardinalis inspecto sacelli illius epitaphio invenit hominem quasi centum annos vixisse, et per centum annos non invenisse, qui ipsi explicaret rudimenta fidei, licet tot ad id faciendum officio constricti fuissent [10]. Numquam Bellarminus huius facti, ex quo occasionem arriperet ut parochos graviter de suo officio moneret [11], oblitus est [12].

Anno circiter 1615 vel 1616 scribit in *explananda epistola* 2^ae^ dominicae post Epiphaniam, de facto analogo [13]: « Vidi ego, cum Archiepiscopus Capuanam diocesim visitarem, senem annorum supra centum et decem, qui numquam symbolum fidei fuerat edoctus, neque in ullo modo capax erat institutionis. Et tamen homo ille non inter paganos natus erat neque in deserto loco tamdiu vixerat; in medio Christianorum et loco celebri natus et educatus, ad eam aetatem pervenerat. Quam ergo rationem Deo reddent in die iudicii parentes, patrini, parochus et episcopus, ad quos omnes cura miserae illius animae pertinebat! »

Haec de ipsa Capua. Quod ad pagos testatur fidelis Bellarmini caudatarius et eleemosynarius per 21 annos, sacerdos Iacobelli [14]: « Per pagos circumiens explicabat symbolum ». Cum autem ipse visitationis tempore paucos tantum dies in pagis singulis manere posset, onus explicandae doctrinae Christianae Patribus illis e Societate imposuit, quos missionarios excurrentes sibi Capuam adciverat [15]. Specialem autem curam personalem habuit pagi Capuani S. Mariae Maioris, qui Bellarmini tempore numerabat 900 familias [16], quo in

[10] Polizzi, *Relat.*, 4.

[11] *Summ. Vet.*, pp. 22-23 (23-25); Bartoli, II, cap. 8, p. 188.

[12] Don Vinc. Polizzi, doctor Palermitanus, Romae historiam narratam audivit ex ore ipsius Bellarmini: « dalla sua bocca con gusto grande di spirito ».

[13] APUG 384, fol. 293*v*. Ex adiunctis patet non agi de facto identico.

[14] Iacobelli, *Relat.*, n. 23.

[15] Anello Polio, *Relat.*; *Summ. Vet.*, p. 11 (12) et 22 (23).

[16] Fuligatti, cap. 21, p. 171.

loco Cardinalis temporibus aestivis residebat [17]. Ibi singulis annis per unum alterumve mensem explicavit Symbolum [18], et *Explicationem Symboli* redegit, de qua statim sumus dicturi.

Iam de familia Cardinalitia. Exigebat ut omnes familiares mente tenerent saltem doctrinam christianam suam brevem [19]; immo ut illi qui matrimonio iuncti erant catechismum explicarent familiae propriae [20]. Omnibus famialiaribus ordinis inferioris [21] lex erat singulis hebdomadis assistendi expositioni doctrinae christianae [22]. Has autem instructiones hebdomadales per multos annos ob magnum rei momentum habuit ipse Cardinalis, et solum ob extremam senectutem hoc sibi carum officium dimisit. Manuale erat doctrina christiana brevis, et singulis annis plus minusve percurrebat totam materiam [23]. Libellus ab ipso Bellarmino hac occasione adhibitus post mortem monstrabatur ut pretiosa reliquia [24]. Bellarminum in sua ecclesia titulari S. Mariae ad Viam catechismum exposuisse non credo; sed speciales dabat eleemosynas ad opus catecheticum ab ipso ibi erectum, promovendum et sustentandum [25].

[17] Menicillo, *Relat.*, n. 4; Epistolae Card. de Camerino ad Bellarm. 28 iun. et 12 iul. 1602: *Opp. NN.* 240, ff. 28-30; *Autobiogr.*, cap. 37, p. 462.

[18] Anello Polio, *ibidem.*

[19] Iacobelli, *Relat.*, n. 45; Fuligatti, *Vita*, cap. 19, p. 155.

[20] Bartoli, II, cap. 12, p. 208.

[21] Familia Cardinalis complectebatur 35-40 personas, quorum circiter 10 erant officiales maiores, ex quibus saltem sex erant sacerdotes. Ad familiam inferiorem pertinent: dispensator, emptor, custos vestium, cubicularii duo, 4 vel 5 palafrenieri, tres aurigae et equiso, duo coqui, et quidam servitores officialium maiorum: simul 20-30 personae.

[22] Bartoli, II, cap. 12, p. 208.

[23] Bartoli, *ibidem;* Fuligatti, *Vita*, cap. 19, p. 156; attamen P. Vitelleschi in processu Romano dicit: « dichiarava *il Credo* alla sua famiglia », cf. *Summ. Vet.* p. 22 (23).

[24] Bartoli, *ibidem;* Cavalchini, n°72, ubi in nota testimonia P. Eudaemon-Ioannis et P. Mutii Vitelleschi.

[25] Fuligatti, *l. l.*, cap. 23, p. 201; Iacobelli, in *relatione* n° 31: « ogni mese 304 scudi »; *Summ. Vet.* p. 21 (23).

CAPUT ALTERUM

Opuscula Catechetica

Iam dicamus de libellis catecheticis a Bellarmino editis.

Anno 1597 Romae edidit *Doctrinam christianam brevem;* anno 1598 eiusdem *Explicationem copiosam,* circa annum 1604 *Explicationem symboli.*

Duos libros priores composuit rogante Cardinale Tarugi, archiepiscopo Senensi [26], iussu autem Clementis VIII [27], et quidem italice. Titulus parvi libelli erat: *Dottrina cristiana breve,* opusculi maioris: *Dichiarazione più copiosa della dottrina cristiana,* quibus verbis additur in manuscripto autographo: per uso di quelli, che l'insegnano à fanciulli et altre persone semplici, composta in forma di dialogo [28].

De approbatione doctrinae maioris a Clemente VIII, Urbano VIII, Benedicto XIV, Leone XIII; de eius editionibus versionibusque innumeris; de laude S. Francisci Salesii; de oppositione Austriaca et Iansenista, non est cur dicam, cum documenta collegerit P. Le Bachelet [29]. Quaedam de eius origine dicam.

Iam supra diximus ex testimonio Patris Fuligatti, Bellarminum tradidisse in Collegio Romano annis 1590-1592 doctrinam christianam. Addit idem Fuligatti codicem manuscriptum harum instructionum fundamentum fuisse *Doctrinae Christianae* copiosae [30]. Hoc testimonium confirmatur manuscripto APUG 1485: *P. Roberti Bellarmini Politiani S. I. expositiones in doctrinam christianam.* Qui

[26] Fuligatti, *Vita,* cap. 15, p. 121.

[27] Cf. *Epist. famil.,* n° 37 ad Ep. Luceoriensem; Epist. 29 dec. 1598 ad Thom. Bell.: *B. a. s. C.,* p. 432.

[28] Cf. *B. a. s. C.,* pp. 413-414.

[29] *Ibidem et Dict. de Théol. Cath.,* II, pp. 484-485. Editiones et versiones recenset Sommervogel, I, col. 1182-1204. Versio latina facta a Joh. Freder. Matenesio, edita est prima vice in *Oper. Bellarmini,* ed. Colon. 1617, tom. VII, p. 1234. De impugnatione Catechismi cf. H. van Laah S. I., *De Bell. doctrinae praestantia,* Romae, 1931, pp. 144-145.

[30] Fuligatti, *Vita,* cap. 12, p. 95.

libellus non est codex autographus Bellarmini, sed videtur ab eo ipso paucis in locis correctus. Esse opusculum conscriptum pro coadiutoribus S. I. patet ex quibusdam, quae speciali modo spectant ad Societatem Iesu. Ut in aperto est: libellus non est in forma dialogi, sed materiae dispositio est eadem ac *Doctrinae copiosae*. Constat igitur ex istis instructionibus catechismum gloriosum prodiisse.

Explicationem autem *Symboli Apostolici* S. Robertus scripsit dum erat Archiepiscopus Capuanus. Hac de re sunt multa testimonia. Et ante omnia ipsius Bellarmini. In *Autobiographia* cap. 37 legitur: « Scripsit, dum esset in pago quodam maiore [31], explicationem symboli lingua Italica, quam typis mandavit, ut parochi, qui concionari nesciunt, legerent post Evangelium unius articuli explicationem, praecipue quando congruebat cum festis diebus ». Accedit deinde ipsa praefatio Explicationis, ubi haec leguntur [32]: « Ego igitur toto animo desiderans aeternam salutem populorum, curae meae commissorum, decrevi quam brevissime et apertissime potero, explicare omnia mysteria sanctissimae nostrae fidei, quae in Apostolico Symbolo continentur, ut omnes cognoscant quid credere debeant, et purgati et illuminati per fidem, per viam mandatorum incedant, quae est via, quae ducit ad vitam, dicente Domino: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Hanc autem explicationem brevem et facilem esse volumus, ut Parochi et Pastores, qui concionari ad populum per se non audent: saltem coram populo inter Missarum solemnia, vulgari lingua, hanc explicationem legant, praesertim quando festi dies occurrunt, in quibus mysteria symboli recoluntur ». Sane in hac praefatione Bellarminus loquitur tamquam actu regens diocesim, quod unice Capuae convenit. Tandem S. Robertus in epistola, probabiliter anni 1616 [33], agit cum typographo Veneto quodam de declaratione Symboli, « che io havevo fatta in Capua, quando era Arcivescovo ». Quare etiam Mich. Monaco, amicus Bellarmini et cano-

[31] Scilicet dioeceseos Capuanae: agitur de S. Maria Maiore seu S. Maria delli Grandi. Cf. supra p. 45-46 et not. 17.

[32] Ed. Colon. 1617, tom. VII, col. 1191.

[33] Arch. Vat., *Gesuit.* 21, ep. LVI. Epistolam esse ex anno c. 1616 patet ex eo, quod res est de nova editione sermonum Lovaniensium, Coloniae editorum anno 1615.

nicus Capuanus, inter res a Bellarmino Capuae gestas commemorat [34]: « evulgationem expositionis fidei symboli ».

Est autem explicatio Symboli series instructionum, quae realiter sunt habitae, ut patet ex relatione caudatarii Iacobelli [35] testantis: « per pagos dioceseos explicabat Symbolum, quod in bonum curatorum edendum curavit Neapoli, et quod postea saepius reeditum est Romae »[36]. Iacobello autem consentit P. Anello Polio hisce verbis [37]: « Aestatis tempore relinquebat Capuam, habitaturus in pago S. Mariae... ubi explicabat « Credo », scilicet illud quod typis editum evulgatum est ».

Quod ad editiones spectat, prima est Neapolitana, ut clare dicit Iacobelli; et ut ex praefatione patet, editio haec facta est, cum Bellarminus erat archiepiscopus. Est igitur editio anni circiter 1603-1604. Iam statim facta est secunda editio Venetiis, de qua ipse Bellarminus scribit circa annum 1616 ad Ambrosium Dei, typographum [38]: « Anno 1605, si bene memini, Venetiis edita fuit *Declaratio Symboli*, quam ego Archiepiscopus Capuae composueram; erat autem tam male correcta, ut speciem haberet libri haeretici; qua re coactus subito Romae feci novam editionem ». Tertia igitur editio est Romana. Iam anno 1606 lucem videt versio gallica; latina verum versio prelum reliquit Coloniae 1617 in tomo VII Operum. Est autem versio haec opus ipsius Bellarmini, ut claris verbis indicatur in editione alia Coloniensi eiusdem anni 1617 et quidem in ipso titulo libelli [39].

Quanto in honore etiam hoc Bellarmini opusculum remanserit, non solum apparet ex plurimis reeditionibus italicis [40], et ex magno

[34] *Sanctuarium Capuanum*, citatum in *Summ. addit.*, p. 156. Alia testimonia in *Summ. Vet.* pp. 21-23 (22-24).

[35] Iacobelli, *Relat.*, n. 23.

[36] Etiam sacellanus Bellarmini M. Torti dicit in processu Romano, *Explicationem Symboli* saepius fuisse editam ob eius utilitatem. Cf. *Summ. Vet.*, p. 21 (22-23).

[37] Anello Polio in *Relatione*. Vide etiam Fuligatti, *Vita*, cap. 22, p. 184.

[38] Arch. Vatican.,*Gesuiti* 21, ep. LVI. Cf. supra not. 33.

[39] « Ab eodem nuper latine reddita ». Est libellus 144 paginarum in 12°. Cf. E. Riviere, in *Suppl.* ad Sommervogel, p. 12.

[40] Post editionem Neapol., Venet., Romanam, habentur editiones anni 1610, 1707, 1708, 1819, 1846. Cf. Sommervogel, I, col. 1206-1208, ubi non

numero versionum [41], sed singulari quoque modo ex documento quodam romano ineuntis saeculi XVIII [42]. In documento isto laudatur zelus Eminentissimi C. Fabbroni, quo novam et numerosam reeditionem *Declarationis Symboli* in urbe Romae procuraverat, ut eam distribueret omnibus Episcopis electis in die consacrationis episcopalis. Quibus additur etiam praelatos, qui praesideant Congregationi Doctrinae de Urbe, procurasse novam atque amplam editionem propter eundem finem. Quare non tantum summopere mirandum, sed etiam vehementer dolendum est Explicationem Symboli non inveniri in editionibus recentioribus *Operum Omnium,* nec in Parisina Vivès anni 1870, nec in Neapolitana anni 1862.

* * *

Et haec sufficiant de Bellarmino Catecheta, tum ore tum scriptis. Duo addere iuvat:

Et primum quidem bene notandum est: Bellarminum unum tantum Catechismum scripsisse pro populo et haec est *Doctrina Brevis,* eaque sola. *Doctrina* autem *magis copiosa* ex mente Bellarmini est pro catechistis; *Explicatio* vero *Symboli* in usum parochorum. Quare in *Doctrina copiosa* non est magister, sed discipulus qui quaestiones movet!

Alterum est Bellarminum de suis Catechismis modestissime iudicasse. In epistola anni 1605 ad Ep. Luceoriensem [43] de catechismo minori et maiori scribit: « Iussu Pontificis M. confeci opuscula; non elegantiae vel doctrinae ostendendae, sed soli brevitati et perspicuitati deserviens... Res est levis ac pene puerilis, tamen non inutilis, ac propterea et gallice et hispanice iam legitur ». Et in epistola alia ad Patrem G. Marium haec profert [44]: « Adm. R. Pater.

---

omnes. Iam in processu Romano legitur: « fu ristampata più volte », cf. *Summ. Vet.* p. 21-22 (23).

[41] Gallica, latina, hispana, lusitana, neerlandica, illyrica, sarda, concana. Cf. Sommervogel, *l. l.*, et H. van Laak S. I., *De Bellarm. doctrinae praestantia,* p. 152.

[42] Cf. V. Laak, *l. l.*, et in *Gregorianum,* XII (1931), pp. 284-285. Servatur documentum in Arch. Postul. Gen.

[43] *Epist. famil.,* nº 37.

[44] München, Reichsbibl.: Cod. lat. 1611 in calce voluminis.

Si catechismus brevis Reverendi ac, ut pie credo, sancti Patris nostri Petri Canisii mihi notus fuisset, cum superiorum iussu catechismum italicum scripsi, certe non laborassem in catechismo novo formando, sed catechismum P. Canisii e latino in italicum convertissem ». Humilem autem sequitur gloria. Teste enim Ioanne Lorini, adhuc vivente Bellarmino, Mediolani erecta est ecclesia pro operibus catecheticis, quae a populo nuncupabatur: « Ecclesia Belarminii » propter catechismum parvum italica lingua compositum [45].

SECTIO TERTIA

De Bellarmino instructore et exhortatore domestico

Quod si rogas, quid sit intrinseca differentia inter instructionem vel exhortationem ex una parte et sermonem ex altera, difficile respondetur. Quod iam statim ex eo apparet, quod v. g. pro exhortationibus ad Patres Societatis S. Robertus usus est sermonibus antea habitis Capuae. Exhortatio enim anno 1607 facta patribus in festo Sancti Ignatii nil aliud est, si solam excipis perorationem in qua agitur de sancto Patre, nisi sermo habitus Capuae anno 1603 dominica 8ª post Pentecosten in verba epistolae *Rom.* 8, 12-17: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.*

Est tamen differentia, quae indicatur in additione « domestica ». Dum sermo dirigitur in ecclesia ad fideles, vel ad coetum magnum, instructio et exhortatio fit inter limites domesticos ad familiam cardinalitiam vel ad communitatem religiosam. Inde duplex differentia: primum in modo dicendi, qui natura sua erit magis familiaris; deinde in applicationibus moralibus, quippe quae dependent ab auditorio.

Illud quoque notandum, nos facilitatis causa ibi uti voce exhortationis, ubi agitur de verbis ad membra Soc. Iesu factis; instructionis, ubi de allocutione ad familiam cardinalitiam vel monialium communitatem religiosam.

[45] Fuligatti, *Vita*, cap. XV, p. 121; Lorini, *Relat.*, n. 9.

CAPUT PRIMUM

Bellarminus simplex religiosus: scholasticus et sacerdos.

Omissis allocutionibus factis a Bellarmino iuvene in urbe patria ad sodales congregationis primariae, quae in fontibus cum *exhortationes*, tum *sermones* vocantur[1], iam statim post peractam in Romano Collegio cursum philosophiae, Bellarminum scholasticum S. I. exhortatorem videmus. Ipso teste Florentiae in domo Societatis, superiore iubente exhortationes coepit habere ad fratres[2], et, ut vidimus, antea, anno 1564 a Generali Camaldulensium quasi coactus, exhortationem fecit ad venerandos illius ordinis patres attentissimos[3]. Etiam in Collegio Montis Regalis Bellarminus exhortator fuit fratrum[4], et de commoratione in collegio Patavino scribit[5], se exhortationes ad fratres habuisse feria sexta. Lovanii quoque non obstantibus multis aliis laboribus hoc opus apostolicum exercuit: « concionabatur et docebat, neque ab exhortationibus domi habendis neque a confessionibus audiendis liber erat »[6]. Ex explicito testimonio P. Fuligatti[7] apparet, iam ante periodum Lovanii exhortationes non habitas fuisse ad solos fratres coadiutores, sed directas ad totam communitatem, etsi Robertus nondum gaudebat ordinatione sacerdotali.

Ad hanc primam periodum duo notare volo. Et primum est officium exhortatoris domestici semper suis locis commemorari in autobiographia[8]; ex quo elucet Sanctum de hoc munere non demisse cogitasse. Alterum est, de exhortationibus istis primis nobis nihil remansisse in scriptis, exceptis paucis quae ad Lovanium spectant, de quibus dicendum erit infra, ubi de fontibus[9].

[1] Cf. supra pag. 16.
[2] *Autobiographia*, cap. 8, p. 446.
[3] Cf. supra p. 18-19.
[4] *Autobiographia*, cap. 12, p. 448.
[5] *Ibid.*, cap. 15, p. 450.
[6] *Ibid.*, cap. 18, p. 451.
[7] Fuligatti, *Relat.*, pp. 11-12: « in Fiorenza predicava à casa a padri et fratelli ».
[8] Cf. etiam Append. *Autobiogr.*, cap. 42, p. 464.
[9] Cf. infra pp. 103-104.

Iam antea vidimus Bellarminum die primo sept. 1576 Lovanio valedixisse et adiisse Romam. Munera professoris, scriptoris atque rectoris ibi impleta, nec minus munus provincialis 1594-97, sicut et officium theologi pontificii atque consultoris S. Officii immediate cardinalatum praecedens 1567-1599, ratio fuere, cur a contionibus publicis vacaret, minime vero ab exhortationibus domesticis [10]. Usque ad annum 1589 exeuntem, quando cum legato pontificio Caietano adit in Galliam, fratrum erat confessor et simul tradebat exhortationes Collegii Romani incolis [11].

Quod manuscriptis *exhortationum* comprobatur. Etenim ex *exhortationibus*, quae inveniuntur in C. Vat. lat. Rossiano 735 et anno 1899 Bruxellis editae sunt a P. Fr. Van Ortroy S. I., pars magna pertinet ad hanc periodum. Ad annum 1577 spectat exhortatio de renovatione votor. (pag. 64-72) et in conversionem S. Pauli (pag. 72-80): ad annum 1581 exhortatio ad scholasticos habita die 12 augusti in festo S. Clarae (pag. 114-112) in illud *Ioannis* 12: *Qui amat animam suam perdet eam;* ad annum 1582 series novem exhortationum *de charitate* (pag. 123-192), quem cyclum inchoavit circa festum Corporis Domini et absolvit 9 aug. 1583 in vig. S. Laurentii [12]; ad finem anni 1583 et initium anni 1584 series sex exhortationum *de custodia, circumcisione et duritia cordis,* quam inchoavit die 12 nov. 1583 (pag. 1-30) [13]; ad annum 1585-1586 series septem exhortationum *de donis Spiritus Sancti,* quarum prima prolata fuit die 11 mai, sexta autem iam spectat ad annum sequentem (pag. 31-64) [14]. Quibus ex documentis facile concluditur alias exhortationes mensiles fuisse, alias autem bis in mense fuisse dictas.

Die 2 oct. 1589 haec Bellarmini religiosa, inter Collegii Romani parietes quae erat actio, abrumpitur legatione gallica Cardinalis Caietani, cui S. Robertus tamquam theologus erat adiunctus [15]. Post feli-

[10] Cf. supra pag. 31.

[11] Cf. *Autobiogr.*, cap. 24, p. 455.

[12] Cf. Ortroy, p. 123 et p. 191: « exemplum S. Laurentii, cuius hodie est vigilia ».

[13] Cf. *ibid.*, p. 1 et p. 22, ubi data ipsius Bellarmini.

[14] Cf. *ibid.*, p. 31 et p. 51, ubi data.

[15] Cf. *B. a. s. C.*, p. 245, not. 1; *Autobiogr.*, cap. 25, p. 455 et *Memoria Rob. Bellarmini*: *B. a. s. C.*, p. 437.

cem reditum autem in urbem aeternam, qui erat die undecima nov. anni 1590 [16], non statim reassumitur, sed non nisi initio anni 1592. Anno enim 1591 Bellarminus in Collegio Romano absolvit cursum Controversiarum et in autumno eiusdem anni per aliquos menses Tusculi degit, ut tertium Controversiarum librum prelis edendam perficiat [17]. Redux ineunte anno 1592 Bellarminus in Collegio praeficitur curae spirituali scholasticorum, quos inter erat S. Aloysius Gonzaga [18]. Quare certum videtur eum anno 1592 exhortationes fecisse, licet ex isto anno nobis non restet nisi iterata instructio in conversione S. Pauli, quam iam supra commemoravimus. Ex relatione autem Patris cuiusdam prov. Neapolitanae [19], qui tunc temporis erat in Collegio Romano, scimus eum tamquam praefectum spiritualem scholasticis puncta tradidisse Exercitiorum Spiritualium, et illa occasione dixisse: « hunc punctum didici ex ore nostri Aloysii Gonzagae ».

CAPUT SECUNDUM

Bellarminus Rector et Provincialis

Die autem 18 decembris Bellarminus munere Rectoris praeficitur Romano Collegio, quo in officio manet usque ad diem c. 20 nov. 1594 [20]. Notissima est prima eius instructio [21], quae scriptis non est conservata, in *Eccl.um* 32, 1-4: « Rectorem te posuerunt? Noli extolli: esto in illis, quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, et sic conside, et in omni cura tua explicita recumbe, ut laeteris propter illos, et ornamentum gratiae accipias coronam, et dignationem consequaris corrogationis. Loquere maior natu: decet enim te primum verbum, diligenti scientia, et non impedias musicam ». Illud autem memoria dignum est Bellarminum rectorem sibi, pro magna parte saltem, reservasse officium instructoris domestici. Ete-

[16] *Autobiogr.*, cap. 28, p. 457: « die undecima ». *Mem. Bell.*, p. 437 false: 15 nov.

[17] Bartoli, II, cap. 2, p. 129; *Autobiogr.*, cap. 30, p. 458.

[18] Bartoli, *I. l.*

[19] *Relat. patris S. I. Neapol.*, n. 11-12.

[20] *Memoria R. Bell.*, p. 437; *Autobiogr.*, cap. 30-31, pp. 458-459.

[21] Fuligatti, *Vita*, cap. 14, p. 107; Bartoli, II, cap. 2, p. 136.

nim in secunda parte [22] anni 1593 habuit quattuor [23] exhortationes *de libertate spiritus;* exeunte autem eodem anno tres priores exhortationes *de cognitione Dei* [24]; inde autem a die 15 ian. 1594 alias decem de eadem materia [25]. Ex quibus apparet rectorem saltem singulis mensibus ad communitatem suam verba fecisse.

Inter Bellarmini auditores tunc temporis erat etiam Pater Nicolaus Lancisius, notus scriptor asceticus, qui anno 1590 a Calvinismo conversus, annis 1592-1595 in Romano Collegio studiis incubuit [26]. Lancisius testatur [27] Bellarminum in exhortationibus fuisse fontem ardoris; se exisse ex instructionibus tanto amore virtutis accensum et inflammatum, et tanto odio omnium imperfectionum permotum, ut secundum modum notum loquendi vel ignem pervadere potuisset.

Triennio rectoratus nondum completo, Bellarminus nominatus est praepositus provinciae S. I. Neapolitanae. Die 1 dec. 1594 Neapolim advenit [28], ubi mansit usque ad mensem ianuarii anni 1597. Toto tempore provincialatus conatus est verbo et exemplo alios docere, bis visitans provinciam [29]. Quod verbo docuit probant iterum documenta. Inter instructiones enim domesticas a P. Van Ortroy editas inveniuntur, quae habitae sint Neapoli in domo professa, in collegio, in novitiatu: dein Baruli (Barletta), Barii, Lupiis (Lecce), Salerni [30]. Et quod iam antea observavimus in Bellarmino rectore, iterum videmus in Bellarmino provinciali: in domo professa

[22] Ortroy, pp. 88-105. Exhortatio secunda habita fuit in octava S. Ioann. Bapt., (cf. p. 92), ideoque 1 iul. 1593.

[23] Exh. quinta et sexta *de libertate spiritus* factae sunt Baruli. 1596. cf. Ortroy, p. 106.

[24] Ortroy, p. 193: «de cogn. Dei. Exh. prima: anno 1593, nov.».

[25] Tota series 11 exhort. non habetur in ed. P. Van Ortroy. Tres priores vide ibi (p. 193-204); quarta usque octavam conservantur in cubiculo S. Aloysii in Eccl. Rom. S. Ignatii (prima inscribitur 15 ian. 1594); nonam usque undecimam iterum dat Van Ortroy (pp. 239-252); ultimas duas X. M. Le Bachelet in supplemento libri P. Van Ortroy.

[26] Cf. *Kirchenlexicon*, ed. 2, VII, 1379, i. v. *Lancisius.*

[27] Cavalchini, n. 69 in nota ultima.

[28] *Memoria Rob. Bell.*, p. 437.

[29] *Autobiogr.*, cap. 30, p. 458. Cf. etiam *Summ. Vet.* p. 28 (30).

[30] Ortroy, pp. 106, 110, 205, 253, 260, 265, ubi locus et annus indicantur.

Neapolitana ipse pro magna parte sibi assumit munus exhortatoris domestici, quod patet ex magna serie undecim allocutionum *de perfectione,* in quibus de instituto Societatis anno 1596 disseruit ad confratres Neapolitanos (*Exhort. domest.,* pp. 209-252).

Inter instructiones quas S. Robertus provincialis habuit, aliae sunt ipso tempore provincialatus redactae, ut v. g. praedictae *de perfectione,* duae ultimae *de libertate spiritus* (pp. 106-113); duae *in renovatione votorum* (pag. 253-264); duae *de humilitate* (pag. 265-285); una *de decem virginibus* (pag. 84-87). Aliae sunt olim Romae habitae, ut patet ex ipsius Bellarmini indicationibus; nec mirandum est eum in diversis suae provinciae domibus et collegiis haud raro eandem protulisse instructionem [31]. Quod ceterum est conforme Evangelio: profert enim bonus paterfamilias de thesauris suis nova et vetera.

Narrat P. Fuligatti [32] instructiones Bellarmini laete auditas fuisse et diu in auditorum vixisse recordatione. Eas fuisse simplices et claras, alienas ab omni ostentatione subtilitatis nimisque altae speculationis vel eruditionis profanae. Eas fuisse methodice compositas cum facili divisione materiae, cum solidis rationibus e Scriptura, Patribus, historia ecclesiastica, et naturali lumine intellectus desumptis. Breviter: exhortationes bonas fuisse et auditorio optime adaptatas, sed summopere fuisse efficaces in ore Bellarmini, non solum ob modum dicendi lucidissimum, sed etiam ob ignem meditationis, ex qua viderentur procedere. Quod Fuligatti iudicium lectione confirmatur: simplices enim exhortationes sunt et solidae; sed eorum efficacia non explicatur, si abstrahis a persona loquentis, quae simul habuit charisma sermonis et sanctitatis.

Ex relatione cuiusdam Patris Neapolitanae provinciae [33] aliud etiam apparet, scil. S. Robertum plena libertate filiorum Dei vituperasse defectus publicos. In specie nobis refert de exhortatione quadam in domo professa Neapolitana, in qua Bellarminus dixerat, se existimare quosdam fratres coadiutores non nimis fiducialiter

[31] *Ibid.,* p. 114: *In Ioh. 12*: Romae 1581, Neapoli 1595, Lupiis 1596; p. 260: de renovatione votorum: 1596 Neapoli, Barii, Salerni, et postea Capuae in monasterio S. Mariae 1602.

[32] Fuligatti, cap. 14, p. 114.

[33] *Relatio Patris S. I. Neapol.,* n. 14.

cogitare debere de propria salute, cum post vitam pauperem et laboriosam in saeculo, in Societate bonis omnibus provisi laborem recusarent. Quae verba cum quadam amaritudine a coadiutoribus fuissent accepta.

Sed aliud quoque est quod narrat idem testis, qui licet ex Neapolitana provincia, Romae in Collegio Romano studiis videtur incubuisse, et rem quidem alicuius ponderis. Dicit enim [34]: « In Collegio Neapolitano et Romano exhortationes faciebat *latine*, et ego conservo quasdam ex istis exhortationibus de septem donis Spiritus Sancti [35] *in lingua ista*, stilo facili et sententiis pleno conscriptas, nec sine fructu legendas ». Quo ex testimonio duplex conclusio deduci potest: primum Bellarmini temporibus nonnumquam patres et fratres coadiutores separatas habuisse exhortationes domesticas; alterum non solum sermones et catecheses Bellarmini, sed etiam exhortationes ex ore loquentis calamo fuisse exceptas [36].

Rogaverit quis, utrum longiores ex exhortationibus latinis sint mere puncta praeparatoria sat ampla [37], an potius redactiones definitivae, sicut ore sunt habitae. Quod ultimum quis deducere posset ex proposito Bellarmini, in collegio Montis Vicii facto, scribendi in posterum *sola puncta*, excepta tamen praeparatione ad *contiones latinas* [38]. Deductio autem valde dubia est, cum *exhortatio* non sit idem atque *contio*. Immo res mihi videtur neganda, cum exhortatio anni 1599 in honorem S. Patris Ignatii [39], quae est ex longioribus et cuius simul habemus *exceptum italicum*, ut ex comparatione exhortationis et eius excepti patet, non sit nisi schema compendiosum [40].

Mense ianuario anni 1597 Romam vocatus a Summo Pontifice, Bellarminus ut theologus pontificius et consultor S. Inquisitionis, devertitur ad domum Poenitentiariae, cuius domus die 21 ian. 1599 rector est nominatus, non nisi paucas hebdomadas ante cardinala-

[34] *Ibidem*, n. 15.
[35] Anno 1585-1586, cf. supra pag. 53 et n. 14.
[36] Cf. supra pp. 22, 25, 27 de sermonibus; p. 44 de catechesi.
[37] Ortroy in prologo, p. 10.
[38] Cf. *Autobiogr.*, cap. 11, p. 448; supra p. 20-21.
[39] Ortroy, pp. 309-314.
[40] Vide sermones in honorem Sanctorum in volumine II.

tum initum. Etiam tempore hoc intermedio ab exhortandis fratribus non abstinuit. Instructio enim de decem virginibus [41] habita est anno 1598 in Collegio Romano in festo S. Agnetis; et deinde anno 1599 in Poenitentiaria.

Ut finem imponam periodo quae cardinalatum praecedit, commemorare iuvat Robertum initio anni 1598 adiisse urbem Montispolitiani, ut visitaret fratrem aegrotum [42]. Testatur Camilla Bellarmini, Roberti soror [43], fratrem ea occasione audivisse confessiones omnium monacharum monasterii Sancti Bernardi, et exhortationem fecisse in monasterio Sancti Hieronymi, et forsan etiam praedicasse in ecclesia Sanctae Clarae.

CAPUT TERTIUM

Cardinalatus

Die 3 martii Bellarminus coactus praecepto Papae cardinalatum acceptat, feria quarta Quattuor temporum Quadragesimae [44]. Minime putavit S. Robertus dignitatem cardinalitiam cum exhortationibus domesticis non congruere; immo cardinalatu Bellarminus factus est exhortator domesticus quidam perpetuus varias ob causas:

1° Quia continuo usque ad extremam senectutem cohortabatur familiam suam cardinalitiam.

2° Quia sui muneris esse putabat nonnumquam instruere communitates religiosas vel instituta religiosa, quorum curam habebat sive ut episcopus, sive ut cardinalis.

3° Quia ad exhortationes faciendas haud raro invitabatur a superioribus Societatis Iesu.

4° Quia in secessu annuo per mensem degens in domo novitiatus Sancti Andreae, usque ad annum ultimum tam communitatem quam novitios in specie exhortatione solebat alloqui.

Iam breviter de singulis; postea enim in praefationibus de singulis plura sunt dicenda.

[41] Ortroy, pp. 84-87.
[42] Cf. *B. a. s. C.*, p. 404 not.
[43] Cam. Bellarmini: *Relat.*, n. 9.
[44] *Memor. Rob. Bell.*, p. 437; *Autobiogr.*, cap. 33, p. 460.

a) De familia Cardinalitia.

Constabat familia ut iam ante notavi, agens de catechesi, decem officialibus maioribus, quorum saltem quinque erant sacerdotes, et circa viginti quinque famulis minoribus, sive ipsius cardinalis sive officialium maiorum. Ex laicis alii erant matrimonio iuncti, alii non. Ad illam familiam instructiones faciebat [45]:

1° Singulis dominicis Adventus et Quadragesimae post litanias vespertinas.

2° Singulis diebus tertiis ante festum Nativitatis, Paschatis, Pentecostes, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V.,

4° Accedit singulis hebdomadibus instructio catechetica ad familiam inferiorem, ut iam antea expositum est.

3° Per multos annos, ut videtur, hebdomadibus singulis, sive feria VI sive dominica.

4° Accedit singulis hebdomadibus instructio catechetica ad familiam inferiorem, ut iam antea expositum est.

Quae omnia nobis nota sunt non solum externis testimoniis adductis, sed etiam manuscriptis comprobantur. Nobis enim restant duae series instructionum hebdomadalium; *de vitiis capitalibus* scilicet et *de attributis divinis;* series una *quadragesimalis;* et insuper *allocutiones* quaedam *praeparatoriae* ad communionem generalem in festis maioribus. Clarum autem est, cardinalem in exhortanda familia haud raro adhibuisse allocutiones antea iam factas ad religiosos Societatis, attamen auditorio novo nove adaptatas, ut etiam patet ex introductoria instructione de vitiis capitalibus: « Anno superiore (1614) tractavimus *de charitate*, hoc anno de cupiditate tractabimus ». De charitate autem egerat annis 1582 et 1606-1607 cyclo novem instructionum in Romano Collegio [46].

[45] Cf. Epist. 6 aug. 1599 ad P. Carminatam: *Racc. Carm.*, n. 3; Badino de Noris, *Relat.*, 17; Finali, *Relat.*, p. 7 et 22; Iacobelli, *Relat.*, nn. 43-44; Celsus Abb. Coelest., *Relat.;* Mongardi, *Relat. de morte*, p. 19; Patarini, *Relat.*, n. 28; Torti, *Relat.*, II, 49; Ubaldini, *Relat.*, n. 15; *Summ. Vet.* p. 29 (30) et 35 (37); Cavalchini, n. 72, ubi in nota testimonia PP. Mutii Vitelleschi, Eudaemon-Ioannis et Sirmondi; Bartoli, II, cap. 12 pp. 208-209; Fuligatti, *Vita*, cap. 19, pp. 155-156.

[46] Cf. supra p. 53; annus 1606-1607 constat ex *Summ. Vet.* p. 28 (30).

Illis autem instructionibus audiendis non solum aderant familiares ipsius Bellarmini, sed etiam ex aliis familiis cardinalitiis, maxime nobiles et literati [47]. Abbas generalis Coelestinorum, Don Celsus Amerighi, testatur se multis interfuisse huiusmodi allocutionibus [48], et etiam fidelis caudatarius et eleemosynarius Iacobelli [49] narrat externos adfuisse cum magno gustu atque animi affectu.

Quod humile officium Bellarminus semper carum habuit, et quando morti vicinus, novitiatum S. Andreae aditurus, maiorem partem familiae dimittere cogitur, non iis valedicit nisi post valde bonam exhortationem vivendi constanter in eo timore Dei, quem ipse, quantum in se erat, iis procurare semper conatus erat [50].

b) De institutis religiosis Bellarmini curae submissis.

Capuae multae moniales erant, quarum curam habuit Episcopus. Eum saepius verba dixisse ad monachas Sancti Ioannis in aperto est: eas enim non solum reformavit, sed ab exstinctione totali praeservavit [51]. Sed et aliarum non oblitus est. Teste enim primicerio canonico Laur. Menicillo [52] vigilantissimus erat circa monachas, saepe eas visitando et exhortando fructu incredibili ad omnium satisfactionem. De instructionibus quae nobis restant, paucis, sive quia multae periere, sive quia Capuae ex thesauro suo multa protulit vetera, postea erit dicendum.

Romae Cardinalis inde ab anno 1611 protector erat monialium S. Marthae [53]. Erat quoque vice protectoris monasterii Convertitarum [54]. De instructionibus ad illas habitis non multae supersunt.

[47] Bartoli, II, cap. 12, p. 209; M. Carresius in processu Capuan.: *Summ. Vet.*, 29 (30)

[48] Celsus Abb., *Relat.*

[49] Iacobelli, *Relat.*, n. 44.

[50] Finali, *Relat.*, p. 22.

[51] Fuligatti, *Vita*, cap. 22, pp. 187-190.

[52] Menicillo, *Relat.*, n. 5.

[53] Ep. 4 iun. 1611 ad fratr. Thomam: Arch. Coll. German.: Ep. 8 iul. 1611 ad P. Carminata: *Racc. Carm.*, n. 40; Iacobelli, *Relat.*, n. 13; Patarini, *Relat.*, n. 10; Fuligatti, *Vita*, cap. 30, p. 255; *Regola di S. Agostino per le monache di S. Marta* (approbata a Bell.), Romae, 1617; *Autobiogr.*, cap. 40, p. 463.

[54] Patarini, *Relat.*, n. 10; Fuligatti, *Vita*, cap. 30, p. 256; *Autobiogr.*, cap. 40, p. 463.

Quod autem superest, sufficit — sicut etiam ex aliis actis et litteris patet — ad demonstrandum Bellarminum protectoratum serio exercuisse. De quibus in introductione speciali.

Anno quoque 1611 Bellarminus nominatus est primus protector Collegii Germanici [55]. Non credo eum frequenter huius Collegii alumnos esse allocutum: quodsi fecit, saltem iam non adsunt vestigia. Eum autem nonnumquam fuisse invitatum, ut alumnos verbis hortatoriis aedificaret, apparet ex relatione Patris Hieronymi Nappi [56]. Cum enim P. Nappi occasione quadam Bellarminum, iam fini vitae appropinquantem, invitasset, ut Germanicis instructionem daret, respondit senex se iam non posse tam facile latine loqui ut olim in Flandria, et sibi iam deesse memoriam, qua menti tradita recitaret. Hac de causa se rogare ut haberetur excusatus.

Quanta bona Bellarminus, inde ab anno 1606 protector, monachis Coelestinis contulerit notissimum est [57]. Iis quoque in pignus amoris, quo illos corde dilexerat, dedicavit opusculum suum *de septem verbis Domini in Cruce*. Anno 1612 praesidens Sulmonae secundo capitulo [58], multas instructiones ad patres congregatos habuit, quibus factum est, ut res capitulares cum magna facilitate et libertate perficerentur [59]. In specie Bellarmino debetur, quod novitiorum instructio, sacra studia, mentalis orationis exercitium, faustum facerent progressum [60]. Bellarminum autem Romae ad S. Eusebium, Coelestinorum monasterium, allocutiones fecisse non credo. Saltem Don Celsus hac de re silet, dum ex altera parte Cardinalis instructiones ad familiam cardinalitiam commemorat, ut supra est expositum.

c) *Exhortationes ad Patres Societatis.*

Anno 1602 Bellarminus tamquam archiepiscopus Capuanus visitavit cardinalem archiepiscopum Neapolitanum, brevissime. Sed

[55] Post mortem Card. Paravicini. Cf. epist. 4 iun. 1611: Arch. Coll. German.

[56] Nappi, *Relat.*, n. 16.

[57] Celsus Abb., *Relat.*; Cavalchini, n. 60; Fuligatti, *Vita*, cap. 30, pp. 245-55.

[58] Guidotti, *Relat.*

[59] Celsus Abb., *l. l.*

[60] Cavalchini, n. 60, nota c; Fuligatti, *l. l.*

non defuit tempus, ut in ecclesia veteri Collegii exhortationem faceret communem ad omnia membra Societatis [61]! Accepto pallio archiepiscopali anno 1602, per quattuor dies in Collegio Romano sese tradit exercitiis spiritualibus, et subito Capuam pergit, sed non nisi facta ad communitatem pia et affectuosa exhortatione [62]. Haec duo facta simplicia plus docent quam verba multa. Demonstrant enim eum etsi occupatissimum solatium exhortationis suae fratribus non facile denegasse. Speciatim in anniversario Sancti Ignatii libenter hoc sibi munus assumpsit. Saltem nobis constat de annis 1599, 1605, 1606, 1607, 1608. Sed festum S. Patris non erat unica occasio. Certum enim est, eum annis 1606 et 1607 tempore aestatis in Collegio Romano exhortationes suas, iam antea factas, *de caritate* habuisse, ita ut omnes mirarentur et optime perspicerent eum fuisse plenum caritatis et amoris Dei [63]. Quare dubitandum non est eum hoc officio non defuisse, cum inde ab anno 1611 residentiam suam transtulerat ad plateam S. Machuti, ut vicinior esset Romano Collegio eiusque incolis.

d) Exhortationes in Novitiatu Sancti Andreae.

Singulis annis mense septembri, vel si tunc nimiis occupationibus erat impeditus, mense octobri, Bellarminus Romae adibat novitiatum Sancti Andreae, ut per decem dies exercitiis spiritualibus vacaret, reliquum autem tempus, omissis aliis occupationibus, impenderet in continua rerum divinarum ac coelestium meditatione [64]. In istis horis quietis spiritualis exorta esse plura opuscula spiritualia notum est [65]. Quam consuetudinem Robertum per 15 ultimos

[61] *Relat. Patris S. I. Neapolit.*

[62] Cf. *Autobiogr.*, cap 35, p. 461; Fuligatti, *Vita*, cap. 21, pp. 171-172; die 21 apr. consecratio episcopalis; 23 apr. pallium; 24-27 apr. secessus; 26 apr. exhortatio; die 1 mai iam adest Bellarminus Capuae.

[63] *Summ. Vet.* p. 28 (30) et Cavalchini, n. 69, ex relatione Nic. Lancisii S. I.

[64] Finali, *Relat.*, p. 12; Fuligatti, *Vita*, cap. 35, pp. 291-292; Bartoli, II, cap. 15, p. 236; Cavalchini, n. 152.

[65] Finali, *Relat.*, p. 13; Cavalchini, *ibid.*; *De ascensione mentis in Deum*, 1615, praef.; *De septem verbis in Cruce*, 1618, praef.; *De officio*

vitae suae annos servasse nobis compertum est certissime [66]. Narrat Pater Bartoli Bellarminum in fine recollectionis mensilis ad hospitalitatem acceptam remunerandam semper fecisse exhortationem communem, quam novitii memoria retentam post allocutionem scriptis mandabant [67].

Notanda est illa vox « communis ». Etenim in novitiatu singulis diebus suas novitii habebant instructiones; singulis autem feriis sextis communis erat exhortatio ad omnes incolas domus, veteranis non exceptis [68]. Ex instructionibus cardinalitiis quae nobis restant nam ut provincialis anno 1595 Bellarminus saltem quater allocutus est novitios [69]! — septem, ni erro, pertinent ad eas quae in novitiatu Romano sunt prolatae. Eas non sine fructu fuisse testantur variae relationes, in quibus nobis pretiosa illarum exhortationum fragmenta servata sunt. De iis loquuntur P. Hieronymus Nappi [70], Frater Finali [71], aliquis Pater anonymus e Societate [72], P. Fuligatti [73]. In una ex istis [74] explicavit visionem Ezechielis de quattuor animalibus, quibus comparavit quattuor gradus societatis: professos, coadiutores spirituales, scholasticos et fratres coadiutores temporales. Non autem placuit fratribus coadiutoribus sese fuisse cum bobus comparatos, licet comparatio minime fuerit dedecori: bovis enim est strenue laborare et Deo sacrificari! Sed haec sufficiant. In edendis enim instructionibus memor ero illius *Ioh.* 6, 12: *fragmenta colligite!*

Quod si rogatis, quando Bellarminus revera senserit gravamen

---

principis Christiani, 1619, praef.; *De arte bene moriendi*, 1620, praef.; ***Epist. fam.*** n. 155.

[66] Cavalchini, n. 152: « per octo vel saltem septem ultimos annos ». Cf. tamen ep. 10 sept. 1607 ad Thom. fratrem: Opp. NN. 244; ep. 20 oct. 1607 ad P. Carminata: *Racc. Carm.*, nº 27; ep. 21 sept. 1611 ad P. Aquavivam: *Lett. e Miscell.*, Opp. NN. 248 f. 15. Anno 1601 videtur fecisse exercitia Tiburti, cf. Ep. 12 oct. 1601 ad Thomam fratrem: Opp. NN. 244.

[67] Bartoli, II, cap. 15, p. 236.

[68] Finali, *Relat.*, p. 13.

[69] Ortry, pp. 84, 114, 205, 206.

[70] Nappi, *Relat.*, nn. 2 et 4.

[71] Finali, *Relat.*, pp. 13-14.

[72] Anonymus S. I., *Nota*: Arch. Post. Bell.

[73] Fuligatti, *Vita*, cap. 13, pp. 144-145.

[74] Nappi, *Relat.*, n. 4.

senectutis — usque enim ad finem ita strenue laboravit, ut eum dixeris semper mansisse iuvenem — respondeo absque haesitatione: mense septembri anni 1620. Etenim cum rector novitiatus Cardinalem adiisset ad eum interrogandum, qua die de more solito vellet inchoare exercitia spiritualia, indicata die subiunxit magna modestia [75]: « Ante meum adventum vellem rogare R. V. unam gratiam: est autem haec, non mihi imponendi obligationem faciendae exhortationis, ut hucusque semper feci. Nam sentio mihi deficere memoriam, et cum mox novitiatum ingressus me considero tuum subditum, difficile mihi esset abnuere! »

Quae verba non solum ostendunt pium animum sancti senis, sed etiam nos conducunt ad periodum ultimam. Nam verbis istis capitulum Bellarmini exhortatoris nondum clausum est. Natus erat orator, orator erit moribundus!

CAPUT QUARTUM

Exhortationes moribundi

De Bellarmini ultimo morbo et sancto obitu exsistit pretiosa relatio 128 paginarum, conscripta a fratre Iosepho Finali [76]. Is enim, quo tempore iuvantibus duobus Bellarmini cubiculariis cardinali moribundo per tres hebdomadas assistebat, « a pezzi et a bocconi di giorno e di notte », ut ipse dicit [77], diarium eorum, quae diebus istis dicta et gesta sunt, accuratissime confecit. Alia autem relatio est Augustini Mongardi, qui per 20 annos Bellarmini fuit famulus cubicularius, et diebus ultimis erat socius fratris Finali. Quae relationes haud pauca continent ad rem nostram quae spectent.

[75] Fuligatti, *Vita*, cap. 18, p. 144. Cf. etiam supra p. 61 de allocutione negata Germanicis.

[76] *Depositioni del fr. Giuseppe Finali*: Arch. Postul. Gen. Rom., *Bell.* 37. Anno 1627 quo fit processus Romanus, fr. Finali habet 39 annos, Ut servitor Cardin. Sfondrati, dicti a S. Caecilia, novit Bellarminum inde a 1605-06. Anno 1616 ingreditur novitiatum Sti Andreae et postea fit socius procuratoris. Una cum fideli servitore August. Mongardi assistit die ac nocte Bellarmino aegroto et moribundo.

[77] Finali, *Relat.*, p. 128: « scritto a pezzi et a bocconi di giorno e di notte, mentre ero alla custodia di lui occupato ».

Die 25 augusti S. Robertus intrat novitiatum S. Andreae non solum ad secessum consuetum annuum peragendum, sed etiam ut sese per reliquum vitae tempus ad mortem beatorum praepararet. Die 28 augusti ultima vice adit S. Rituum Congregationem, ubi in causa exponenda febri arripitur. Domum reportatus in lecto collocatur, in quo manebit per 21 dies usque ad gloriosam sepulturam.

Erat autem morbus delirium febrile, quasi fixis temporibus stadiis longis lucidis interruptum. Sed sive in delirio, sive in interstitiis ita erat aedificationi omnibus, ut undique, maxime ex aulis cardinalitiis, Papa et cardinalibus non exceptis, confluerent ad talem videndam vivam imaginem sanctitatis. Quae omnia ita a fratre Finali narrantur, ut digna sint quae legantur, tam ab hagiographis et scriptoribus asceticis, quam ab iis qui in re medica vel psychologia religiosa sunt versati. Ea tamen sola attingam, quae ad rem nostram faciunt. Id autem erat quasi omnibus accessionibus febrilibus commune, ut vel phantasia sua varios modos orandi exerceret [78], vel exhortationes dirigeret ad fratres [79]. Quid autem in allocutionibus istis dixerit, nonnumquam ex diario habemus compertum.

Die tertio morbi, i. e. die 30 augusti, medici ordinaverunt venarum incisionem tam capitis quam brachii dextri. Tonsore autem, cui tunc temporis sanguinis missionem committebant, actionem chirurgicam peragente, Bellarminus — ita Finali [80] — discursum fecit de huius vitae fragilitate, verbis tam gratiosis, ut recreationi simul esset et compunctioni.

Die octavo aegritudinis seu die 4 sept., in accessione febrili non nimis vehementi, totus in eo erat, ut filios Societatis — hoc erat thema praedilectum in deliriis — exhortaretur ad virtutes veras et solidas exercendas; tandem viribus exhaustis sese recolligebat

[78] Finali, *Relat.*, pp. 31, 35-36, 43, 83, 102.

[79] *Ibid.*, p. 42: « Il delirio come sempre in altri fantasmi non diede, che si in essortare a noi altri della Compagnia d'attendere alle vere et solide virtù ». Mongardi in initio *Relationis de morte* dicit eum tempore accessionis febrilis fecisse varias orationes cum magna devotione, sese praeparasse ad Sacrum, suspirasse per iaculatoria ad Deum, tractasse de rebus gravioribus et de iis dedisse responsa seria, monuisse ad virtutem.

[80] Finali, *ibid.*, pp. 26-27; *Positio* 1828 p. 378.

piis iaculatoriis ad officium suum imaginarium mox devote recitandum [81].

Meridie diei decimi tertii morbi, die 9 sept., extremam accepit unctionem: vespere de novo incurrente febri, iterum disputare coepit de virtute et vitio variis prolatis argumentis: causam omnium malorum esse stomachum corruptum: ab hominibus putari dulce, quod sit amarum; amarum quod sit dulce; grave quod sit leve et sic de singulis. Et mirantibus medicis usque ad noctem in similibus rationibus evolvendis permansit [82].

Die sexto decimo, i. e. 12 sept., febribus inflammatus, disseruit de miseriis humanae vitae et de felicitate aeterna; pro rebus aeternis esse laborandum, non pro rebus caducis huius mundi, quae si hodie non amittantur, infallibiliter pereant cras [83].

Die sequenti in lucido intervallo de republica Venetorum erat sermo. Bellarminus autem dixit se valde timere de salute huius reipublicae. Quam occasionem arripuit, ut philippicam faceret contra eos, qui post malam vitam sperent se bene morituros. Se optime scire iudicia Dei esse imperscrutabilia, sed ex altera parte terminum naturalem vitae malae esse mortem malam [84].

Die decimo nono, i. e. 15 sept., post prandium dolorosum, in stadio tamen normali, ansam arripuit ex doloribus variis, quos mane subierat, exhortationis spiritualis ad fratres de bono patiendi cum Christo patiente [85]. Christum primum nostrum ducem esse in supportandis tot ac tantis passionibus in carne, honore, aliisque rebus, quibus amissis mundus doleat, gaudeat acquisitis. Et hac de causa Sanctum Fundatorem nostrum scripsisse, nos omnino et non ex parte abhorrere debere ab omnibus, quae mundus amet et amplectatur, concupiscere autem totis viribus, quidquid Christus Dominus noster amaverit et amplexus sit. Et rationem dedisse Sanctum Ignatium dicentem: quemadmodum enim mundani homines, qui ea quae mundi sunt sequuntur, diligunt et quaerunt magna cum

[81] *Ibid.*, pp. 42-43 et 384.
[82] *Ibid.*, pp. 58-59 et 393; MONGARDI, *Relat. de morte*, p. 7.
[83] *Ibid.*, p. 77 et 401.
[84] *Ibid.*, p. 87 et 402.
[85] *Ibid.*, p. 89-90 et 406.

diligentia, honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet: sic etc.[86].

Haec erat ultima Bellarmini instructio: nam diebus sequentibus, penultima scilicet et postrema suae vitae, per multum tempus febris accessiones non fuerunt, et cum redirent, iam lingua amiserat vocis imperium. In horis autem lucidis nimis erat debilis, ut verba faceret. Eo autem vehementius sese orationibus cum suo Creatore uniebat[87].

Rem meditandam lectori relinquo. Multis autem solatio erit scire, ultimam exhortationem domesticam ad filios Societatis — *fece una essortatione a tutti noi*, dicit frater Finali[88] — fuisse de regula famosa undecima *Summarii Constitutionum*.

SECTIO QUARTA

De imagine perfecti oratoris sacri ad mentem Bellarmini

Ut aliquis perfectus sit orator sacer, — ita constans Bellarmini doctrina Lovanii, Romae, Capuae, iterum Romae gravissimis verbis proposita — tria requiruntur: sapientia, fervor charitatis, eloquentia.

Iam in contione Lovaniensi 36ª habita in die Pentecostis[1] hoc clare docetur: « Existat autem concionator aliquis, qui non fulgeat luce sapientiae, quid obsecro efficiet? Nonne caecus caecis ducatum praestabit, et tam ipse quam ii, a quibus auditur, in foveam cadent? Existat dein alius, qui luceat quidem, sed non ardeat: sapiens, sed improbus: nonne quantum sapientia et verbis aedificabit, tantum vitio et moribus destruet? Ut illud omittam, quod qui spiritum ad fervorem non accepit, nunquam se periculis

[86] *Summarium Constitutionum* Sti Ignatii, regula 11.

[87] Finali, *Relat.*, pp. 103 sqq. et 407 sqq.

[88] *Ibid.*, p. 89. Conferri etiam possunt de morbo et morte Bellarmini Minutolo, *Ultima infirmitas*, 1621; Eudaemon-Ioannes, *Narratio de pio obitu*, 1621; Coffin, *De morte C. Bell.*, 1622 apud Brodrick, II, pp. 432-440; 458-462; Cervini, *Adumbr. imago*, pp. 81-91.

[1] Ed. Neapol., 1861, tom. V, II, p. 245.

exponet, numquam vitia reprehendere audebit, numquam auditores suos accendet. Ignis enim et fervor caritatis, non eruditio ac sapientia accendit. Porro existat tertius, qui Spiritum sapientiae et charitatis acceperit, sed lingua non valeat, neque oratione sensa animi sui exprimere possit; qui haereat, balbutiet, taedium gignat; risum moveat, non illum gratum, indicem voluptatis, qui leporem et gratiam dicentis consequitur, sed illum infaustum et ab oratoribus fugiendum, quem imperitia atque infantia oratoris extorquet: quid obsecro iste umquam persuadebit? Non igitur sine sapientia, charitate et dono orationis aliquis umquam absolutus concionator erit ».

Idem, sed modo magis ieiuno proponitur a Bellarmino sene in nota *de ratione* formandae contionis, quae conscripta videtur post annum 1613 [2]. Ibi enim § 5 dicitur: « Tria sunt necessaria ei, qui utiliter concionari velit: zelus Dei sive spiritus et fervor caritatis, sapientia, et eloquentia, quae tria significabant linguae igneae, quae super apostolos apparuerunt, cum a Deo crearentur concionatores primi evangelici; ardor ignis zelum, splendor sapientiam, forma linguae eloquentiam designabant. Eloquentia sine caritate et sapientia est cymbalum tinniens et inanis garrulitas. Sapientia et eloquentia sine caritate est res plane humana et mortua. Caritas sine sapientia et eloquentia est instar viri fortis sed inermis ».

CAPUT PRIMUM

De fervore caritatis

Orator cui deest fervor caritatis Bellarmino nil est nisi aes resonans. Et quidem duplicem ob rationem, ut explicat in contione 19ª Lovaniensi [3]. Nam primum orator sine fervore caritatis non plus valet quam campana, quae clamans semetipsam non au-

[2] *Auctar. Bell.*, p. 655-657, et infra statim post introductionem generalem. Post 1613, quia videtur citari liber *De Script. Eccl.*, anno 1613 editus.

[3] *Cont.* 19 *Lovan.*, in Dom. Quinquages., parte 1ª, ed. Neapol., V, II, p. 121.

dit: loquitur aliis, non sibi; stat in loco sublimi aliis disserens et a semetipso non intelligitur. Fistula est, quae nihil habet praeter vocem; corpus quod nihil habet nisi collum. Deinde etiamsi sonet aliis, sonitum dat inanem; terret, non laedit; est bombarda absque globo tormentario solo pulvere onerata; edit sonitum maximum, sed moenia et turres non cadunt. Qui enim sine spiritu, affectu, caritate concionantur, feriunt quidem audientium aures sonitu verborum, sed nequaquam deiciunt turres vitiorum. Talis eloquentia nil valet.

Accedit, ut explicatur in sermone Lovaniensi dom. 4ae post Pascha [4], quod orator non fervens charitate semetipsum quaerit et non Dei gloriam. Hac de causa ex una parte vult formosus videri et elegans, et blando utitur genere dicendi; ex altera parte non audet veritatem dicere et corrigere defectus. Nam licet orator christianus teste Gregorio ita vivere et loqui debeat, ut a populo christiano diligatur, tamen non debet ita placere hominibus, ut iam Deo non placeat. Quare probus atque integer orator annunciabit populo Dei scelera eorum, et si id moleste ferant, aperte dicet: *Quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum; sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut hoc dicam!* Quod si autem concionator ista dicere non audet, infelix orator est, et melius ei esset fodere et mendicare, quam loqui verbum Dei. Potius *aratorem* quam *oratorem* agat!

Ut autem zelum seu spiritum charitatis hauriat, nil magis ei proderit quam assidua ad Deum oratio et continua et seria rerum coelestium cogitatio [5]. Meditari quoque debet sui muneris excellentiam: id enim exercet, quod Christus exercuit et apostoli [6]. Sacerdos qui hac in re nec munus suum, nec locum, nec gradum intellegit, non videt ipse, quantopere vilescat ac sordescat. Putat vile concionari, quod Dominus et apostoli faciebant, dum non putat vile pecunias numerare, quod faciebat Iudas [7].

[4] *Cont.* 32 *Lovan.*, part. 2a ed. Neapol., V, II, p. 215.

[5] *De rat. form. conc.*, § 6.

[6] Cf. *Adm. ad Ep. Thean.*, cap. 3: in *Auct. Bell.*, pp. 646-647; *De gem. columb.* cap. 5: ed. Neap., VI, pp. 357-358.

[7] *Cont.* 8 *Lovan.* in domin. 4 Advent.: ed Neap., V, II, p. 50.

CAPUT SECUNDUM

De sapientia

Quoad sapientiam oratori secundum Bellarmini mentem tria sunt necessaria [8]. Et quidem ante omnia cognitio vera sacrarum Scripturarum. Sacra Scriptura oratori valde familiaris sit oportet, et hac de causa quotidie aliquid ex divinis litteris legere debet, et simul consulere Patrum commentaria [9]. Pulchre S. Robertus in *explanatione epist.* Dom. 2ae Adventus [10]: « Sacra Scriptura omnium scripturarum est longe utilissima. Siquidem iurisprudentia conservat haereditates et testamenta hominum, Scriptura conservat testamentum Dei, quod est testamentum haereditatis aeternae. Ars medicinae curat corpora; haec sanat animos. Philosophia erigit mentem usque ad sydera cognoscenda; haec erigit ad cognoscendum syderum conditorem. Historiae humanae narrant primordia et eversiones civitatum; haec narrat mundi totius constitutionem et eiusdem mundi futuram consummationem. Poesis humana delectare non novit nisi fabulis et amoribus impudicis; haec habet poemata castissima et suavissima Davidis, Salomonis, Moysis, quae mirifice delectant animos atque ad amorem divinum accendunt. Prudentia humana cum eloquentia summa coniuncta in dialogis Platonis et in libris politicis Aristotelis nullis civitatibus persuasit, ut leges vivendi et formam reipublicae eorum eligerent; praedicatio evangelii simplici Scripturae veritate proposita Christi legem orbi terrarum facile persuasit. Sed quod est omnium maximum, scripturae humanae faciunt doctum iurisconsultum, doctum medicum, doctum philosophum naturalem aut moralem, bonum historicum, bonum poetam, bonum oratorem: *at hominem absolute doctum et sapientem,* atque adeo bonum et beatum hominem numquam facient ».

Non autem sufficit ad fructuose docendum quilibet S. Scriptu-

[8] *De rat. form. conc.*, § 7.
[9] *De rat. form. conc.*, § 7.
[10] *Explan. 2a in epist. domin. et fest.* Vide postea in volumine VII.

rae usus. Sunt qui de singulis Evangelii vocibus quaedam dicant, vel iis utantur ut puncto ex quo exordiantur; tales autem non S. Scripturam, sed sua verba praedicant. Necesse est verum et germanum sensum Verbi Dei eruere, inde dogmata fidei confirmare vel praecepta morum tradere, aliis verbis: breviter id docere, quod Spiritus Sanctus per ea verba doceri voluit. Hoc enim est populum pascere et instruere verbo Dei. Et haec est ratio cur studium Patrum eorum, qui S. Scripturam data opera exposuerunt, vel etiam recentiorum, qui hac in re bene meruerunt, ut v. g. Cornelii Iansenii et Adami Sasbout, non sit ullo modo negligendum [11].

Praeter cognitionem S. Scripturae et Patrum requiritur cognitio dogmatum ecclesiasticorum. Hac in re ut doctrinam tutissimam Bellarminus commendat eam, quae est S. Thomae et *Catechismi Tridentini*. Orator autem sese ad doctrinam certam limitet necesse est. Cum realismo quodam sanissimo observat S. Robertus, iam non parum esse si populus ea, quae certa sint, plane intelligere et capere possit, et hac de causa non recte facere, qui populo christiano proponat opiniones inter doctores disputatas [12]. Tractare in cathedra quaestiones scholasticas vel disputare de rebus subtilibus, genera sunt concionandi, quae a Bellarmino excluduntur a generibus utilibus et merito frequentandis [13]. Explicare autem res fidei est res fundamentalis praedicationis evangelicae, et hac de causa etiam voluit Capuae, ut sacerdotes, maxime parochi dioeceseos haberent doctrinam sufficientem. Excusationem ignorantiae ab iis noluit accipere; non enim admitti excusationem ignorantiae in eo qui profiteatur aliquam artem. Et hac de causa exegit, ut cognoscerent catechismum, scil. Tridentinum, perfecte [14].

Ad sapientiam concionatori debitam acquirendam necessarium quoque est, ut ex historicis et patribus hauriat sat magnam eruditionem [15]. In movendo enim ad studium virtutis et horrorem vitii non sufficit irasci et vociferari, quod aliquando terrere potest

[12] *Ibid.*, § 7.
[13] *Ibid.*, § 10.
[14] *Ad synod. dioeces.*: postea in volumine III.
[15] *De rat. form. conc.*, § 7.

simpliciores, ridetur verum a sapientioribus: sed solidae rationes afferendae sunt. Quae rationes non solum ducuntur e testimoniis divinis, sed etiam ex causis et effectibus virtutum et vitiorum, et potissimum ex exemplis, quae ad rem spectent. Ea autem omnia summopere hauriuntur ex lectione Patrum et ex historicis ecclesiasticis, inter quos ii modo speciali numerandi sunt, qui de vitis sanctorum scripserunt [16]. .

Affirmari posse videbatur Bellarmino, homini veritatis indagandae studioso et salutis aeternae adipiscendae cupido nullum posse salutarius consilium dari, quam ut scripta veterum doctorum, qui omnium iudicio probantur, et vitas et res praeclare gestas sanctissimorum virorum, qui testimonio signorum et prodigiorum a Deo approbati sunt, legat [17]. Quod exemplo demonstravit, nec solum in orationibus. Nam ut alia multa omittam: Capuae legebat vitas sanctorum episcoporum, quas ex Surio in unum collegerat et ex hac lectione plurimum iuvari se sentiebat [18]. Liber secundus et tertius *de Officio principis christiani* [19] nil aliud sunt, nisi vitae breviores ducum atque principum Veteris et Novi Testamenti; et moribundo sibi praelegenda curat beatorum exempla, ut sese ad felicem exitum praeparet. Narrat enim Fr. Finali [20], quomodo die morbi decimo septimo — vigesimo autem primo moritur — rogaverit, ut sibi legerentur vitae sanctorum, et ante omnes vita S. Caroli Borromaei, episcopi et cardinalis, quem putabat eodem morbo, quo ipse laboraret, obiisse; deinde S. Francisci Assisiensis, cui, ut notum est, erat devotissimus; deinde quorundam aliorum sanctorum episcoporum, quorum operibus bonis consolabatur, sicut afflictus erat alios audiens ex amore sui detrimento fuisse Ecclesiae.

[16] *Ibid.*, § 4.
[17] ΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ, cap. 21: *Auct. Bell.*, p. 255.
[18] *Autobiogr.*, cap. 38, p. 462.
[19] Edit. Neapol., VI, pp. 438-618.
[20] FINALI, *Relat.*, pp. 75-76.

CAPUT TERTIUM

De eloquentia

Quamquam eloquentia sine sapientia et charitate est prorsus inanis, et a charitate seiuncta magis obest quam prodest: tamen sine eloquentia orator esse nequit. Est autem ad mentem Bellarmini donum aliquod naturale, quod arte politur et emendatur, et ubi agitur de eloquentia christiana, ex fine, obiecto et dignitate supernaturali auditorum, specialem accipit gravitatem atque sanctitatem. Ipsum Bellarminum audiamus [21]:

« Ad eloquentiam christianam, imo ad omnem veram eloquentiam requiritur, ut ars emendet et poliat, sed non destruat aut corrumpat naturam. Atque in hac una re praecipue peccari solet. Debet ars emendare naturam, quia nonnulli interdum vel educatione vel aliunde vitiose loquuntur et agunt; ut cum verbis utuntur impropriis vel minus honestis, vel phrasibus obscuris, et cum caput indecore movent aut manu sinistra gestus faciunt, aut aliter peccant in agendo. Quae vitia facile notari et caveri possunt et debent. Debet rursus, ut dixi, ars non destruere naturam; et si peccata aliqua toleranda sint, minus malum est non emendari quam destrui naturam. Destruunt naturam, qui dum concionantur, vel tono utuntur insolito, ut non loqui, sed recitare vel canere videantur; vel verbis utuntur poeticis aut nimis affectatis; vel certe phrasibus ita concinnis, ut omnes intelligant eum multum laborasse in componenda oratione. Ista enim detrahunt concionatori omnem pene auctoritatem. Si quis velit hoc vitium fugere, cogitare debet se, licet ex loco altiore ad multos, tamen cum singulis hominibus collocuturum, et cum iis ita acturum ac si seorsum cum singulis ageret. Qui enim cum uno aliquo loquitur, ut ei aliquid persuadeat, certe non utitur initio multis epithetis nec poetica phrasi nec voce inusitata nec motu membrorum; sed plane more humano, primum quieto corpore, voce moderata et sententiis simplicibus; deinde si opus sit contendere vel reprehendere, extollit vocem, multipli-

[21] *Rat. form. conc.* §§ 8-9.

cat verba, agitat corpus, etc., ut mutatione vocis et commotione membrorum pariat affectus, non affectatione aut artificio. Hoc solum interesse deberet inter orationem concionatoris ad populum et collocutionem familiarem unius ad alterum, quod concionatori, ut commode exaudiatur, est et altius loquendum et etiam gravius et magis considerate ob honorem multitudinis: multitudo enim honorabilis est».

Haec omnia dicta sunt potius de eloquentia in genere. Eloquentia autem sacra ex suo fine in multis a profana differt. Nam cum orator profanus pro scopo habere potest, ut per horam partim argutis sententiis, partim varietate rerum narrandarum, partim dictionis pulchritudine auditores delectet: non ita orator sacer. Eius est docere res divinas et movere ad coelestia. Et hac de causa non solum totam suam actionem oratoriam et singulas orationis partes ad hunc finem dirigat necesse est; et in scopum sacrum bene praefixum, collectis rationibus, sententiis divinis, exemplis, totam materiam ordinet oportet: sed etiam abstinere debet tam in modo dicendi quam in re dicenda ab omnibus, quae scopo sacro, materiae sacrae, auditorio sacro non conveniant. Orator sacer, qui unice vult delectare auditores, licet multum fatigetur et sudet, nil assequitur[22]. Orator sacer, qui exquisitis verbis et rhetoricis flosculis vel historias evangelicas narrat, vel crimina pharisaeorum amplificat vel de rebus subtilibus inepto artificio disputat, magno quidem labore, sed sine ulla utilitate concionatur[23]. Et si verba exquisita et contexta, praesertim in exordiis, iam quisquilia sunt iudicio prudentium gentilium, quid sunt in ore eius qui praedicare debet evangelium? Impertinentia autem invectiva in pharisaeos, allegationes nimiae profanorum auctorum, verba Scripturae detorta ad proprias imaginationes, non sunt pura semina Christi, sed mixta zizaniis[24].

Cur pauci concionatores, rogat Bellarminus, proficiunt? et responsio in promptu est: Quia non dant panem, sed olera eloquentiae vel poma scientiarum humanarum, dum volunt videri theologi, philosophi, historici etc. Panis verus est scientia salutis, quae

[22] *Ibid.*, § 2.
[23] *Ibid.*, § 10.

docet humilitatem, patientiam, charitatem. Hunc panem in sudore vultus sui acquirunt boni concionatores, impetrando illum a Deo lacrimis et orationibus et meditationibus [25]. Cur multi oratores, iterum rogat, gladio spiritus, quod est verbum Dei, tam parum proficiunt? Et respondet: Vel quia percutiunt gladio in vagina recondito: nam gladius est sensus verbi, vagina est sonitus verborum. Vel quia feriunt gladio verbi sui, non verbo Dei, et sic feriunt gladio ligneo. Vel habent sensum puerilem, magni facientes res ludicras: et sic utuntur gladio quidem ferreo Dei, sed ut pueri carnales, non habentes ardorem Spiritus ad illum apte movendum. Nam solummodo ardor spiritus dat veram eloquentiam, ut iam apparet in carnali amore matrum [26].

Minime negat Bellarminus, etiam auditores in culpa esse, cur concionatores sacri toties nullum profectum faciant, teste ipso Domino in parabola famosa seminantis, nec in suis sermonibus illos hac de re severissime admonere umquam desinit [27]: sed ex altera parte oratores quoque ad conscientiae examen continuo exhortatur, ipse per totam vitam deflens periodum illam brevissimam, qua in collegio Montis Regalis multis verborum ornamentis conciones valde elaboratas componeret, multas dies consumens tum in concionibus illius generis conscribendis, tum in iis commendandis memoriae [28].

Haec est idea Bellarmini oratoris sacri absoluti. Quam in semetipso perfecte implevit, testantibus permultis, qui eum audivere tum Florentiae, tum Patavii, tum Venetiis, tum maxime Lovanii, Capuae, Romae; quorum aliqui dicere non dubitarunt [29]: « Numquam locutus est homo sicut hic homo ».

[24] *Serm.* anni 1600 in dom. 3 Quadrag., infra inter serm. dom.

[25] *Ibid.* in peroratione.

[26] *Ibid.* in peroratione.

[27] *Conc. Lovan.* 22 in Domin. 1 Quadrag., ubi iam famosa obiectio: « Scimus quid concionator dicturus est: nimirum ut faciamus bonum et declinemus a malo ». *Serm.* iam citatus anni 1600 in dom. 3 Quadrag.; *serm.* de evangel. anni 1604 in domin. Sexages., postea inter edenda.

[28] *Autobiogr.*, cap. 11, p. 448; epist. 6 iun. 1615 ad P. Recupito: supra p. 20-21 cum notis.

[29] Superior collegii Montis Regalis in ep. ad Patres Romanos: *Autobiogr.* cap. 10, p. 447. Addit Bellarminus modeste: *immerito*.

PARS ALTERA

De Fontibus Sermonum, Instructionum, Exhortationum

Ut lector habeat conspectum completum omnium fontium, sive editorum sive in manuscriptis latentium, qui pertinent ad sancti Bellarmini opera oratoria, in hac altera parte etiam quaedam proferam de *Contionibus Lovaniensibus,* breviter tamen, quia fusius de iis disserui in *Gregorianum,* XXI (1940), pp.383-412.

Constabit igitur haec secunda pars tribus sectionibus, quarum prior erit de contionibus Lovaniensibus, altera de sermonibus posterioribus Romanis atque Capuanis, tertia per modum unius de instructionibus et de exhortationibus domesticis.

SECTIO PRIMA

De contionibus Lovaniensibus

Contiones Lovanienses non ab ipso Bellarmino editae sunt, sed prima vice in lucem prodierunt anno 1615 [1] opera typographi Coloniensis Ioannis Crithii sub signo galli. Ut editionem suam conficeret, Crithius a primo decennio saeculi XVII plura exemplaria collegerat, olim in ecclesia Lovaniensi Sti Michaelis ex ore Bellarmini praedicantis calamo excepta. Principalis codex exaratus erat a Patre quodam Ordinis Sti Dominici [2]. Anno 1612 hisce co-

[1] Eodem anno 1615 prelum relinquunt editio altera Coloniensis correcta et editio Lovaniensis.

[2] Errat in hac re ipse Sanctus, die 22 iul. 1621 iam morti vicinus scribens Patri Hugeni Wollfurt S. I.: *Epist. famil.* 125 sine nomine destinatarii. Cf. *Gregorianum* XXI (1940), p. 398.

dicibus accedunt duo volumina manuscripta, eodem modo in templo Sti Michaelis exorta, quae Romae possidebantur a P. Francisco Rocca, qui erat Bellarmini a confessionibus.

Prima igitur editio Coloniensis non ex *autographis* manuscriptis confecta est, nec etiam ex *apographis*, sed unice ex *dictatis* vel *exceptis*, quae vocantur.

Quibus non obstantibus editio prima Coloniensis quam proxime accedit in 15 saltem sermonibus, quorum autographa de novo reperta sunt, ad recensionem originalem ipsius Bellarmini; tota deinde immediate postquam Coloniae prelum reliquit, a Bellarmino ut proprius fetus recognita est, et insuper a multis mendis typographicis purgata, tum *correctionibus* factis in margine exemplaris Bellarmino ex Germania transmissi, tum ope *Correctorii* separati.

Quare breviter dicam 1° de *sermonibus autographis* hucusque repertis; 2° de *correctionibus marginalibus* et de *correctorio* ipsius Bellarmini manu conscriptis; 3° de *apographis* et *exceptis*. Addam quaedam de *Summa expositionis in Psalm. 90*, quae nobis conservata est in redactione autographa *Explanationis in Psalmos;* quae *Summa* nil aliud est nisi opus quoddam praeparatorium ad redactionem definitivam duodecim contionum Lovaniensium in Psalmum *Qui habitat*.

CAPUT PRIMUM

De 15 sermonibus autographis

Quamquam Bellarminus ipse iam anno 1610 vel prius[3] propria sua manuscripta autographa *Contionum Lovaniensium* perdiderat, nobis tamen fortuna fausta fuit, atque ex 87 sermonibus Lovaniensibus iterum 15 existunt, quorum post vitam absconditam et pulverulentam in archivis manifestatae sunt redactiones originales autographae. Ex quindecim istis unus reperitur, licet muti-

[3] Probabiliter iam ante annum 1602. Cf. epist. 27 dec. 1602: Opp. NN. 245, Capuae datam ad P. Roccam, in qua dicit iustum esse, cum perierint autographa, se adhibere exemplaria Patris Roccae.

latus, in codice APUG 570, quattuordecim alii in codice Arch. Rom. S. I.: Opp. NN. 230.

Ut prius dicam de sermone mutilato: est codex APUG 570 collectaneum. Sermo invenitur in eo sub n° 30 et constat 14 foliis 10,3 × 15 cm., quorum periere 4 intermedia. Est in editis contio IX, quae est de quarta dominica Adventus. Quia ex contextu patet illam dominicam simul incidisse cum vigilia Nativitatis, sermo conscriptus est exeunte anno 1570.

Quod ad codicem Opp. NN. 230 attinet, qui nobis exhibet sermones 14 alios: codex iste chartaceus est, pergamena dura vestitus. Constat 215 foliis quasi eiusdem magnitudinis circ. 9.72 × 15.2 cm. Primo folio rect. et vers. legitur index contentorum; fol. 2*r* manu archivarii: *Prediche del Card. Bellarmino fatte in Lovanio (che sono stampate) scritte dal medesimo Card. Bellarmino.* Fol. 3*r*-211*v* habentur sermones; fol. 212-213 continent quaedam non Bellarminiana; fol. 214-215 iterum sunt Bellarmini manu exarata, sed expuncta. Folia sicut sunt exigua, ita ob scripturae parvitatem et densitatem multis verbis repleta. Scatent correctionibus, additionibus, mutationibus, transpositionibus, ab ipso Bellarmino confectis, antequam pulpitum adscenderet. Adsunt enim in editis ideoque iam aderant in dictatis Bellarmino praedicante confectis. Correspondent autem sermonibus istis 14, quos secundum ordinem manuscripti enumerabo, in editis sermones sequentes:

1°:	fol.	3*r*-11*v*	: De triplici Natali Domini	: in editis	sermo	XI.
2°:	»	12*r*-28*r*	: De dom. infra oct. Epiphan.	: »	»	» XV.
3°:	»	29*r*-44*r*	: De dom. Septuagesimae	: »	»	» XVII.
4°:	»	46*r*-62*v*	: De dom. Quinquagesimae	: »	»	» XX.
5°:	»	63*r*-77*v*	: De dom. prima Quadrag.	: »	»	» XXIII.
6°:	»	78*r*-91*r*	: De dom. secunda Quadrag.	: »	»	» XXXIII.
7°:	»	92*r*-104*v*	: De dom. tertia Quadrag.	: »	»	» XXXIV.
8°:	»	105*r*-121*v*	: In die Sti Laurentii	: »	»	» XXXIX.
9°:	»	122*r*-134*v*	: De Assumptione B. M. Virg.	: »	»	» XL.
10°:	»	135*r*-150*v*	: De Sto Bartholomaeo	: »	»	» XLI.
11°:	»	151*r*-166*v*	: De domin. 17 post Pentec.	: »	»	» XLIII.
12°:	»	167*v*-181*v*	: De domin. 19 post Pentec.	: »	»	» XLIV.
13°:	»	182*r*-197*r*	: De domin. 21 post Pentec.	: »	»	» XLV.
app.:	»	197*r*-197*v*	: Annuntiatur contio de morte in Comm. Omn. Def. habenda	: »	»	deest.
14°:	»	198*r*-211*v*	: In die Sancti Andreae	»	»	» sermo I.

Ex istis sermonibus secundus, tertius et nonus ab ipso Bellarmino notati sunt anno compositionis: sunt tres eiusdem anni scil. 1570. Quia vero sermo de morte, qui annuntiatur in appendice sermonis 13[1], habitus est anno 1569, etiam sermo 13[us] 1569 est prolatus. Patet igitur ordinem sermonum, qui singuli continentur singulis fasciculis, postea in unum ligatis, non esse chronologicum. Attamen ex charta, filogrammate et modo scribendi videntur eiusdem temporis, quod et aliis rationibus confirmari potest.

CAPUT SECUNDUM

De correctionibus autographis marginalibus et correctorio autographo

Exemplar editionis primae Coloniensis anni 1615, in quo Bellarminus manu propria correctiones fecit, conservatur in Archivo Pont. Universitatis Gregorianae, et signatur APUG 386. Frons ipse voluminis docet, librum ex bibliotheca privata Cardinalis migrasse in Collegium Romanum. In approbationis initio verba: *Contiones, quas... intra privatos Collegii Lovaniensis parietes habuit,* ab ipso Bellarmino sic correcta sunt: *Contiones, quas... Lovanii in templo S. Michaelis habuit.* Ex quibus verbis correctis a prima editione primo oculo dignosci potest editio secunda Coloniensis, quae statim post primam Coloniae apparuit anno 1615 nondum finito.

Revisio Bellarmini fuit diligens et accurata: circiter 600 errores et menda correcta sunt. Generatim sunt minoris momenti, licet nonnumquam sensum deturbent. Sexies Bellarminus verba pauca addidit; bis pericopen quasi unius columnae expunxit: sc. pp. 89-90 in fine contionis XI excursionem haud ingratam de tabernis Italiae; pp. 762-763 in fine contionis 12[ae] *in Psalm. Qui habitat* perorationem alludentem ad festa paschalia.

Ex magno numero correctionum tamen non nimia severitate iudicandum est de editione prima Coloniensi. 570 errores in 2×763 columnis valde confertis sunt certe res deploranda: attamen non faciunt recensionem malam vel corruptam. Scio Bel-

larminum non ita leniter iudicasse; sed notandum est eum ab editoribus, a quibus ne nummulum quidem unquam accipiebat, maximam curam postulasse, eumque erroribus typographicis facile fuisse stomachatum.

Correctorium autographum praesto est in Collectaneo APUG 373: *Varia ad Card. Bellarminum spectantia,* fol. 194-198. Sunt 5 folia 27,5 × 21,5 cm., singula in duas columnas divisa. In capite folii 194 legitur: *Correctorium concionum latinarum Card. Bellarmini, editarum Coloniae apud Iohannem Crithium anno 1615.*

Sequuntur errata, quae hoc modo sunt indicata:

pagina,	*columna,*	*linea,*	*errata,*	*correctio.*
p. 1	c. 1	l. 10	Episcopos	Apostolos
p. 2	c. 2	l. 15	auros	auras
p. 4	c. 2	l. 19	quid, inquit	Quid esse inquit. etc.

Hoc modo impletae sunt 18 columnae circiter 570 correctionibus. Nam fol. 198*v* una columna est vacua, et col. 198*r* loco correctionum legitur haec epistola, expuncta tamen, quia *correctorium* communicatum quidem est cum multis typographis, non autem ut separatim ederetur:

« Pio lectori salutem. Missae sunt ad me a R. P. F. Simone Ryckio conciones quaedam meae, habitae quondam a me Lovanii in sacra aede Sti Michaelis. Quarum concionum, cum ego manuscriptam nullam haberem, neque de impressione sollicitus essem, ipse R. P. Ryckius [4], conquisitas a nonnullis, qui eas descripserant, typis mandari curavit. Evolvi eas continuo, et sicut vere meas esse recognovi, sic plurimis in locis ita depravatas reperi vel negligentia typographi vel vitio exemplarium manuscriptorum, ut correctorium huiusmodi mendarum omnino faciendum et in lucem edendum iudicaverim. Vale ».

Mirum non est *Correctorium* correspondere revisioni primae editionis. Attamen in *Correctorio* pericopes longa de tabernis Italiae, de quo supra dixi, gratiam invenit in oculis Bellarmini, quare et in omnibus editis inveniri potest in fine contionis XI.

[4] Crithius typographus curam editionis scientificam commiserat prius Ioanni Dulmenio S. Theol. lic., et post istius ingressum in Societatem Iesu, Simoni Ryckio, franciscano Moguntiae.

Contra vero peroratio paschalis in fine contionis 12ae super Psalm. *Qui habitat*, etiam in *Correctorio* oblivioni perpetuae condemnatur. Et haec est ratio cur solummodo inveniatur in editione prima Coloniensi pp. 762-763, in posterioribus autem desideretur. Iniuria tamen, nam ratio expunctionis a Bellarmino data: *per errorem hic posita sunt ex alia contione*, est nulla. Revera contio 12a *in Psalm. 90* habita est ipso die Paschatis 11 apr. 1574; sed post annos quadraginta memoria senem fefellit.

Ut iam dixi Bellarminus *Correctorium* suum separatim nunquam publici iuris fecit. Illud autem misit ad multos editores, ut in nova editione *Concionum Lovaniensium* conficienda, haberent quo ad mentem auctoris errata corrigerent. Ante omnes illud misit Ioanni Crithio Coloniam, qui illo mox usus est ad editionem alteram anni 1615 conficiendam; eodem tempore Moreto quoque, famoso typographo Antwerpiensi, et insuper rectori Collegii S. I. Audomarensis, ut illud cum typographis Duacensibus communicaret. Sine dubio modo simili *correctorium* pervenit ad editorem mihi ignotum, qui ipso anno primae et secundae editionis i. e. anno 1615 nondum clauso, Lovanii editionem tertiam procuravit, Moreto invito [5]. Etiam Ioh. de la Rivière commemorat *Correctorium* in verbis ad lectorem, quae editioni Cameracensi praemisit anno 1617; sicut etiam praesto erat Ambrosio Dei in praeparanda editione Veneta eiusdem anni.

CAPUT TERTIUM

De apographis et exceptis

Quod ad apographa spectat: unus codex erat apographus, qui commemoratur ab ipso Bellarmino, dico codicem quem confecerant D. D. Praemonstratenses Lovanienses, ut inserviret lectioni quotidianae ad mensam. Illius mentionem facit Sanctus die 8 iun. 1612 in epistola ad Simonem Ryckium, et die 22 iul. 1621 ad pa-

[5] Typographia Plantiniana ab editione Antwerpiensi abstinuit, quia Moretus noluit nova editione impedire venditionem editionum Coloniensium, cf. *Gregorianum* XXI (1940), 396.

trem Hugonem Wolffurt S. I.[6]. Inquisitione autem facta apud DD. Praemonstratenses, resultat apographum vel periisse vel inveniri non posse.

De exceptis, tempore ipsius praedicationis in ecclesia Sti Michaelis confectis, iam supra dixi, de Bellarmino praedicatore agens. P. Sailly S. I. scribit multos fuisse, qui conciones exciperent pugillaribus instructi[7]; multos fuisse narrat relator anonymus Belga, et quidem eo fine ut reportata sua commendarent universitatibus[8]. Idem apparet ex commercio litterario occasione confectionis editionis primae Coloniensis[9]; idem ex praefatione Crithii in eadem prima editione ad lectorem data, qua in praefatione innuitur quoque ad exemplaria quae custodiebantur a P. Rocca, Bellarmini confessario[10].

Ex magno isto numero codicum multi probabiliter perierunt, quidam autem servantur in bibliothecis Belgii. Codex bibl. regiae Bruxellensis cat. 1736, inv. 3443-3445 nobis servat fol. 48*r*-213*v* orationes 12 *de argumentis, quibus in antiqua fide perseveremus;* orationes 12 *in Psalm. Qui habitat;* orationes 8 *de Tribulatione.* In eadem bibliotheca codex cat. 1738, invent. 4078 sermones continet *Lovanii habitos anno 1571* sicut etiam sermones *in Psalm. Qui habitat.* Brugis in Flandria in bibl. publica adest vel saltem aderat Cod. 544: *Orationes P. Roberti Politiani habitae Lovanii anno 1573 post civitatis oppugnationem a principe Auriaco,* constans 112 foliis in 4°; dum in bibliotheca episcopali eiusdem urbis inveniuntur duo codices, quorum primus theca 10, mscr. 24 exhibet *orationes varias P. Rob. Bellarmini S. I.* et alter theca 10, mscr. 29 per 422 priora folia nobis refert: *Doctissimas ac pias conciones Roberti Politiani S. I., habitas ad clerum Lov. a dom.* 1ª *adventus anni 1571.* Quibus codicibus accedit cod. regius Bruxellensis cat. 1739, invent. 11940, in quo versione neerlandica exhibentur *Sermones*

[6] *Epist. famil.* 94 et 185.

[7] *Annuaire de l'Univ. de Louvain,* 1841, pp. 169-170.

[8] In bibl. Semin. magni Gandavensis.

[9] Dulmenius ad Bellarmin. apr. 1610; Bellarm. ad Ryckium 8 iun. 1612 in *ep. famil.* 94; Bell. ad P. Contzen 15 apr. 1614.

[10] Ipse Bellarminus agit de codicibus Patris Roccae 8 iun. 1612: *ep. fam.* 94.

Lovanii habiti in epistolas et evangelia dominic. In quibus versionibus tamen, utpote confectis in usum monialium, omnia omissa sunt, quae spectant ad controversias. Res controversae tamen, ita notatur in ipso manuscripto, collectae erant in codice separato, iam non existente.

Iam ante commemoravi notam Ioh. Mar. Mazzucchelli, dicentis in collegio S. I. Firmano (Fermo) fuisse codicem B v. 65, in quo inveniebatur sermo ultimus *de Novissimis,* qui erat *de Miseria naturae humanae.* Sermonem autem istum in locis nonnullis discrepasse ab editis, immo habuisse pericopen, quae simpliciter in editis desideraretur, et secundum notam in fine, habitum fuisse anno 1573 post urbem Lovanii ab haereticis direptam et inundatam a fluvio[11]. Eadem phaenomena atque Mazzucchelli observavit in sermone ultimo *de Novissimis* Firmano, L. van Miert S. I.[12] animadvertit in versione Neerlandica eorumdem sermonum, quae iam anno 1586 — absque dubio Bellarmino inscio — Lovanii in lucem prodiit cura Canonici van den Bossche, et etiam vivo Bellarmino saepius fuit prelo commissa.

Quia ex istis phaenomenis — sermo enim *de Miseria naturae humanae* certe habitus est die 18 dec. 1569 — concludere debemus sermones *de quattuor Novissimis* bis fuisse habitos, scil. exeunte anno 1569 et ineunte 1573, indagatio quaedam accurata de iis, quae continentur in exceptis Belgicis et documentis affinibus, non esset inutilis. Sed exspectanda sunt tempora quieta.

CAPUT QUARTUM

De Summa Expositionis in Psalm. 90: Qui habitat

Inter Contiones Lovanienses adsunt duodecim *super Psalm. 90,* qui incipit: *Qui habitat.* Licet redactio definitiva in autographis iam non existat, vel certe nos lateat, saltem feliciter nobis servata est redactio autographa laboris praeparatorii et quidem in codice APUG 383: *Explanationes Bellarmini in Psalmos,* II, fol. 116-157.

[11] Mazzucchelli, *Gli scrittori d'Italia,* II II, p. 651-652.
[12] Cf. *Studiën,* LVI, II (1924), pp. 109-114.

Est quidem codex praedictus conscriptus Romae inter annos 1606 et 1610: attamen origo Lovaniensis foliorum 116-157 facile dignoscitur ex identitate chartae cum charta illa antiqua Neerlandica, qua constat Bellarmini *Commentarium* Lovaniense in *Summam Theologicam* Angelici: Opp. NN. 234-237.

Ex attenta consideratione huius manuscripti praeparatorii comperimus, Bellarminum Lovanii in componendis 12 sermonibus in Psalmum *Qui habitat* hanc methodum servasse: Primum conscripsit commentarium realem simul et moralem totius Psalmi; deinde dividit commentarium in certum numerum sectionum secundum numerum contionum quas praevidebat [13]; hac divisione perfecta singulas sectiones commentarii seu singulas orationes quoad substantiam iam redactas, vestiit ornamentis solitis rhetoricis.

Hoc manuscriptum praeparatorium, quod Bellarminus fideliter conservaverat, post 35 annos iterum adhibuit, cum exeunte anno 1608 *Explanationem in Psalmos* [14] iam ad exitum volens perducere, ad explanationem Psalmi nonagesimi *Qui habitat* accederet. Prima eius intentio erat opus Lovaniense prout iacebat, id est in forma commentarii in 12 sermones divisi, *Explanationi* novae inserere; mox tamen in aliam abiit sententiam. Reliquit ideam sermonum, et aliis partibus expunctis vel mutatis, aliis adiectis vel insertis, novam omnino redactionem confecit per modum expositionis illius simplicis, qui etiam in aliis Psalmis explanatis observatur. Sed etiam hanc novam redactionem ex integro refecit. Etenim redactio ultima prout legitur in codice APUG 384 iterum plane differt a recensione editionis principis [15]. Mirum est Bellarminum sibi non conservasse redactionem illam ultimam, sed unice penultimam coeptam Lovanii 1573 et finitam Romae 1608!

Hisce omnibus, quae sat complicata sunt si verbis exponi de-

[13] In autographo videri potest, quomodo divisio ter fuerit mutata.

[14] Bellarminus *Explanationem in Psalmos* aggressus initio sui cardinalatus, exeunte anno 1602 pervenerat ad psalmum 34. Sequentibus annis 1602-07 labor paulum progressus fecit. Anno 1608 exeunte serio resumitur, et mense iunio 1610 opus prelo traditur. Prima editio est Romana 1611.

[15] Vide R. Galdos in editione Bellarmini *Explanat. in Psalmos*, Romae 1932, p. XXVIII, p. 521 in nota, post p. 840 in appendice.

bent, sat simplicia si oculis videntur in manuscripto: hisce omnibus, dico, expositis, facilius lector intelleget, quae folio 106*r* in margine autographi notata leguntur:

« Hunc Psalmum ante multos annos ad imitationem S. Bernardi in sermonibus ad populum diligenter exposui [16]. Quare ut novo labori parcerem, visum est hoc loco summam eius expositionis inserere, resecatis videlicet multis, quae non tam expositioni quam exhortationi serviebant. Hoc admonere volui, ne lector miretur tum quod per sermones novo more et copiosius hunc psalmum explicatum cernat; tum etiam quod sermones ieiunos et incultos et sine solitis ornamentis videat. Conatus enim sum ad summam brevitatem eos revocare, ut haec expositio non nimium ab aliorum psalmorum explicatione dissidere videretur ».

Brevi: in codice APUG 383 habemus documentum non spernendum, quo videre est, qua via Lovanii duodecim *Conciones in Psalm.* « *Qui habitat* » assiduo auctoris labore ex prima conceptione ad redactionem definitivam perductae sint.

Et haec sufficiant de fontibus *Contionum Lovaniensium.* Qui plura scire cupiat de origine sat intricata editionis primae Coloniensis sub signo Galli, vel etiam de modo, quo sermonum chronologiam determinare simus aggressi, ea legat quae scripsimus in *Gregorianum* XXI 1940, pp. 384-412. Hoc autem sciat, si legit illos sermones in editis, se prae oculis habere quasi ad litteram textum, qualem eum Bellarminus Lovanii redegerit.

SECTIO ALTERA

De contionibus post-Lovaniensibus

In hac sectione, in qua quaestio est de sermonibus quos, uno excepto, Bellarminus habuit Cardinalis, et quidem vel in Urbe aeterna vel in dioecesi Capuana, prius agam de editis, deinde de manuscriptis principalioribus, tandem de quibusdam codicibus accessoriis.

[16] Id est Lovanii diebus 29 nov., 6, 13, 20, 27 dec. anni 1573 in dominicis Adventus; de expositione iam prius habita Patavii in ecclesia S. Mariae Magdalenae, vide supra p. 22.

CAPUT PRIMUM

De sermonibus iam editis

Quoad edita distinguenda est duplex categoria. Quaedam sunt edita, quorum manuscripta perierunt, quaedam quorum manuscripta restant. Priora ut patet sunt maioris momenti.

a) De editis quorum manuscripta perierunt.

Ad hanc categoriam pertinent duo sermones Bellarmini quorum primus est: Oratio Roberti Bellarmini Politiani postea S. R. E. Card., ad Gregor. XIII P. M. de Christi morte. Est sermo tertius libri: *Orationes quinquaginta de Christi Domini Morte, habitae in die Sancto Parasceves a patribus Societatis Iesu in Pontificio Sacello,* Romae, typis Vitalis Mascardi, 1641, 24 + 740 pp. Invenitur pp. 43-60. In indice praevio sub voce Roberti edocemus sermonem fuisse prolatum anno 1577.

Alter sermo est in honorem Sancti Aloysii, habitus anno 1608. Est recensio latina et recensio italica. Latina primum habetur in editione Mediolanensi anni 1622: *Vener. Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmini e Societate Iesu sermo habitus in festo et ad sepulchrum S. Aloysii Gonzagae anno 1608,* Mediol. 1622, 36 pp. in 32°. Hanc primam sequuntur Antwerpiensis anni 1706, Romana anni 1746, Politiana anni 1852. In praefatione legis « sermonem esse ex autographo latino ad verbum expressum ». Idem sermo habetur in *Actibus Sanctorum* Iun. IV (1707), pp. 1150-1153. Dicunt Bollandistae se sermonem habere ex Romano manuscripto. Recensio italica habetur prima vice in *Vita S. Aloysii* conscripta a P. Virg. Cepari, edita Placentiae anno 1630. Est versio, probabiliter ab ipso Patre Cepari facta. Postea de hac re plura in praenotandis ad sermones de Sanctis non apostolis.

b) Quod ad secundum categoriam, id est editorum quorum fontes remanent, haec nota:

Aliqui sermones inveniuntur in fine libri, quem edidit P. Fr. Van Ortroy S. I.: *Exhortationes domesticae Ven. Servi Dei Cardinalis Roberti Bellarmini,* Bruxellis 1899: scil. duae contiones in Ora-

tione XL horarum, pp. 320-326: oratio in doctoratu Ant. Paladini pp. 326-328; et tres orationes in honorem S. Ignatii pp. 296-315; omnes ex codice Vat. Lat. Rossiano 735. Difficile autem dicitur, utrum orationes in laudem S. Ignatii inter sermones computandae sint, an potius inter exhortationes domesticas.

In libro *Ven. Servi Dei Roberti Card. Bellarmini de Immaculata B. M. V. Conceptione Votum atque eiusdem argumenti fragmenta inedita*, Paris, Beauchesne, 1905, P. Xav. Mar. Le Bachelet S. I. cum alia edidit, tum *Explanationem* lectionis ex cap. 8 *Proverbiorum* in festo Conceptionis B. Mariae ex cod. APUG 385ª, tum excerptum ex sermone in die Conceptionis B. Mariae in evangelium *Matth.* 1, 1-16, ex eodem codice, tum fragmentum ex contione 8ª de sermone Domini in monte, iterum ex codice eodem; quae omnia habentur in libro praefato pp. 57-82.

Quattuor sermones de pastore et ovibus, habiti Capuae anno 1602 in prima visitatione ecclesiae cathedralis, editi sunt ex codice APUG 385ª in *Periodica* 24 III, 1935, pp. 85-137 a P. Seb. Tromp, qui in iisdem *Periodicis* 25 II, 1936, pp. 57-69 ex codice APUG 384 edidit sermonem de Eucharistia in 1 *Petr.* 5, 7, Capuae prolatum dominica 3ª post Pentecosten anni 1603.

Accedit sermo italicus in honorem Sti Ignatii anni 1599, quem X. M. Le Bachelet ad usum privatum gallice edidit anno 1922 [1].

CAPUT SECUNDUM

Fons primarius: Codices autographi APUG 384 et 385 a

Sunt duo volumina, charta satis crassa sed nimis molli necnon dorso pergameno ligata, quorum folia non sunt omnia eiusdem amplitudinis, sed generatim continentur 13.5 × 20.5 cM. Codex primus 384 habet 700 folia numerata, codex alter 483 folia; primus in tergo inscribitur: *Card. Bellarmino Sermones I autografo;* alter: *Card. Bellarmino Sermones II autografo, accedunt opuscula quaedam minora.*

[1] Extracta anglice apud Brodrick I 433-437.

Ante omnia bene notandum est utrumque codicem esse collectaneum quoddam. Constant enim ambo permultis fasciculis maioribus vel minoribus, prout sermones sunt longiores vel breviores. In singulis fasciculis autem de solito conscripta est una contio vel instructio; rarissime accidit, ut in fasciculo uno inveniantur duo sermones vel plures instructiones. Est una tantum exceptio maioris momenti, scil. *Instructiones de imitatione Dei* in codice APUG 385ª occupant 26 folia. Ex praedictis clarum est in fine singulorum fasciculorum saepius haberi unam vel plures paginas vacuas; quod rarius etiam in fasciculorum initio accidit, quippe qui nonnumquam folio albo includuntur per modum involucri.

Quod ad contentum collectaneorum spectat, distingui debent — abstractione facta ab *opusculis* in fine codicis 385ª, quae ad rem nostram non pertinent — tria elementa: *sermones* ore prolati (pars longe maior); *explanationes* non ore prolatae (pars sat considerabilis); *instructiones* (pars minor). Quae tamen elementa non separatim, sed promiscue adsunt.

Quod ad tempus quo singuli fasciculi conscripti sunt, id solum nunc noto, aliquos sermones ab ipso Bellarmino numeris annorum originis esse insignitos. Sunt autem illi anni 1599, 1601, 1602, 1603, 1604, 1608. Inter instructiones una est, quae indicatur anno 1610; dum in prologo ad *explanationes* APUG 385ª fol. 335*r* Bellarminus dicit se pervenisse ad annum 72ᵘᵐ. Est igitur prologus iste anni 1613. Quare in genere statuere possumus collectaneis contineri scripta varia confecta inter annum 1599 et 1615.

Ex praedictis apparet nonnumquam minus recte codices APUG 384 et 385ª vocari *Sermones Capuanos*. Nam primum non omnia quae insunt, sunt ore prolata; deinde ex ore prolatis non omnia sunt habita per modum sermonis, sed etiam per modum instructionis; tandem inter veros sermones non tantum sunt Capuani, sed etiam Romani, tum praecedentes periodum Capuanam, tum sequentes.

Quod si rogas quonam tempore collectiones ut tales factae sint, seu quonam tempore sermones, explanationes, instructiones in duo volumina sint colligatae: hoc certe dici potest: post Sancti Roberti mortem. Quod demonstrari potest duplici argumento: externo scil. et interno. Dicit enim nepos Bellarmini, Marcellus Cervinus, in li-

bello quem mox post avunculi mortem in eius laudem conscripsit [2], inter Bellarmini scripta inedita adfuisse: responsionem ad librum Iacobi Magni Regis Angliae Βασιλικὸν Δῶρον; examen ad librum falso inscriptum: apologia Bellarmini pro iure principium; explanationes in plures epistolas Sancti Pauli; compendium de Haeresi [3]; lecturas in Sacram D. Thomae theologiam [4]. Patet igitur post Bellarmini obitum in scriniis praeter *Compendium de haeresi*, cuius autographon mox periit, adfuisse simul unitas in uno involucro *Explanationes in S. Pauli epistolas dominicales et festales*, et quidem tamquam opus imperfectum. *Explanationes* autem istae nunc sparguntur per duos codices, et quidem ita, ut earum praefatio inveniatur in codice APUG 385ª fol. 335-344 inter instructionem quandam *Ne turbetur cor vestrum* et duo folia deperdita ex *Commentario Lovaniensi* in Summam Theologiam, quae praecedunt instructionem habitam ad novitios sabbato quattuor temporum septembris! Et hisce verbis iam dedimus rationem intrinsecam. Nam vix credibile est, ipsum Bellarminum tam mirum in modum separasse quae natura et origine sua maxime inter se cohaerent. Omitto alia, v. g. in codice APUG 384 fol. 609-612 inter dominicam 6am et 8am post Pentecosten inveniri contionem de Septuagesima, qualis error tam facile explicatur in collectore alio, quam difficulter in ipso Bellarmino. Non improbabile mihi videtur contiones, explanationes, instructiones collectas esse in ordine ad beatificationem. Quidquid id est, id bene notatum desiderem, collectanea duo esse confecta post Cardinalis mortem, ne mihi in crimen vertatur, me non serviliter secutum esse sacrum ordinem codicum, sicut serviliter secutus est P. Fr. Van Ortroy ordinem codicis Rossiani.

Hucusque de duobus codicibus simul sumptis: iam quaedam dicenda de utroque separatim considerato.

Codex 384 vocari posset « de tempore ». In eo enim, quibusdam erroribus involuntariis exceptis, ordine liturgico invenjuntur

[2] *Adumbrata Imago Solidarum Virtutum Rob. Card. Bellarmini*, Senis 1622, p. 41.

[3] Cf. *Gregorianum* XV (1934) pag. 187- 214.

[4] Cf. *AHSI* II (1933) pag. 185-199.

sermones, allocutiones, exhortationes, instructiones, explanationes quae spectant ad dies dominicales et festales de tempore. Incipit a prima dominica adventus et claudit cum oratione de dominica 24ª post Pentecosten. Ut lector imaginem sibi efformare possit, ecce initium codicis [5]:

f. 1*r*-12*r*: Explanatio epistolae dom. 1ae adventus (c. 1614).

f. 13*r*-20*r*: Sermo super epistolam dom. 1ae adventus (1602).

f. 21*r*-24*v*; 59*r*-60*v*: Sermo super evang. dom. 1ae adventus (1599).

f. 25*r*-26*v*: Dom. prima adventus: de iudicio (instructio ad famil. cardinalitiam 1607).

f. 28*r*-32*v*: Sermo super epistolam dom. 2ae adventus (1602).

f. 33*r*-44*r*: Explanatio epistolae dom. 2ae adventus (c. 1614).

f. 45*r*-54*v*: Sermo de evangelio dom. 2ae adventus (compositio 2 sermonum: 1599 et 1603).

f. 55*r*-56*v*: Dom. 2ª adventus: de causis adventus (instructio ad familiam cardinalitiam 1607).

f. 57*r*-58*v*: Dom. 3ª adventus: de cognitione sui (instructio ad familiam cardinalitiam 1607).

f. 59*r*-60*v*: cf. supra f. 21*r*.

f. 61*v*-67*r*: Sermo super evangelium dom. 3ae adventus (1603).

f. 69*r*-73*r*: Sermo super evangelium dom. 3ae adventus (1599).

f. 74*r*-78*v*: Sermo super evangelium dom. 4ae adventus (1599).

f. 80*r*-90*v*: Explanatio epist. dominicae 3ae adventus (c. 1614).

f. 91*r*-92*v*: Dom. 4ª adventus: de Nat. Dom. (instructio ad familiam cardinalitiam 1607).

f. 93*r*-108*r*: Explanatio epist. dom. 4ae adventus (c. 1614).

Quodsi lector hunc elenchum paululum accuratius velit inspicere, facile videbit hanc colligationem esse factam festinanter.

Multa alia de codice 384 dicenda non sunt, nisi quod fol. 464*v*, i. e. in involucro sermonis in dominica passionis, habetur fragmentum musicale Bellarmini manu conscriptum [6]; et quod

[5] Folia vel paginae non indicatae in elencho, sunt vacuae. Notae uncinis inclusae non sunt Bellarmini, sed editoris.

[6] Cf. A. Bernier S. I., *Un Card. humaniste: Bell. et la musique liturgique*. Montréal 1939.

fol. 570 non est codicis 384, sed pertinet ad codicem *praelectionum Lovaniensium* in *Summam* S. Thomae (II-II q. II de iuramento).

Codex autem 385ª non unice continet sermones et instructiones, sed in fine inde a fol. 421*r* usque ad fol. 481 etiam opuscula:

f. 421*r*-463*v*: *Risposta alle opposizioni di F. Paulo Servita contra la scrittura del Card. Bellarmino.* (Editum Romae 1606).

f. 465*r*-481*v*: *Ep. apologetica Rob. C. Bellarmini ad Franc. C. Sancti Clementis adversus temeritatem et errores Alex. Carerii Patavini.* (Editum in *Auctario Bellarminiano* pp. 426-435).

Missis hisce duobus opusculis, ad rem nostram non spectantibus, codex 385ª dividitur in septem partes:

f. 1*r*-143*r* et 386*r*-390*v*: Sermones, explanationes, instructiones in festis minoribus Christi, in festis B. M. V., in festis Sanctorum.

f. 154*r*-273*v*: Sermones 20 de sermone Domini in monte.

f. 274*v*-297*v*: Instructiones de vitiis capitalibus et virtutibus oppositis.

f. 298*v*-332*v*: Duplex series sermonum in « Missus est Angelus ».

f. 333*r*-356*v*: Instructiones quattuor cum praefatione Explanationum.

f. 357*r*-382*r*: Sermones Capuani officiales in Synodis et Visitationibus. Sequuntur 3 folia de iubilaeo.

f. 394*r*-411*v*: Instructiones de imitatione Dei.

Multa alia de codice 385ª dicenda non sunt. Pars prima, qua exhibentur orationes festivae, similem imaginem praebet ac codex 384: ordinem quemdam inordinatum. Idem valet de parte altera, ubi habentur sermones officiales pastorales. Notari quoque potest fol. 345-346 (de iuramento) esse fragmentum *Commentarii Lovaniensis* in Summam Theologicam; fol. 129 pertinere ad *Responsionem ad oppositiones Pauli Servitae* (f. 421); et fol. 385 ad sermonem primum super « Missus est Angelus » (f. 301*v*).

Et haec impraesentiarum sufficiunt de duobus codicibus autographis principalioribus, cum magis particularia exponantur in introductionibus specialibus ad varias sermonum partes.

CAPUT TERTIUM

Fons secundarius: Apographon Arch. Rom. S. I.: Opp. NN. 231

Codex Opp. NN. 231 duplicem ob causam magni aestimandus est: primum quia continet quosdam sermones qui perierunt in autographis; deinde quia dat criterium valde aptum ad constituendam sermonum chronologiam.

Est codex chartaceus, pergameno ligatus, 117 foliorum 16 × 22 cM. Continet sermones Capuanos in epistolas et evangelia, non solum dominicarum sed etiam festorum Christi, B. M. Virginis et Sanctorum: minime tamen omnes.

Sunt autem in codice plura folia, in quibus nil est conscriptum, et quae hac de causa ab archivario numeris insignita non sunt. Inter folium 27*v* et 28*r* scilicet sunt quinque folia vacua; inter folium 43*v* et 44*r* duo; inter folium 55*v* et 56*r* tria; inter folium 77*v* et 78*r* unum tantum.

Est codex una sola manu exaratus: adsunt tamen paucae quaedam correctiones textuales, et paucae quaedam additiones marginales, quae forsan sunt alterius manus. Sed sive manus eiusdem sive manus correctoris diversi, certe non sunt factae ab ipso Bellarmino.

Codex constat tribus partibus, postea colligatis, quarum prima fol. 1*r*-27*v* continet sermones de epistolis inde a prima dominica Adventus usque ad dom. Quinquagesimae; altera fol. 28*r*-77*v* sermones de epistolis a dominica in albis usque ad dom. 26am p. Pentecosten: tertia fol. 78*r* - fol. 117*r* contiones de evangeliis ab initio anni liturgici usque ad dominicam post Pentec. 11am.

Unaquaeque ex tribus istis partibus in summo angulo dextro primae paginae habet notam aliquam brevem autographam ipsius Bellarmini.

Folio 1*r* in initio primae partis Bellarminus scripsit: *Card. Bellarm. Conciones in ep.las. Capuae anno 1602.* Folio 28*r* in initio secundae partis: *Card. Bellarm. In ep.las 1603.* Folio 78*r* incunte parte tertia: *Bellarm. Conciones in Evang.a anno 1603 et 1604 Capuae habitae.*

Mirum autem in modum alia manus eaque a manu Bellarmini prorsus diversa notulam primam folii 1*r* mutavit et longiorem reddidit; quod non semel factum est, sed bis. Post primam mutationem lectio videtur[7] haec: « *Cardinalis Bellarminus. Antonius scripsit* [....][8], *sed optime conciones in epistolas, Capuae habitas. Hoc fuit 1602, 1603,1604* ». Redactio definitiva haec est: « *Ego Antonius scripsi Ill.m Card. Bellarmini sed optimas conciones, postquam ego in Capua habui hoc: quod fuit 1602* »[9].

Quis fuerit ille Antonius nescio. Secretarius Bellarmini fuit per multum temporis[10] Antonius Doctus (Dotti), sacerdos Ravennas. Sed tum errores quidam in transcribendis contionibus, tum manifeste ibi apparens interpunctionis negligentia, tum indoles sat primitiva ipsius notulae videntur excludere primarium[11] Bellarmini secretarium. Libenter admitterem Antonium fuisse unum ex famulis inferioribus, qualis v. g. est ille Jacom'Antonio aegrotans, cuius medicamenta die 31 decembris 1608 Bellarmini marsupio solvuntur[12], nisi ex quibusdam apographi locis, in quibus Antonius originale libere transcribit vel etiam compendiat, constaret eum latinae linguae peritum fuisse. Ex altera parte in Bellarmini familia cardinalitia certe erant clerici minores.

Quisquis is fuit: ex notitia eius sat mysteriosa procedere videtur Antonium conciones annorum 1602-04 quasi eodem tempore transcripsisse, quo a Bellarmino sunt habitae. Quod confirmatur observanti chartam illius partis, in qua adsunt contiones exeuntis anni 1602 ineuntisque sequentis, gaudere filogrammate quodam, aquila scilicet heraldica sat primitiva, quod non alibi inveni in Bellarmini scriptis, nisi in contionibus autographis anni 1602 et

[7] Difficile dirimitur quid pertineat ad secundam redactionem tantum.

[8] Hic expuncta est vox circiter 4 litterarum, cui opponitur quae statim sequitur vox «optime ». Verbum expunctum non videtur fuisse gratum Antonio (clam?).

[9] Post numeros annorum (1602, 1603, 1604) sex voces ita deletae sunt calami gyris, ut nullo modo legi possint.

[10] Apparet Dotti ut Bellarmini secretarius in documentis inde ab apr. 1604 usque 1610.

[11] Bellarminus inde ab initio habuit quoque subsecretarium. Cf. ep. 18 mart. 1599.

[12] Cf. Expensas anni 1606-1609: Opp. NN. 249.

in autographo *Explanationum* eorum Psalmorum, quae conscriptae sunt mox post acceptam curam pastoralem archidioeceseos Capuanae [13].

Quod si rogas, num in Codice Opp. NN. 231 adsint omnes sermones, quos Bellarminus annis liturgicis 1603 et 1604 habuerit de epistolis et evangeliis, quoad primam partem respondendum est affirmative, quoad secundum negative.

Etenim quod ad epistolas spectat, non solum in Codice Opp. NN. 231 adsunt omnia Capuana, quae inveniuntur in codicibus autographis, sed multa quoque alia, quae in autographis desiderantur; quod autem ad evangelia attinet, prorsus contrarium accidit. Desunt v. g. sermo in festo Nativitatis et sermo alter de ascensione, uterque in Evangelium, uterque ab ipso Bellarmino in autographo clare inscriptus: 1604.

Quia multi adsunt sermones in codice Opp. NN. 231, qui etiam nobis conservati sunt inter autographos, facillime iudicium ferre possumus de Antonii nostri mysteriosi in transscribendo fidelitate.

Iudicium sonat: conatus est fideliter transcribere: sed minima minime curat. Exemplum sit initium Contionis de evangelio dom. 4ae Adventus [14]:

Bellarminus	Antonius
APUG 384 f. 103*r*:	Opp. NN. 231 f. 83*v*:
Stus Lucas in hoc evangelio exponit concionem Sti Joannis Baptistae, qua praeparabat homines ad Christum. Et primo quidem declarat diligenter tempus, et locum, et personam praedicantis. 2° proponit ipsam concionem Sti Joannis. 3° effectum concio-	Stus Lucas in hoc evangelio exponit concionem *Ioa. Btae. In qua praeparat* homines ad Christum. et primo quidem declarat diligenter tempus locum, et personam praedicantis. 2° proponit ipsam concionem *praedicantis.* 3° effectum concionis. Quoad

[13] In epist. data 19 dec. 1602 Patri Carminatae, dicit Bellarminus se Romae pervenisse usque ad *Psalm.* 34um. In explanationibus autem *Psalm.* autographis APUG 383, statim post *Ps.* 34 apparet illa primitiva aquila.

[14] Sumimus hoc exemplum, quia aperiendo codicem incidimus in hanc contionem. Valet in casu illud: ex uno discere omnes.

nis. Quo ad primum, tempus declarat mentionem faciens principum temporalium et spiritualium, qui erant noti omnibus, sicut etiam modo describimus tempus dicentes : Sedente tali Pontifice, vel regnante tali Rege factum est hoc, aut illud.

Dicit igitur Ioannem coepisse praedicare, anno quinto decimo Tiberii Imperatoris Romani, cui totus fere orbis erat subiectus.

primum tempus declarat mentionem faciens principum *spiritualium et temporalium,* qui erant noti omnibus, sicut etiam modo describimus tempus *regnante tali Rege etc.*

Dicit igitur Ioa. coepisse praedicare anno 15 Tiberii Imperatoris Romani, cui totus fere orbis *subiectus erat.*

In fine contionum nonnumquam observari potest maior aliqua differentia, et quidem talis, ut Antonius magis ibi compendiare quam transscribere videatur, nisi forsitan ibi magis ex memoria quam ex visu opus suum perfecerit. Manent tamen hi casus rarissimi. Sit exemplo peroratio contionis Dominicae 2ae post Epiphaniam:

Bellarminus	Antonius
APUG 384 f. 309*v*:	Opp. NN. 231 f. 97*v*:
Diabolus, qui est princeps tenebrarum, imitatur versutos caupones, qui cum hospites veniunt laeto vultu eos excipit, promittit omnia optima et quod parum solvent; et cum sint in mensa hortatur ut hilariter comedant.	Diabolus est similis hostulano, qui promittit omnia bona et optima et quod parum solvent. Et invitat eos ad bibendum.
Sed mane postea cum est recedendum, accurrit alio vultu et improperat omnia quae dedit, et cuncta summo pretio constare dicit. Nec prodest viatoribus dicere, omnia fuisse mala et exigua et precium esse nimium, et sero poenitet eos, quod ad tale	Sed mane quando est recedendum accurrit alio vultu, et improperat omnia quae dedit et dicit cuncta summo pretio constare, nec prodest viatoribus dicere omnia fuisse male et exigua.

hospitium diverterint. Sic igitur cum homines intrant in hunc mundum, hortatur diabolus, ut homines dedant se voluptatibus, parum solvendum, quia Deus est misericors etc. Sed tandem in exitu iidem daemones alio vultu apparent et improperant omnia et dicunt solvendum esse precium mortis aeternae nec prodest tunc mirari, dolere et poenitere.

Aperiamus ergo oculos etc.

Sic diabolus cum homines intrant in hunc mundum etc.

Deinde quando est recedendum et eundum ad poenam etc.

Simile exemplum abbreviationis, immo magis radicale, afferri posset ex peroratione sermonis in festo conversionis Sancti Pauli: APUG 385[a] fol. 72*v*-73*r*, Opp. NN. 231 fol. 99*v*, et etiam ex epilogo contionis de evangelio 3[ae] dominicae Adventus: APUG 384 fol. 66*v*, Opp. NN. 231 fol. 83*v*. Sed, uti iam dixi, redactio compendiaria rarissima est. Frequentior autem est casus, quod Antonius omittit ea, quae in contionibus Bellarmini habentur velut inter parentheses: « Hic dicatur de ... » etc., ea scilicet quae non sunt indolis universalis, sed unice ad Capuam spectant. Sic v. g. in apographo desunt variae reprehensiones, quae legi possunt in fine concionis de epistola Quinquagesimae.

Illud quoque observandum est interpunctionem Antonii prorsus differre a Bellarminiana sicut etiam a nostra. Vel forsan rectius dicatur Antonium interpunctionis nullam omnino habere curam, licet ea in autographo sit facillima visu simul et uberrima. Quare apographon haud raro difficulter legitur.

Praeter tres notas Bellarminianas de quibus antea dixi, est quarta quaedam marginalis fol. 47*v* in sinistro angulo superiori. Certe non est Antonii. Immo mihi videtur ipsius Bellarmini manu conscripta. Sic vero sonat: *Haec concio* (sc. de S. Petro) *et sequens de S. Paulo iungatur cum concionibus de Sanctis, quae sunt infra. Vel (ut magis placebit) imprimantur eodem ordine ut sunt*

scriptae. Currit autem scriptura notulae titubanter, ac si esset hominis aegroti vel senis, qui calamum iam firmiter dirigere nequit. Quod si nota est ipsius Bellarmini, certe referri debet ad epistolam, quam die 17 ian. anni 1615 iam senex dedit doctori Petro Custemio, in qua dicit, se olim cogitasse de Expositione quadam magna: litterali, morali, dogmatica, epistolarum Sancti Pauli; se autem desperasse de possibilitate complendi opus inchoatum; sed fieri posse ut veniret dies, quo sese induci sineret ad edendum opus iam ante annos plures confectum: scilicet declarationem epistolarum et evangeliorum, quae in Missis anni leguntur[15].

Ut finem faciam huic capiti illas solas conciones recensebo, quae unice inveniuntur in codice Opp. NN. 231, quippe quae ex autographis evanuerint.

1 Concio in epist. dom. 3ae adventus: fol. 4*r*-6*r*
2. » » » dom. 4ae adventus: » 6*r*-7*v*
3. » » » Epiphaniae: » 15*r*-17*r*
4. » » » Septuagesimae: » 22*r*-23*v*
5. » » » festi SS. Trinitatis: » 39*v*-41*v*
6. Concio in die animarum de Purgat.: » 71*r*-72*r*
7. » » epist. dedic. Ecclesiae SS. Salv.: » 74*r*-76*r*
8. » » » dom. 26ae post Pent. (6ae post Epiphan.): » 76*r*-77*v*
9. » » evang. dom. 1ae adventus: » 78*r*-79*v*
10. » » » festi Purificationis: » 100*r*-101*v*
11. » » » dom. 5ae post Pentecost.: » 106*v*-107*v*
12. » » » festi S. Iacobi: » 109*v*-111*r*
13. Pars ultima contionis habitae in Concilio Provinciali anni 1603, mancae in autographis, habetur in apographo: fol. 29*r*-29*v*.

Ex hoc elencho clare apparet codicem Opp. NN. 231 non esse spernendum. Doleo me de auctore eius, bono illo Antonio, nil definitivi proferre potuisse. Unum scio, eum nomini suo facere honorem; nam sine Antonio duodecim Bellarmini sermones numquam invenire potuissem.

[15] Cf. introductionem specialem ad *Explanationes in epistolas dominicales et festales*, postea in parte VII.

CAPUT QUARTUM

Accessoria quaedam ad fontes principales

Primo loco nominandus est Codex Vat. Lat. Rossianus 735, in quo codice autographo praeter innumeras exhortationes adsunt etiam quidam sermones. Sed quia sermones iam supra indicati sunt in capite primo, ubi egi de editione Codicis Rossiani a Patre Fr. van Ortroy; et postea de exhortationibus domesticis dicturus, fusius agere debeo de laudato codice: nunc nominasse sufficiat.

Speciali commemoratione dignus est Cod. Arch. Rom. S. I. Opp. N.N. 245, in quo collectae sunt plures Bellarmini epistolae et acta. Inde a fol. 59*r* usque ad fol. 65A*v* habetur oratio quam S. Robertus habuit die 31 iul. anni 1599 in ecclesia S. Nominis Iesu in honorem Sancti Ignatii. Sunt octo folia 14 × 21 cM. In primo folio 59*r* et 59*v* scripta invenitur epistola quaedam introductoria cuiusdam ignoti e Soc. Iesu, in qua describuntur ea quae occasione huius orationis acciderunt. Foliis sequentibus continetur ipsa oratio sub titulo: *Panegyrico in honore S. P. Ignatii auct. Card. Bellarmino*. Fol. 64*r* mutilatum est: in parte enim superiore dextera erat imago Sancti Ignatii, quae eheu periit. Sub imagine scriptum erat: † *Imagine del B. Ignatio fond. della Comp., come dall'Ill.mo Card.le Baronio fu possa in publico l'imagine. Narratione del modo col quale l'imagine del B. Ignatio fundatore della Comp. di Giesù fu possa publicamente supra il sepolcro del medesimo, 31 di luglio 1599*. Plura de oratione Bellarmini et de actione Baronii in introductione ad sermones de Sanctis non apostolis.

In eodem codice invenitur fol. 22*r*-41*r* fragmentum Operis Bellarmini imperfecti relicti: *Explanatio litteralis et moralis in epistolas Sti Pauli*. Quae *Explanatio* diligenter distinguenda est ab *Explanationibus*. Illud fragmentum completur feliciter 26 foliis modo inventis in Archivo P. Un. Gregorianae, quae folia nunc notata sunt *APUG 381*[a]. Opus imperfectum, partim ex Opp. NN. 245, partim ex apographo, iam edidit X. M. Le Bachelet in *Auctario Bellarminiano*, pp. 277-313 cum prologo, qui habetur p. 203 n° 4.

In *Gregorianum* XXII (1941) pp. 361-79 editionem Patris Le Bachelet ex codice APUG 381[a] complevi. Totum autem Opus imperfectum de novo typis dabimus in parte septima huius editionis. Nimis enim arcte *Opus imperfectum* cum *Explanationibus in epistolas dominicales et festales* cohaeret. Qua de re consulenda est introductio specialis ad praefatas *Explanationes* in volumine septimo, vel etiam *Gregorianum* XXII (1941) pp. 353-361.

SECTIO TERTIA

De instructionibus et exhortationibus

Iam antea annotavi [1] instructione et exhortatione significari proprie unam eandemque rem, licet instructione magis connotetur illustratio intellectus, exhortatione inflammatio voluntatis. Cum vero Bellarminus suas allocutiones spirituales ad membra Societatis Iesu generatim *Exhortationes ad fratres* nominet [2], et eiusmodi allocutiones etiam editae sint sub nomine *Exhortationum Domesticarum*: mere et unice commoditatis gratia voce *exhortationis* a me indicari instructiones datas ad membra Societatis, voce *instructionis* vero exhortationes factas ad ceteros alios: monachas, familiares, etc.

CAPUT PRIMUM

Fontes autographi Instructionum

Fons unicus instructionum, si a minoribus quibusdam abstrahis, sunt codices ambo APUG 384 et 385[a], quos supra descripsi. agens de sermonibus. Instructiones enim inter sermones tam singulae quam conglobatae inveniuntur. Quia vero instructiones, ut ex analysi fontium apparet, praecipue diriguntur ad duplex audi-

[1] Cf. supra pag. 51.

[2] Cf. *Autobiogr.*, cap. 8, 12, 15, 18, 24: pp. 446, 448, 450, 451, 455; et passim titulos *Exhortationum domesticarum*.

torium, familiam cardinalitiam dico et moniales: de utroque genere accuratius ubinam lateant indicabo, addens quaedam de paucis, quae nec ad familiam nec ad moniales sint directae.

a) Instructiones ad familiam.

1. APUG 385ª fol. 274*r*-297*v* habentur instructiones *de vitiis capitalibus et virtutibus contrariis.* Pro magna parte conscriptae sunt in charta epistolarum acceptarum vel in frustis papyraceis iam antea adhibitis pro parvis adnotationibus. Ut postea fusius demonstrabo, haec series instructionum habita est anno Domini 1615.

2. APUG 385ª fol. 394*r*-411*v* conservat instructiones *de imitatione Dei.* Constituunt, in oppositione ad instructiones praecedentes, omnes simul proprium fasciculum ex charta uniformi compositum. Eas esse habitas bis, scil. circa annum 1602 et anno 1612, in introductione speciali fusius erit elaborandum.

3. APUG 384 foliis 25*r*-26*r*, 55*r*-56*v*, 57*r*-58*v*, 91*r*-92*v* nobis dat quattuor instructiones tempore Adventus anni 1607 habitas. Eas inter sese cohaerere docet charta, scribendi modus, atramentum, brevitas, contentum. Quomodo absconditae sint inter sermones Romanos et Capuanos, lector videre potest ex elencho, quem supra dedi p. 90, disserens de ratione sat negligenti et festinanti, qua in codice APUG 384 sermones Bellarmini colligati sint in unum.

4. Uterque codex APUG 384 et 385ª continet paucas instructiones easque valde breves, quarum scopus est praeparatio ad festa principaliora vel sacram communionem. Sunt quinque, scilicet in APUG 385ª fol. 49*r*-49*v*, 130*r*-131*r*, 132*r*-133*r*; APUG 384 fol. 540*r*-541*v* *et* 568*r*-569*v*.

b) Instructiones ad Moniales.

Scimus Bellarminum instructiones ad moniales habuisse tum Capuae, tum Romae, quod etiam in Codicibus nostris apparet.

In codice 385ª latent: fol. 140*r*-143*r* *in festo Omnium Sanctorum ad moniales*; fol. 351*r*-352 *alle monache,* i. e. Romanas S. Marthae; fol. 383*r*-384*v* anni 1600 *de iubilaeo*; fol. 386*r*-386*v* *de Ioanne Baptista ad moniales Sanctis Ioannis* scil. Capuanas; fol. 333*r*-334*v* *Ne turbetur cor vestrum, ad monachas in festo SS. Philippi et Ia-*

cobi. Codex 384 fol. 657*r*-660*r* nobis dat instructionem longam *in velanda virgine,* Capuae habitam in dom. 14 post Pentecosten.

Addi debet ex Van Ortroy pp. 260-264 *exhortatio domestica* a Bellarmino provinciali habita anno 1596 Neapoli, Barii et Salerni, et postea Capuae in monasterio Sanctae Mariae anno 1602. Non longe aberrabit, qui putet haud paucas ex *exhortationibus domesticis* olim Romae vel in provincia Neapolitana habitis, Bellarmino inserviisse ad instruendas monachas Capuanas, quarum archiepiscopus curam singularem habuit, ut etiam ex commercio epistulari elucet. Ex epistolis istis una cum *Ordinationibus pro Novitiis monasterii Capuani Sti Ioannis,* nominanda est ea quam Sanctus die 18 sept. 1604 dedit *pro regimine spirituali* eiusdem monasterii, cum de facto sit instructio eaque pulcherrima. Epistolam et ordinationes, quarum manuscriptum autographum servatur in Arch. Hist. Capuano, editas habes in *Summar. addit.,* pp. 68-70. Nec oblivioni dandus est libellus, editus Romae anno 1617 apud Giacomo Mascardi: *Regola di S. Agostino per le monache di Santa Marta,* ubi post regulam notam Sancti Augustini pp. 1-10, invenies per 30 capita pp. 10-40 normas speciales pro monialibus Sanctae Marthae, approbatas p. 40 a *Roberto Card. Bellarmino protectore.* Quae documenta suum locum invenient in parte octava nostrae editionis.

c) Instructiones ceterae.

Ex instructionibus ceteris ad eos datis qui nec familiares erant nec monachae, quasi nil restat. Bellarmini aulicus Patarini allocutionem ad meretrices commemorat, cuius dat breve compendium [3]. In fine autem *Exhortat. Domest.* P. Van Ortroy pp. 326-334 duas orationes edidit, unam anni 1581 *in doctoratu Antonii Palladini,* aliam anni 1577 *ad haereticos abiuraturos,* quae exstant in Codice autographo Vat. Lat. Rossiano 735, de quo mox plura. Addi debet ex *Summario additionali,* pp. 74-75 epistola 17 ian. 1614 data ad nepotem Mariam Bellarmini. Quae epistola, cuius autographum adest in Arch. epi'sc. Politiano et copia in *Vol. Jur.* fol. 21-22, instructio pulchra est de servanda unione charitatis in matrimonio.

[3] Patarini, *Relat.,* n. 10.

CAPUT SECUNDUM

Fontes Exhortationum Domesticarum hucusque nondum editarum

Variae exhortationes nondum editae inveniuntur in Archivo Romano S. I., in Archivo Provinc. Germaniae inferioris, in Archivo Pont. Universitatis Gregorianae.

I. In Archivo Romano:

Codex Opp. NN. 68: manuscriptum chartaceum, ligatum pergameno 14 × 22 cM., continens 166 folia variae magnitudinis, omnia ad Societatem Iesu spectantia:

fol. 22-26: V: Raccolta di varie cose notabili del Em. Card. Bellarmino fatta dal P. Giacomo Fuligatti.

fol. 27*r*-28*r*: VI A: De Nativitate B. Mariae. Adhortatio ab Ill.mo Cardinale Bellarmino habita ad Novitios in domo Sti Andreae Prob. in die undecimo septembris anno 1615 (13 ½ × 20,7 cM).

fol. 29*r*-30*v*: VI B: Iesus + Maria. L'ills.mo Card. Bellarmino 22 di settembre [de epist. *Ezech.* in festo S. Matth.] (13 ½ × 20,7 cM).

fol. 31*r*-33*r*: VI C: Eritis odio... (*Luc.* 21, 17-18) Adhortatio Ill.mi Card.lis Bellarmini habita in aula novitiatus Rom. d. 16 septembris 1616 (13 ½ × 21 cM).

fol. 34*v*-39*r*: VI D: De anniversario B. P. N. Ignatii: auctore Card. Bellarmino (13 ½ × 20 cM.). Est apographon notae contionis eaeque iam editae, anni 1599 habitae.

Codex Opp. NN. 251 chartaceus dura charta ligatus 15 foliorum 20 ½ × 27 ½ cM. Post praedicationem Patris Toleti fol. 1-11 sequitur:

fol. 12*r*-15*r*: Del P. Roberto Bellarm.o in Coll.o Rom.o 1598: Stetit Iesus in medio discipulorum et dixit iis Pax vobis.

fol. 15*r* in dorso: Copia di una Esortatione fatta dal P. Roberto Belarminio nel Collegio Romano 1598.

II. In Archivo Pont. Univ. Gregorianae.

Codex iam notus *APUG 384*:

fol. 554*r*-557*r* ad novitios in domin. infra oct. Corporis Christi.

fol. 564*r*-567*v* exhortatio de evangelio dom. 19ae post Pentecosten, forsitan etiam ad novitios.

Codex etiam notus *APUG 385*[a]:

fol. 347*r*-350*v* In sabbato 4 temporum ad novitios de Evang. *Luc.* 13, de arbore fici.

fol. 353*r*-356*v* longissima exhortatio ad membra Societatis anni 1610 in epist. *Semper Gaudete*, Sabb. post 1am domin. Quadragesimae.

Accedit ex *Codice* 373, qui est collectaneum variorum documentorum, fasciculus qui inscribitur: *Meditationi della Essenza divina, composte dal Padre Roberto Bellarmino della Comp.a di Giesù*. Titulus iste exaratus est magnis litteris in ultimo folio fasciculi alterius praecedentis, quod est quasi eiusdem formae et in quo agitur de Biblia Sixtina. Sequuntur 12 folia, in codice APUG 373 numerati 242-252 (post 243 sequitur 243bis!) 14 × 20.7 cM. Codex conscriptus est manu a scriptione Bellarmini prorsus diversa, excepto folio ultimo, quod est autographum. Foliis autem 246, 249, 250, 251 insunt correctiones et additiones, etiam paululum longiores, ipsius Bellarmini manu conscriptae. In opusculo continetur compendiose et italica lingua, quod in exhortationibus de cognitione Dei fusius evolvitur. In introductione speciali ad Exhortationes domesticas plura hac de re erunt dicenda.

III. In Archivo Provinciae Germaniae inferioris.

Iam Sommervogel in *Bibliotheca* sua adnotat sub voce *Bellarmini* col. 1253: « In Circumcisione exhortatio ad fratres, 8°, pp. 5 — A côté du titre on lit: Lovanii, an. 1575. Neapoli 1594. A la fin on lit: Haec est Exhortatio scripta et dicta ab Illss. Cardin. Bellarmino, data mihi a R. P. Francisco Roca eius Confessario. Romae 1623 maii 16. Marcus Tempelius. Trois autres Exhortations également autographes sur la pauvreté religieuse: 17 pp. 4°. Ces MS de Bellarmin se trouvent aux archives de notre province d'Allemagne ». De hisce exhortationibus postea accuratius disseram, cum circumstantiis hodiernis notitiam sufficientem horum documentorum facile habere nequeam.

CAPUT TERTIUM

De Exhortationibus Domesticis iam editis earumque fonte principali: Codice Rossiano eiusque complementis

1° *De editis*

Ut omnibus notum est, maior pars Exhortationum Domesticarum edita est 1899 a Bollandista Patre Fr. Van Ortroy S. I. Attamen tempore praecedit auctore anonymo libellus 4 + 60 paginarum in 8°: *De Cognitione Dei, auctore venerabili servo Dei Roberto Bellarmino, S. R. E. Cardinali e Soc. Iesu: opus ineditum,* Lovanii 1861 typis C. I. Fonteyn. Licet libellus ad modum tractatus cuiusdam divisus sit in tredecim capita, tamen nil aliud continet nisi tredecim instructiones domesticas a Bellarmino Rectore Collegii Romani habitas annis 1593-94. Agitur autem in istis exhortationibus de essentia divina divinisque attributis. Ex istis tredecim tres quidem priores et quinque posteriores inveniuntur in libro Patris Van Ortroy eiusque supplemento a Patre Le Bachelet confecto, scilicet pp. 193-204 (1-3); pp. 239-252 (9-11); suppl. pp. 252^{1}-252^{10} (12-13); quinque vero intermediae (4-8) ibidem prorsus desiderantur.

In praefatione sat brevi dicit editor, se libellum confecisse ex codice Bellarminiano, in quo 13 exhortationes domesticae ita transscriptae sint, ut formam tractatus cuiusdam prae se ferant. Licet editor rem non clare exprimat, insinuare mihi videtur illam transscriptionem perfectam fuisse ab ipso Bellarmino. Nullo modo autem indicat, quo loco codicem invenerit qualisque formae et indolis sit. Puto tamen me a vero non longe distare opinando manuscriptum illud adesse in biblioth. Romana Victoris Emanuelis n. 589 (2718); quam tamen coniecturam verificare non possum, cum propter circumstantias actuales codices manuscripti omnes bibliothecam reliquerint. Vide infra p. 108-109.

Putat Pater Van Ortroy[4] editorem fuisse Patrem Iosephum Boero, per multos annos sub generali Patre Beckx substitutum se-

[4] Ortroy, praef., p. VIII cum nota 4.

cretarium et archivarium Societatis Iesu. Ad quod probandum citat epistolam quam die 6 nov. 1861 P. Boero dedit Patri Alexio Pruvost, in qua illi dicit [5]: « Quod attinet ad opusculum V. Card. Bellarmini *de Cognitione Dei*, verum quidem est, ipsum tractasse argumentum in libello *de Ascensione Mentis*, sed non eadem ratione et eodem prorsus modo. Hinc primum illud opusculum haberi utique potest ut proprium et originale. Exposuerat eas res in domesticis hortationibus; hinc paucis mutatis in forma libelli aut opusculi compegerat ipsa sua manu ». Concedo opinionem Patris Van Ortroy sua gaudere probabilitate; sed non video cur P. Boero Lovanium adeat ad edendum libellum.

Editorem Lovaniensem sequitur P. Van Ortroy: sed non sicut Lovaniensis ille paucas tantum exhortationes in lucem protulit, sed earum magnum numerum, scilicet omnes quae insunt in codice Rossiano. Eas autem publici iuris fecit in libro 336 paginarum, qui prodiit Bruxellis anno 1899 in 8°: *Exhortationes Domesticae Ven. Servi Dei Card. Roberti Bellarmini ex codice autographo bibl. Rossianae S. I.* In hac editione P. Van Ortroy codicem suum serviliter sequitur, nisi quod *contionem ad haereticos qui abiuraturi erant*, quae in Rossiano habetur in initio immediate post 36 priora folia, quibus continetur *Summa difficultatum de Incarnatione*, ad finem libri sui reicit pp. 329-334.

Anno 1905 Pater X. M. Le Bachelet S. I. Parisiis edidit: *Petit Supplément aux Exhort. Domest. du Vén. Cardinal Bellarmin* sine anno [6]. Continet illud supplementum duas exhortationes de iustitia praemiativa et de iustitia universali. Numerantur pp. 252 [1]-252 [10], utpote inserendae in editionem Patris Van Ortroy inter paginas 252 et 253. Fontem suum editor non nominat; qualis fuerit statim videbimus.

Et haec de hucusque iam editis; accedamus ad fontem principalem: codicem Rossianum, eiusque supplementa.

2° *De manuscriptis.*

Ut indicat ipsum nomen, codex principalis *Exhortationum Do-*

[5] Sommervogel, I, p. 1249, n° 47.
[6] Annus editionis 1905 constat ex *B. a. s. C.*, p. XX, nota 1.

mesticarum ad bibliothecam eam Societatis Iesu pertinet, quae Rossiana nuncupatur. Medio saeculi praeteriti haec bibliotheca ab illustri femina Ludovica Carola de Bourbon, ducissa Saxoniae dono data erat Adm. R. Patri Beckx, praeposito generali S. I., et temporibus turbulentis mox sequentibus sub auspiciis Imperatoris Austriae ex Italia translata Vindobonam, ubi exeunte saeculo post primam in ipsa urbe alteram mansionem invenit in suburbio Lainzii. Vindobonae codex signabatur prius X 3, postea X 115 [7]. Postquam vero anno 1921 bibliotheca Rossiana de novo Romam migravit et quidem in agrum Vaticanum, codex eleganter prolongavit nomen et vocatur Cod. Vatic. Lat. Rossianus 735.

Quia postea in introductione speciali ad Exhortationes fusius ad rem redeundum est, nunc sufficit brevis descriptio. Est autem volumen sat eleganter compactum codex chartaceus formae non ita magnae 14,1 × 10,2 cM, constans 403 foliis, quae carent numeratione. Initio habetur per 36 folia priora *Summa difficultatum de Incarnatione* seu commentarium valde compendiosum in quaestiones 9 priores III partis *Summae Theologicae*, probabiliter compositum quo tempore Bellarminus Romae docuit Controversias. Subsequuntur instructio *ad haereticos qui abiuraturi erant*, in editione P. Van Ortroy pp. 329-334, et deinde *Exhortationes domesticae* prout leguntur apud Van Ortroy pp. 1-319. Exhortationes excipiuntur duabus *orationibus in occasione quadraginta horarum* et tertia, quae erat *in Doctoratu Antonii Paladini*, ibidem pp. 320-329. In fine voluminis post orationes tres praedictas invenitur fragmentum dissertationis *de composito humano*, quod quasi epitomen constituit primi gradus Ascensionis mentis in Deum, qui scanditur consideratione ipsius hominis.

Ut iam ex praedictis clare apparet, codex non est liber chartaceus prius ex foliis aequalibus colligatus et deinde conscriptus; contra multi fasciculi longiores et breviores, paulatim inter annos 1577 et 1606 exarati, iique non semper completi [8], postea a collectore

[7] Cf. Van Ortroy, prooem. p. VII cum nota; *B. a. s. C.*, p. XX; *Auctar. Bell.*, p. XII. Van Ortroy vocat codicem *Bellarmini varia autographa saeculi XVI* cum signatura X 3; Le Bachelet cum signatura X 115.

[8] Sic v. g. in media exhortat. 3ª *de donis Spir. S.*, ubi post verba γύμναζε σεαυτόν (Ortroy p. 46) aliena manu legitur: « P. R. Bellarmine, post

quodam uniti sunt. Quod si rogas, quis fuerit iste collector, non nisi negative respondere possum. Negligentia enim in uniendis singulis partibus talis est, ut Bellarmino sit prorsus deneganda. Nam, ut ex variis indiciis chronologicis ab ipso Bellarmino positis clare apparet, nulla ratio habetur chronologiae (sic v. g. exhortatio *in festo S. Ignatii* anni 1599 sequitur exhortationes de eadem materia habitas anni 1605 et 1606); et quod peius est, exhortationes 9ª, 10ª et 11ª *de perfectione*, apud Van Ortroy pp. 239-252, nullo modo de perfectione agunt, sed pertinent ad seriem exhortationum *de Cognitione Dei*, quae apud Van Ortroy habentur pp. 193-205.

Quod si quis recordetur quam benevolae voluntatis Bellarminus semper fuerit in praestandis suis scriptis confratribus[9], non mirabitur codicem Rossianum, etiamsi solos annos 1577-1606 attendat, minime esse completum. Quod nos quasi gradatim perducit ad scripta supplementaria.

Ista supplementa eo nobis gratiora sunt, quod non quomodocumque complent codicem Rossianum, sed praecise ubi habetur hiatus valde deplorabilis, sc. in serie exhortationum *de Cognitione Dei*.

In codice enim Ross. ex 13 exhortationibus istis tt. adsunt sex, scilicet 1ª, 2ª, 3ª, apud Van Ortroy pp. 193-205; et 9ª, 10ª, 11ª *ibidem* pp. 239-247, erronee positae in fine exhortationum *de perfectione*, uti iam antea dixi.

Primum *supplementum* nescio quando repertum, anno 1905 editum est a Patre Le Bachelet sine fontis indicatione. Exhortationes enim *de iustitia Dei praemiativa* et *de iustitia Dei universali*, quas Parisiis in lucem dedit, tamquam additamentum inserendum inter pp. 252 et 253 editionis Patris Van Ortroy, nil aliud sunt nisi exhortatio 12ª et 13ª *de Cognitione Dei*. Eas fortunatim de novo inveni in codice Opp. NN. 245 fol. 47*r*-52*v* et 53*r*-58*v*.

duo illa verba graeca desideratur una vel altera pagina. Rogo, mittere illam ad me velit, si erit ei commodum ». Cf. Ortroy, prooem. p. VIII.

[9] Cf. notam praecedentem! Die 27 dec. 1602 scribit Bellarminus Patri Roccae in P. S.: « I suoi libri mi sforzarò restituirli quanto prima, ma per hora ne ho un poco di bisogno: et essendomi stato tolti, et non mai resi li miei originali, par giusto che io mi serva un poco delle copie ». Probabiliter agitur de sermonibus Lovaniensibus, quos uti scimus Bellarminus perdiderat.

Quae restant exhortationes quinque, repertae sunt postea a Patre I. Corsi S. I. inter reliquias ecclesiae Romanae Sancti Ignatii. Complectuntur 48 paginas in 12°, easque pertinere ad codicem Rossianum facile demonstravit Pater H. van Laak in *Gregorianum*, XII (1931), pp. 288-297. Facillima autem demonstratio habetur, quando exhortationes 13, in quibus quattuor dimensiones perfectionum Dei: i. e. longitudo, latitudo, altitudo, profunditas constituunt quasi structuram communem, uno tractu leguntur eo ordine quo cohaerent. Est autem ordo iste prorsus idem atque ordo capitum 13, quae inveniuntur in libello Lovaniensi *de Cognitione Dei*: scilicet:

			Ed. Lovan.
1.	Introductio generalis; Dei immensitas, aeternitas	Cod. Ross.: Ortroy 193-196	pp. 1-4
2.	De essentia Dei: altitudo, profunditas	» » » 197-200	» 4-8
3.	De potentia Dei	» » » 201-204	» 8-12
4.	De sapientia Dei: speculativa	Eccl. S. Ignat. fol. 1*r*-5*v*	» 12-16
5.	practica: creatio	» » » » 6*r*-11*r*	» 16-21
6.	» conservatio	» » » » 11*r*-15*r*	» 21-25
7.	» redemptio	» » » » 15*v*-19*v*	» 25-29
8.	» providentia	» » » » 20*r*-24*v*	» 29-34
9.	De misericordia Dei: generice	Cod. Ross.: Ortroy 239-243	» 34-39
10.	erga timentes se	» » » 244-247	» 39-43
11.	De iustitia Dei: punitiva	» » » 248-252	» 44-49
12.	praemiativa	Suppl. Le Bachelet 252[1-5]	» 49-54
13.	universali	» » » 252[6-10]	» 55-60

Sic tredecim exhortationibus tota consideratio de perfectionibus Dei est completa et constat quasi unicum opusculum. Quod opusculum in germine habetur in *Meditationibus de essentia divina*, quae uti iam supra dixi p. 103, latent in codice APUG 373 fol. 241-252. In illis enim meditationibus eadem materia quasi eodem ordine exponitur ac in tredecim exhortationibus *de Cognitione Dei*, licet in forma valde contracta. Deest autem in iis meditatio de misericordia Dei erga timentes se.

Sicut fragmenta inventa in Ecclesia Sancti Ignatii una cum codice Opp. NN. 245 complent exhortationes codicis Rossiani, eodem modo eas complet codex manuscriptus bibliothecae Vict. Emanuelis:

Mss. Gesuiti 589 (2718), de quo iam p. 104, et qui inscribitur: *Bellarmino Card. Roberto: Tractatus de Cognitione Dei.* Est secundum catalogum bibliothecae codex chartaceus saeculi XVII, 130 × 100 mM. Iam antea notavi, me ob conditiones hodiernas codicem videre non potuisse. Eum accuratius describam, si Deus vult, in introductione speciali facienda ad *Exhortationes Domesticas.* Ceterum hodie codex iam non est tanti momenti, cum etiam absque illo omnes exhortationes *de Cognitione Dei* sine lacunis adsint, eaeque in Bellarmini autographo.

PARS TERTIA

De ratione huius editionis conficiendae

Absolutis argumenti nostri partibus prima et altera, iam disserendum est de methodo in hac nostra editione praeparanda quae fuit adhibita.

Et primum dicendum erit de *materia* electa et de eius per varias partes et sectiones *distributione*. Quia vero distributio illa arcte cohaeret cum tempore, quo orationes sint habitae, necessario loquendum erit de principiis, quae ad *temporis computationem* adhibuimus. Applicantur autem illa principia chronologiae stabiliendae in *introductionibus particularibus*, de quibus sequens erit quaestio. Quibus omnibus breviter expeditis, iam disserendum erit de *recensione textus*, et magis in particulari de habitudine nostra ad *transpositiones, additiones, mutationes* a Bellarmino confectis in propriis suis manuscriptis. Ea enim sunt quae nonnumquam editori sat molestas procreant difficultates. Quod si tandem huic ultimae parti finem imposuerimus *conspectu fontium* ab ipso S. Roberto adhibitorum, speramus iustis postulationibus debito modo fuisse satisfactum.

CAPUT PRIMUM

De materia huius editionis

Edenda suscepimus opera Bellarmini oratoria, *Contionibus Lovaniensibus* exceptis, quippe quarum exstant iam plures editiones. Quod si dicimus *opera oratoria*, hoc sumatur lato sensu velim, ita ut vox includat et *sermones* seu contiones, et *instructiones*, et eas allocutiones ad membra Societatis Iesu, quae vulgo *exhortationes domesticae* vocantur. Quas autem edimus contiones et instructiones, paucis quibusdam exceptis, erant hucusque ineditae. Contra vero

exhortationes domesticae. Sed et eas de novo in lucem proferendas putavimus quia in editione Patris Van Ortroy perplures desiderantur, eaeque non ex mediocribus. Omnia autem oratoria a nobis edenda, sive iam antea edita fuerint, sive non, sunt *postuma* i. e. nil eorum lucem vidit, vivo ipso auctore.

Concedo me ancipitem haesisse, an hisce operibus oratoriis etiam adiungerem *Explicationem in Symbolum*. Illa enim explicatio non est nisi compositio multorum sermonum vel si mavis, instructionum catecheticarum, a Bellarmino Archiepiscopo habitarum in pago Sanctae Mariae maiori prope Capuam. Accedit, quod non facile invenitur in editis. Melius autem visum est, ut postea ederetur una cum *Doctrina christiana brevi* eiusque *Declaratione copiosiori* et opusculo inedito APUG 485: *Expositiones in doctrinam Christianam* nuncupato.

Ex altera parte addenda putavi quaedam, quae non sunt opera oratoria. Cur sermonibus placuerit praemittere Instructionem *De Ratione formandae Concionis* non est cur exponatur. Patet enim. Aliud est quod sermonibus officialibus Capuanis addidi haud pauca acta: v. g. *Visitationes sacras, decreta concilii provincialis et synodus diocesanae anni 1603, conclusiones Capitulares* et alia huiusmodi. Ratio est, quia sermones Capuanos ita complent, ut revera acquiramus imaginem completam Pastoris Capuani hucusque ignotam. Eadem de causa instructionibus ad moniales adieci quasdam regulas a Bellarmino vel Bellarmino duce compositas ad monacharum profectum spiritualem, unam alteramve instructionem non ore, sed calamo solo habitam.

Et haec de materia edenda.

CAPUT SECUNDUM

De materiae in varias partes distributione

Erat haec distributio non ita facilis, et non nisi post multas fluctuationes talis effecta est, qualis de facto nunc videtur. Ratio est, quia uni divisioni haud raro inhaerent non solum convenientiae, quae non inveniantur in divisione alia, sed etiam inconve-

nientiae, quae in alia desint; nec datur tertia, cui competant convenientiae utriusque sine ullis inconvenientiis.

Ordo autem, secundum quem materia est disponenda et dividenda, per se loquendo vel ordo est manuscriptorum, vel ordo quidam realis, vel ordo chronologicus.

Quod si quis prae oculis habeat, quae supra exposui de codicibus APUG 384 et 385ª, non mirabitur me de ordine manuscriptorum ne cogitasse quidem. Sermones de evangelio, sermones de epistola, instructiones ad familiam, explanationes in epistolas Paulinas, quattuor constituunt sectiones prorsus diversas, quarum singuli sermones tam origine quam argumento ita inter se cohaerent, ut sermones unius sectionis cum alterius sermonibus confundi nequeant, unice quia post Bellarmini mortem ignotus collector, qui aeque festinanter atque negligenter opus suum perfecit, hanc minoris resistentiae viam videtur indicare. Accedit, quod ipse Bellarminus, ut nos docet Codex Opp. NN. 231, in quo separatim habentur sermones in evangelia a sermonibus in epistolas, aliam demonstrat viam. Nec Bellarminus propriam praefationem scripsisset in Explanationes, nec istas usque ad mortem separatim servasset, si eas non considerasset ut unum quid, licet nondum perfectum.

Nec sequendus erat ordo mere chronologicus. Maxime enim convenit separatim edere sermones, instructiones, exhortationes, quod unice attendenti ad ordinem chronologicum est impossibile.

Quare eligimus ordinem quendam realem, quo ea inter se iunguntur, quae sive ob argumentum commune, sive ob indolem auditorii arctius inter sese cohaerent. Inde divisio magna in Sermones, Instructiones, Exhortationes. Inde divisio Instructionum ad familiares et ad moniales. Inde divisio sermonum in Sermones festales de Christo, B. M. Virgine, Apostolis, Sanctis; sermones dominicales Romae habitos tempore Adventus et Quadragesimae 1599-1601 (1606); sermones pastorales officiales Capuanos ann. 1602 sqq.; sermones Capuae habitos 1603 in Epistolas; sermones Capuae habitos 1604 in Evangelia; sermones Capuae habitos 1605 de Sermone Dom. in Monte; Explanationes in epistolas dominicales et festales conscriptas circa ann. 1615.

Accedit quod hic ordo realis non solum iungit ea quae natura

sua iungenda sunt, sed etiam quam proxime accedit ad distributionem chronologicam. Verum est, quod nonnulli ex sermonibus festalibus etiam adiungi potuissent iis qui sunt vel de epistola vel de evangelio — ipse Bellarminus hac de re dubitavit, ut elucet ex Codice Opp. NN. 231 —, sed ex altera parte « festale » erat necessarium. Nam alii ex sermonibus festalibus nec sunt de epistola nec de evangelio, alii quoque sunt anni incerti.

Hoc unum repeto: elegi eam divisionem quam existimavi meliorem, non ignorans etiam hanc divisionem laborare suis defectibus. Attamen certum est distributionem prout nunc habetur non esse opus unius diei, sed quinque circiter annorum. Ut autem eam conficerem, haud raro cum aliae quaestiones, tum etiam solvenda erat quaestio chronologica.

CAPUT TERTIUM

De chronologia orationum stabilienda

Ut in parte prima huius introductionis fusius explicavi, Bellarminus Romae praedicavit in sua ecclesia titulari annis 1599-1602. Capuae vero anno liturgico 1602-3 exposuit epistolas dominicales, 1603-4 evangelia dominicalia, inde a mense novembri 1604 locutus est de Sermone Domini in monte. Quae omnia sunt normae directivae haud spernendae, at non ita raro nimis generales. Nam ut exemplo rem illustrem, fieri potest ut de uno eodemque evangelio habeantur duae vel tres expositiones, et etiam si una sola adest, nondum eo ipso patet eam habitam fuisse Capuae.

Quare singula documenta sunt accurate inspicienda, ut inveniantur vestigia chronologica ad annum compositionis stabiliendum. Quod ut generatim non erat nimis difficile, ita tamen nonnumquam postulavit sat laboris et temporis.

Adhibuimus autem criteria externa et interna.

Ex externis nomino imprimis codicem Opp. NN. 231, in quo data opera collecti sunt sermones plures Capuani in evangelia et epistolas; deinde notas chronologicas ipsius Bellarmini, quae tamen multo frequentiores sunt in exhortationibus, quam in ser-

monibus. Cum enim Bellarminus, maxime cum provinciam S. I. Neapolitanam regeret, saepius unam eandemque instructionem proferret in variis domibus et collegiis, diligenter erat notandum ubi et quando iam prolata erant. Accesserunt paucae quaedam indicationes sparsae in Bellarmini autobiographia et epistolis. Denique auxilio fuerunt relationes variae contemporaneae sive indolis magis generalis, sive particularis.

Criteria autem interna saepius desumpsi ex concursu festorum mobilium et immobilium; ex indicatis nexibus cum rebus eo tempore gestis; ex citationibus librorum modo editorum; ex descriptione consuetudinum et morum quae unice Capuae conveniebant; ex cohaerentia sermonum inter se. Tandem ex ipsa charta, quandoque iam prius adhibita ad epistolam inchoandam vel notulam componendam; ex filogrammatis diversis; ex calamo et atramento et scribendi ratione.

Applicationem benevolus lector videat in omnibus introductionibus peculiaribus. Quod autem ad argumenta attinet ex charta et filogrammate, ex calamo et atramento et scribendi ratione, sciat huiusmodi vim probandi non habere plane nisi videnti manuscripta. Multa enim *imponderabilia* sunt, ut dicunt, quae clara sunt videnti, difficile autem explicantur ei qui non propriis oculis viderit.

CAPUT QUARTUM

De introductionibus specialibus

Introductiones speciales referuntur sive ad partes in quas divisum est opus totum, sive etiam ad sectiones in quas sua vice partes divisae sunt. Generatim limitantur ad sermones, instructiones, exhortationes eas, ad quas introducunt; nonnunquam autem paululum latius manant. Sic v. g. parti tertiae, ex qua ordiuntur Sermones Capuani, praemisi conspectum chronologicum totius laboris apostolici in regenda Capuana ecclesia et sectioni primae partis octavae introductionem longiorem de familia cardinalitia, id est de familiaribus altioribus et minoribus tam clericis quam

laicis, ex quibus aula Bellarmini erat composita, et de illius familiae regimine paterno.

De more autem generali introductiones particulares proxime referuntur ad ipsas orationes, quas praecedunt. Et primum quidem inserviunt ad demonstrandum documenta subsequentia revera stare suo loco. Quare in iis applicatio principiorum computationis chronologicae non parvum occupat locum. Sed non solum de quaestionibus chronologicis tractant. Attuli in iis ea omnia quae mihi nota erant de origine et historia orationum subsequentium; et hac de causa introductiones saepe brevi absolvuntur, nonnumquam etiam latius extenduntur, prout fontes historici magis minusve abundant. Etenim non solum sua fata habent libelli, sed etiam sermones. Talis est v. g. sermo anni 1599 in honorem S. Patris Ignatii, talis sermo famosus Capuanus in laudem Sancti Gregorii Nazianzeni, cui in epilogo sermonis Bellarminus semetipsum ausus est comparare. Sui generis etiam est introductio specialis in Explanationes epistolarum dominicarum et festalium. Sed videat ipse lector. Si legerit introductiones et aliquem fructum ex iis hauserit, gratissimum mihi erit; sin secus, spero me saltem acquisivisse meritum bonae intentionis.

CAPUT QUINTUM

De recensione ipsius textus

Ut a priori patet, conatus sum quam fidelissime reddere textum. Bene tamen distinguendum est inter autographa et apographa.

Ubi agitur de autographo, in textu nil mutatur, nisi evidenter agatur de errore orthographico vel grammaticali, vel de numero erroneo in citationibus S. Scripturae aliusve fontis. Nil tamen alicuius momenti corrigitur, quod non in apparatu critico notetur. Abbreviationes autem complentur vel ad modum uniformem reducuntur, quin fiat mentio. Eodem modo absque ulla mentione mutabimus sententiarum interpunctionem, quando nimium a nostro modo interpungendi recedit, idque eo facilius, quia observavi Bellarminum in editis suis multo magis accedere ad interpunctionem

nostram quam in suis manuscriptis. Diu anceps haesi, utrum citationes S. Scripturae, quae a Sancto Doctore semper e memoria sola citatur, Vulgatae latinae conformarem necne. Certe Bellarminus si sermones editurus fuisset, hoc non omisisset. Re mature considerata citationes liberiori modo factas non mutavi, quia verba exacta sine difficultate ab omnibus statim possunt inveniri. Id quoque notandum est Bellarminum in verbo Dei allegando generatim non indicare nisi caput; nos autem more recenti capiti addemus et versum. Ubi autem in autographo citatur textus incompletus addito *etc.*, memores erimus quod Bellarminus scribit in Correctorio suo ad *Contiones Lovanienses* APUG 373 fol. 198*r* col. 1: *Oportebit etiam ubicumque invenitur « etc. » in citationibus Scripturarum ponere ad locum omnia verba.* Et iure merito. Nam talis *etc.* nil aliud est nisi abbreviatio non vocis, sed sententiae.

Aliter autem res sese habet, ubi agitur de apographo, et in specie ubi fons unicus est codex Opp. NN. 231, ex Bellarmini autographis confectus ab Antonio quodam. Ut enim constat ex illis sermonibus, quorum existit cum originale tum transcriptio ab Antonio facta, ipse haud raro legendo errat, atque interpunctione utitur, quae non solum a nostra et a Bellarminiana est aliena, sed nonnunquam positive est erronea. Quare textus aliquando erit sanandus. Quas sanationes in apparatu critico indicabimus, non vero interpunctionis mutationem, nisi agatur de re dubia. Generatim autem errores Antonii sat facile corrigi possunt, cum ipsos eos committat, qui frequentius fiunt ab illo, cui Bellarmini scriptura nondum est familiaris.

Quod ad lectiones variantes spectat: ea omisi, ubi autographo opponitur nonnisi apographum. Cui bonum, quaeso, textui ipsius Bellarmini in calce adiungere errores Antonii? Aliter autem res sese habet, quando lectioni originali opponitur alia lectio in editis. Tunc accurate indicabo lectiones variantes quae habentur in editis, ne postea oriatur quaestio, num prior vel recens editor rectam recensionem dederit lectoribus. Quare in *Exhortationibus Domesticis* semper indicabitur, quod aliter legitur in editione Bruxellensi Patris Van Ortroy. Casus, ubi eiusdem orationis habeamus duo documenta autographa, rarissimus est. Accidit tamen circa

sermonem, habitum anno 1599 in honorem Sancti Ignatii; et ut suspicor etiam relate ad exhortationes domesticas *de cognitione Dei*. In utroque casu fideliter adnotabimus discrepantias inter ipsa autographa.

Quod ad *meditationes de essentia Dei* spectat, lingua italica conscriptas ab homine simplici ac rudi, et dein ab ipso Bellarmino emendatas et completas, orthographiam rusticam et agrestem non mutabo; mutationes autem et correctiones et additiones a Bellarmino factas clare indicabo. Ex tali enim documento mirum in modum apparet Bellarmini erga alios etiam simplicissimos mira bonitas et affabilitas.

CAPUT SEXTUM

De transpositionibus, additionibus, mutationibus

Quodsi scripta Bellarmini autographa inspiciuntur etiam modo superficiali, frequenter apparent transpositiones, additiones marginales et interlineares, mutationes maiores et minores. In codice ordinario haec omnia generatim significant — saltem ex mente ipsius auctoris — correctionem, emendationem vel saltem maiorem quemdam perfectionem. Ubi autem agitur de orationibus, sermonibus, instructionibus, exhortationibus autographis: lex ea omnino non valet. Sumamus ad rem explicandam exemplum concretum:

In codice APUG 384 fol. 603-608 habetur sermo in evangelium dominicae sextae post Pentecostem. Inspicienti codicem statim apparent multa addita in initio et in fine, in margine et inter lineas, multa quoque mutata et aliter redacta. Attamen nullo modo habentur correctiones vel emendationes. Et quidem ob rationem simplicissimam. Nam eandem hanc contionem Bellarminus iam olim habuerat in dominica quarta Quadragesimae. Evangelium etenim de multiplicatione panum bis legitur: dominica quarta Quadragesimae secundum Ioannem, dominica sexta post Pentecostem secundum Marcum. In utroque evangelio narratur factum simile quoad substantiam, differens quoad adiuncta. Et

modo sat humano videmus Bellarminum, in praeparanda contione dominicae sextae post Pentecosten, uti contione iam olim habita tempore Quadragesimae, ac narrationem Sti Ioannis accommodare narrationi Sti Marci. Summa summarum: si chartam spectas, habes unam contionem apparenter emendatam; si rem attendis, duos sermones sine emendationibus.

Clarum est ea unice accidere in autographis. Ut in eodem exemplo maneamus: bonus noster Antonius in codice Opp. NN. 231 fol. 107*v*-109*r* transscripsit ex fasciculo autographo sermonem praedictum de multiplicatione panum, nobisque praesentat lectionem autographi « emendatam ». Quid reapse fecit Antonius? Ex duobus sermonibus unum omisit.

Aliud exemplum praebent instructiones *De imitatione Dei*, habitae ad familiam. Sunt istae instructiones bis prolatae, prima vice probabiliter anno 1602, altera vice absque ullo dubio anno 1612. In utroque casu initium sumunt ab initio anni et continuantur singulis hebdomadis. Anno autem 1602 dies primus anni est feria tertia, anno 1612 dies dominica; anno 1602 inter Epiphaniam et Septuagesimam sunt tres Dominicae, anno 1612 autem sex. Attamen in illis instructionibus Bellarminus rationem habet festorum v. g. Annuntiationis, Paschatis, sicut et Ieiunii et Passionis. Clarum est talia fieri non posse absque duplici recensione. Recensio autem posterior non dat textum emendatum, sed redactionem novam ob mutatas circumstantias. Recensiones duae non sese habent inter se ut minus et magis perfectum, sed ut aliud et aliud.

Ex praedictis, ni fallor, sequitur haec illatio: Ubi in sermonibus autographis apparent transpositiones, additiones, multationes: quadruplex fieri potest suppositio, et diligenter videndum erit, quaenam ex hisce quattuor verificetur.

1ª. Ex contione antiqua facta est nova contio de materia alia quidem, sed consimili. In illo casu autographum nobis reapse repraesentat *duas contiones*.

2ª. Contio antiqua de novo habita est ad aliud auditorium, vel ad idem auditorium in diversis adiunctis, et novis istis circumstantiis fuit accommodata. In illo casu autographum nobis dat

duas recensiones eiusdem contionis, *diversas* quidem sed *eiusdem valoris*.

3ª. Contio antiqua de novo habita est, et illa occasione auctor quaedam mutavit, quia iam non placebant, vel quia erant minus recte dicta. In illo casu habentur in manuscripto *duae recensiones* eiusdem contionis, *diversae* et *inaequalis valoris*. Prior enim plus minusve repudiata est ab auctore.

4ª. Contio, dum scribebatur ab auctore, ad redactionem perfectam deducta non est, nisi per varias mutationes, additiones, correctiones etc. In illo casu *una solummodo est recensio* i. e. redactio definitiva. Expunctiones autem, emendationes, translocationes et alia huiusmodi nobis carae esse possunt, prout in iis nobis elucet labor intellectualis auctoris.

De primo et secundo casu sat facile nobis constare potest ex analysi documentorum. Difficilius autem distinguuntur inter sese casus tertius et quartus. Saepe ex calamo, atramento et modo scribendi apparet, num mutationes factae sint in ipsa oratione componenda vel postea post orationem iam habitam. Clarum etiam est omnem mutationem, quae postea supponitur in decursu orationis immutato, factam esse in prima compositione. Attamen haud raro res manet incerta.

Generice autem loquendo, quoad mutationes, transpositiones, additiones has sequemur normas:

1º. Si contio practice repraesentat duos sermones vel saltem duas recensiones ob adiuncta diversa, illud indicabimus, et utramque dabimus recensionem.

2º. Indicabimus, quando nobis magis minusve constat, orationem bis vel pluries fuisse habitam.

3º. Notulas breves, quibus Bellarminus sive in margine sive in ipso textu indicat pericopas sive longiores sive breviores in alium locum esse transponendas, semper ad litteram referemus in apparatu critico, addita nota, ubi agitur de transpositione posterioris temporis.

4º. Verba a Bellarmino expuncta sive simpliciter, sive ut cedant novae redactioni, tunc solum verbotenus in notis criticis citabimus, si in sese aliqua de causa videntur commemoratione digna,

non omissa mentione speciali, ubi apparet novam redactionem esse originis posterioris.

5°. Quod ad additiones marginales vagas spectat, i. e. tales, quibus deest signum speciale, quo videtur inter quaenam verba ipsius textus sint inserendae: eas eo loco inseremus ubi contextus id postulare videtur, cum indicatione additionem fuisse vagam. Si autem additione marginali sive fixa sive vaga, quod aliquando fit, licet rarissime, sensus verborum paululum turbatur: sanationem perficiemus, cuius ratio reddetur in apparatu critico.

Et haec sufficiant, cum applicationes fiant in introductionibus specialibus et notis criticis ad calcem. Nil restat, nisi ut indicem quaedam compendia et signa in apparatu critico adhibenda:

Compendia et signa critica.

Asteriscus (*) ante notitiam chronologicam; indicationem codicis; auctorem sacrum; titulum sermonis; textum Scripturae: significat: *additum ab editore.*

Asteriscus (*) in medio textu Scripturae indicat posteriori parti textus in autographo correspondere: *etc.*

add. = addidit editor.

add. N. N. = addidit talis vel talis.

am = additio marginalis.

am vaga = additio marginalis vaga.

apim = additio posterior in margine.

apim vaga = additio posterior in margine vaga.

apil = additio posterior inter lineas.

cB ... la = correxit Bellarminus ... lectio antecedens.

cBp ... la = correxit Bell. posterius ... lectio antecedens.

corr. = correxi.

corr. N. N. = correxit talis vel talis.

cod. = codex, scilicet qui initio sermonum indicatur.

nB (*nmB*) = nota (marginalis) Bellarmini de ordinanda materia.

sBe = deinde sequentia Bell. expunxit.

sBep = item in redactione posteriori.

CAPUT SEPTIMUM

De fontibus ab ipso Bellarmino adhibitis

Fons primarius Bellarmini oratoris sacri semper fuit S. Scriptura. Die 19 dec. 1602 ex urbe Capuae scribit Patri Carminatae [1]: « Quà non hò tempo, perchè dalla mattina alla sera bisogna negoziare per i bisogni della chiesa, e non hò altro che la notte per fare oratione da vero et legger qualche cosa per predicare, ò per dire meglio, pensare et scrivere: perchè leggo poco o niente; et più mi riesce il meditare la Scrittura per predicare che il molto leggere ». Lectionem vero Sacrae Scripturae sanctus Robertus generatim coniungit cum lectura SS. Patrum, maxime eorum qui Sacras Litteras sunt interpretati.

Sacrae Scripturae et Patribus quos late intellegas velim, ita ut includas v. g. Bedam, Anselmum Cant. et Laudun., Bernardum, alios — proxime accessere Historia Ecclesiastica et Vitae Sanctorum, tum veteres tum recentiores. Celebris collectio Surii continuo Bellarmino fuit prae manibus.

Fons tertius erant theologi. Sed credo Bellarminum oratorem theologos solummodo indirecte adiisse consulendo scilicet propria sua opera. Ex *Controversiis* usus est praecipue partibus iis, in quibus positive simul et speculative exponitur doctrina catholica. Etiam *Commentarius* autographus *in Summam Theologicam* Aquinatis ei auxilio fuit, maxime expositio II^{ae}-II^{ae}, in qua abundant quaestiones morales [2]. Nec dubitandum est, quin Bellarminus adhibuerit suas *Conciones Lovanienses*, et quidem ante editionem anni 1615 ex codice non autographo, quem possidebat Pater Rocca, Bellarmini confessarius [3].

Fons quartus censendi sunt scriptores ascetici et oratores recentiores: puta opuscula ascetica Sancti Bonaventurae et praedicationes sacras Sanctorum Antonii Patav., Vincentii Ferr., Lau-

1. *Racc. Carm.*, n. 10.
2. Cf. supra *de fontibus*, p. 91.
3. Cf. epist. 27 dec. 1602 ad P. Roccam: supra p. 94 et p. 69.

rentii Iustiniani. Quousque extendatur dependentia ab istis oratoribus mihi non constat.

Ultimatim nominandi sunt auctores profani tam antiqui quam posteriores, praecipue historici. Aristotelem haud raro inveniri citatum mirum non est, cum praelectiones philosophicae, quas Bellarminus per tres annos secutus est in Collegio Romano, non erant nisi commentaria Patris Parrae in Stagiritam [4].

Generatim Bellarminus fontes suos indicat, quamquam non ea diligentia, quam adhibet in operibus suis in lucem editis. Non enim conscripsit sua schemata elaborata, ut futuro editori gratum faceret, sed ut augeret thesaurum, ex quo suo tempore proferret nova et vetera auditoribus, quibus magis cordi erat quid auctoritates dicerent, quam quo loco invenirentur. Attamen, licet labor fuerit sat durus, serio conatus sum testimonia, quae Bellarminus modo sat generali indicare solet, in notis accuratius determinare. Quod ad Patres spectat, quasi semper cito editionem Mignianam, quia sat facile habetur, graecis addit versionem latinam, et gaudet generatim apparatu theologico, qualis in editionibus Berolinensi et Vindobonensi non invenitur.

Nil aliud restat nisi ut addam duplicem elenchum: alterum omnium auctorum, quos Bellarminus in mox edendis citat, alterum Sanctorum quorum vitas ibidem commemorat.

LIBRI ET SCRIPTA CITATA IN SERMONIBUS S. R. BELLARMINI

I. - Auctores.

(Asteriscus indicat dubia vel spuria: videat lector Bellarmini librum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad quem saepe a nobis remittitur).

Aelredus Rievallens., Vita S. Eduardi Regis: *ML* 195, 737-790; apud Bellarm., *De off. princ. Christ.* III.

Albertus Magnus, *De adhaerendo Deo; *De laudibus B. M. V.

[4] Cf. AHSI, IV (1935), pp. 234-238.

Ambrosius, De Abraham: *ML* 14; De bono mortis: *ML* 14; De exc. fratris Satyri: *ML* 16; De fide: *ML* 16; De obitu Theodosii: *ML* 16; De officiis: *ML* 16; De paradiso: *ML* 14; De virginibus: *ML* 16; Epistolae: *ML* 16; Enarrationes in 12 Psalmos; *ML* 14; Hexaemeron: *ML* 14; In Luc.: *ML* 15; In Psalm. 118: *ML* 15; Sermo c. Auxent. de basil. non tradendis (epist. 21): *ML* 16; *Comm. in Ep. ad Rom.: *ML* 17; *Comm. in Ep. ad Coloss.: *ML* 17; *Hymni: *ML* 17; *Sermones: *ML* 17.

Andreae Apostoli, Passio per presbyt. et diacon. Ecclesiarum Achaiae scripta: *Surius* VI 696-700; *MG* 2, 1187-1248.

Anselmus Cant., De conceptu virg. et orig. pecc.: *ML* 158; De Conceptione B. M. V.: *ML* 159, 302-325; *De excellentia Virg.: cf. Eadmer; *In Apocal.: cf. Anselm. Laud.; *In Matth.: cf. Anselm. Laud.; *In Pauli Epist.: cf. Herv. Burdig.; *Similitudines: cf. Eadmer.

Anselmus Laudun., In Evang. Matth.: *ML* 162, 1227-1500; In Ioh. Apocal.: *ML* 162, 1499-1586; Glossa interl.: *ML* 162.

Antonius Paduanus, Sermones de tempore, Venetiis 1574; Sermones de Sanctis cf. *de Script. eccles.*

Aretas Caesar., Comment. in Apocalyps.: *MG* 106.

Aristoteles, Analytica; De partibus animal.; De sophist. elenchis; De virtutibus et vitiis; Ethica Nicom.; Histor. Animalium; Metaphysica; Oeconomica; Physica (natur. auscultat.); Politica; Rhetorica.

Arnobius, Adversus Nationes: *ML* 5.

Arnoldus Bonevallens., De operibus cardinalibus Christi (sermones de nativ., bapt., ascens.): *ML* 189. A Bellarmino adscribuntur auctori antiquo et erudito, non tamen Cypriano, licet tractatus sub Cypriani nomine citet. Cf. *de Script. eccles.*

Atiianasius, Apolog. ad Const. Imper.: *MG* 25; Contra Apollinarem: *MG* 26; De hum. verbi et salut. adv. eius: *MG* 25; *Quaest. in Nov. Test.: *MG* 28; Sermones c. Arianos quattuor: *MG* 26; S. Antonii Vita: *MG* 26; Synopsis S. Script.: *MG* 28.

Augustinus, Confess.: *ML* 32; Contra duas epist. Pelagii: *ML* 44; Contra epist. Manich. fund: *ML* 42; Contra Faustum Man.: *ML* 42; Contra Iulianum: *ML* 44; Contra Priscill. et Origen.

ad Oros.: *ML* 42; De adulterin. coniug.: *ML* 40; De baptismo c. Donat.: *ML* 42; De bono coniugali: *ML* 40; De consensu evang.: *ML* 34; De corrept. et grat.: *ML* 44; De civit. Dei: *ML* 41; De divers. quaest. ad Simpl.: *ML* 40; De divers. quaest. 83: *ML* 40; De doctrina Christ.: *ML* 34; De dono perseverantiae: *ML* 45; De Genes. ad litt.: *ML* 34; De gratia et lib. arbitr.: *ML* 44; De lib. arbitrio: *ML* 32; De mendacio: *ML* 40; *De miraculis S. Stephani, cf. Evodius; De moribus eccl. cath.: *ML* 32; De natura et gratia: *ML* 44; De ordine: *ML* 32; De peccat. mer. et remiss.: *ML* 44; De praedestinat. sanct.: *ML* 44; De s. virginit.: *ML* 40; De serm. Dom. in monte: *ML* 34; De spiritu et litt.: *ML* 44; De Trinit.: *ML* 42; De vera relig.: *ML* 34; De vita clericor.: *ML* 39, 1568; Enarrat. in Psalm.: *ML* 36-37; Enchirid.: *ML* 40; Epist.: *ML* 33; Exposit. ep. ad Gal.: *ML* 35; Homil. quinquaginta: *ML* 39, 2432; In epist. Ioan. tract.: *ML* 35; In evang. Ioann. tract.: *ML* 35; in Levitic.: *ML* 34; Quaest. in Exod.: *ML* 34; Quaest. evangelic.: *ML* 35; Regulae Monial. = Epist. 211: *ML* 33; Retract.: *ML* 32; Sermones: *ML* 38-39; *Sermones dubii: ML 39; Sermones de diversis, de Sanctis, de verbis Apostoli, de verbis Domini: *ML* 39, 2429-2438.

Balsamon, cf. Theodorus Balsamon.

Baronius, Annales ecclesiastici a Christo nato ad annum 1198, 12 vol., Romae, 1588-1593.

Basilius Magnus, Constitut. Monasticae: *MG* 31; De Spiritu S.: *MG* 32; Epistolae: *MG* 32; Homil. et sermones: *MG* 31; Homiliae in Hexaem.: *MG* 29; Homiliae in Psalmos: *MG* 29; In Isaiam: *MG* 30; Regulae brev. tract.: *MG* 31; Regulae fusius tract.: *MG* 31; *Acolyth. off. SS. Basilii, Nazianz., Chrysost.: *MG* 29.

Beda Vener., Historia eccles.: *ML* 95; Expos. in Ioann.: *ML* 92; Expos. in Luc.: *ML* 92; Expos. in Matth.: *ML* 92; Explan. in Apocal.: *ML* 92; In libr. Psalm. Exeg.: *ML* 93.

Belcari, Feo, La vita del B. Giovanni Columbini, ed. 1.

Bellarminus, Rob. Card., Comment. Lov. in Summ. Theol.: opus inedit., conscriptum 1570-1576; Contiones habitae Lovanii, Coloniae 1615; De Script. Eccles. et Chronologia brev., Romae

1613; Disputat. de Controv. Christianae fidei, vol. 3, Ingolstadt 1586-1593.

Bernardus Clarevall., *Declamatio super illud evangelii: Ecce nos reliquimus omnia, ed. Paris 1548, fol. 282D-288D; *Declamationes: cf. Gaufridus; De consideratione: *ML* 182; De gradib. humilit.: *ML* 182; De morib. et oflic. episcop. = ep. 42: *ML* 182; De obitu Humb. monachi: *ML* 183; De praecept. et dispens.: *ML* 182; Epistol.: *ML* 182; Homil. in Cant.: *ML* 183; Homil. super Missus est: *ML* 183; *Sermo ad Synodum: *ML* 184; Sermones de Stis: *ML* 183; Serm. de tempore: *ML* 183; Tractatus de laude B. M. V.: *ML* 182. Vita, cf. Guillelm. S. Theod., Ernald. Bonevall., Gaufrid. Clarevall.

Bernardinus Senens., Opera omnia, tom. III-IV (sermones), Venetiis 1591: cf. *De Script. Eccles.*

Bessarion, In Calumniatorem Platonis libri 4, Venetiis 1503; ed. Mohler, Paderborn, 1927.

Bigne, Marguerin de la, Bibliotheca SS. Patrum, 9 vol., Parisiis 1575-1579; 17 vol., ed. 6, Parisiis 1654.

Billius, Jacob., Versio Operum S. Gregor. Nazianz., Parisiis 1609: ibi vita Nazianzeni latine ex graeco Gregorii presbyt.: Surius III 181-197.

Bonaventura, De profectu religios.; Itinerarium mentis in Deum; Speculum Disciplinae; *Stimulus div. amoris; Vita S. Francisci (legenda maior).

Bonciarius, Marc. Ant., Opuscula decem varii argumenti ad Lud. Saregum, Perusiae Umbriaeque gubern., Perusiae, 1607.

Breviarium Romanum.

Brigitta, Sta, Revelationes, Lübeck 1492.

Brito, Bernardus de, Ord. Cist., Primeira parte da Chronica de Cister onde se contam as cousas principaes d'esta religião, Lisboa 1602.

— Historiae Cisterciensis libri sex, Ulissiponae 1602 (?).

Caesar, De bello gallico.

Caesarius Heisterb., Vita S. Engelberti: *Surius* VI 148-176.

Canisius, Henricus, Antiquae Lectiones: Tom. VI, Ingolstadii, 1604 ubi Vita S. Henrici.

Canisius, S. Petrus, Commentar. de Verbi Dei corruptelis, II: De B. M. V., Ingolstadii 1577.

Cassianus, Collationes: *ML* 66; Coenobit. Institut.: *ML* 66.

Castillo, H. de, Historia general de S. Domingo y de su orden de Predicadores, 3 vol., Madrid, 1584.

Caterina Fiesca Adorna de Genova, Trattato del Purgatorio; Dialogo spirituale, nel quale s'introducono a parlare insieme l'anima, il corpo, l'amor proprio, lo spirito, l'umanità e il Signor Iddio. Cf. Marabatto.

Caterina da Siena, Il dialogo, dettato in volgare dalla medesima, essendo rapita in astrazione di mente: Opera omnia (ed. Girol. Gigli), Roma 1866 III; latine: Ingolstadii 1583 in 8°. Lettere: cf. Ferretti.

Centuriatores Magdeburg., Ecclesiastica historia secundum singulas centurias per aliquot studiosos et pios viros in urbe Magdeburgica, 8 vol. 1559-1574.

Chalcidius, Versio et explanatio Timaei Platonis, Parisiis 1520 et 1579; ed. rec. Wrobel, 1876.

Chartuitius, Cf. Hartwich.

Chromatius, Comm. in Matth.: *ML* 20.

Chronica Fratrum Minorum, cf. Marcus Ulyssiponens.

Chronicon Cassinense: *ML* 173.

Chrysologus, S. Petrus, Sermones: *ML* 52.

Chrysostomus, S. Ioannes, Ad Theodor. lapsum: *MG* 47; Contra Anomoeos: *MG* 48; Contra vituperat. vitae monast.: *MG* 47; De natura Dei incompreh.: *MG* 48; De sacerdotio: *MG* 48; De sancto Philog.: *MG* 48; De sancto Babyla c. Iud. et gentes: *ML* 50; Homil. de poenit.: *MG* 49; Homil. ad pop. Antioch. de statuis: *MG* 49; In Act. Ap. homil.: *MG* 60; In Genes. hom.: *MG* 53; In Ioann. homil.: *MG* 59; In Matth. hom.: *MG* 58; In Psalm. expos.: *MG* 51; In singul. ep. Paulin. hom. et comm.: *MG* 60-63; Quod Christus sit Deus: *ML* 48; Quod nemo laeditur nisi a seipso: *MG* 52; Sermones: *MG* 50; *Hom. 21-80 ad pop. Antioch.: edit. Venet. 1549, tom. V. Cf. *De Script. Eccles.*; *Missa S. Ioann. Chrysost. (versio Erasmi): in ed. Venet. 1549, tom. V.

Cicero, De inventione; De officiis; De republica; Pro Ligurio; Pro Roscio; Tusculanae Disputationes.

Cistercienses, De viris illustr. Ord. Cisterc.; Gesta Cisterciensium, cf. Brito et Villalpando.

Clemens Alexandr., Paedagogus: *MG* 8; Stromata: *MG* 8-9; Quis dives salvetur: *MG* 9.

Clemens Pp. VIII, Missale Roman. revis., 1604, cf. Pius Pp. V.

Clemens Romanus, *Recognit.: *MG* 1; *Constitut. Apostolicae: *MG* 1.

Climacus, Ioannes, Scala Paradisi: *MG* 88.

Cochlaeus, Ioannes, Commentar. de Actis et Script. Lutheri, Mogunt. 1549.

Concilia: Agathense: *Mansi* 8; Arausican. II: *Mansi* 8; Carthagin. anni 390: *Mansi* 3; Carthag. anni 401: *Mansi* 3; Florentinum (decr. pro Iacob.): *Mansi* 31; Hipponen.: *Mansi* 3; Laodicen.: *Mansi* 2; Lateran. V: *Mansi* 32; Matisconen. I: *Mansi* 9; Tridentinum: *Mansi* 33.

Constantinus presbyt., Vita S. Germani episc. Antisiodor.: *Surius* IV 426-447.

Constitutiones Apostolicae, cf. Clemens Romanus.

Corpus Iuris Canonici: Decretalia Gregorii; Liber Sextus Decretalium.

Cyprianus, De habitu virgin.: *ML* 4; De lapsis: *ML* 4; De orat. dominica: *ML* 4; De unit. Eccles.: *ML* 4; De zelo et livore: *ML* 4; Epistol.: *ML* 4 et 3; *De operibus cardinal. Christi (de ascens., baptismo, nativit.) cf. Arnold. Bonevall. Vide *De Script. Eccl.*

Cyrillus Alexandrinus, Contra Iulian. imper.: *MG* 76; In Ioann. comm.: *MG* 73; In Isaiam comm.: *MG* 70; In Malach. comm.: *MG* 71.

Cyrillus Hierosol., Catecheses: *MG* 33.

Damascenus, Ioannes, De dormit. B. M. Virg.: *MG* 96; De fide orthodoxa: *MG* 94.

Damasus Papa, *Epistola ad episcopos de chorepiscopis: *ML* 130, 668-675.

Dionysius Areop., *De coelesti hierarch.: *MG* 3; *De divinis nominib.: *MG* 3; *De ecclesiast. hierarch.: *MG* 3; Epist. ad Apoll.: *MG* 3. Cf. *de Script. Eccl.*

Dionysius Carth., De quattuor novissimis: edit. Tornac. 1912 tom. 41 (tom. 9 de oper. minor.). Cf. Polanco.

Dorotheus Archimandr., Sermones seu Doctrinae: *MG* 88.

Dubravius, Ioann. Ep. Olmucens., Histor. Bohemica cum notis Thom. Iordani, Hanoviae 1602 (libri 4-5 de S. Wenceslao).

Eadmer, De excellentia Virg.: *ML* 159, 557-579; De similitudin. Anselmi liber: *ML* 159; Vita Anselmi: *ML* 158. Cf. Anselmus.

Eduardus, Vita S. Thom. Archiep. Cantuar. et mart.: Compend. apud *Surium* VI, 1152-1166.

Ephraem diacon., Hymni de B. Maria Virg.: apud Lamy, *S. Ephr. hymni et sermones* in vol. II. Cf. *de Script. Eccl.*

Epictetes, Enchiridion.

Epiphanius Salamin., Ancoratus: *MG* 43; Expositio fidei: *MG* 42; Haereses: *MG* 41-42; Homil. de B. M. Virgine: *MG* 43.

Ernaldus, abbas Bonevall., Vita S. Bernardi altera: *ML* 185, 267-302. Cf. *de Script. Eccles.*, i. v. Bernardus, ubi errore: Bernardus Bonevall.

Eusebius Caesar., Demonstrat. Evangel.: *MG* 22; Histor. Ecclesiast.: *MG* 20; Quaest. ad Stephanum: *MG* 22; Vita Constantini: *MG* 20.

Eythimius Zigabenus, Expos. in Marc.: *MG* 129; Exp. in Luc.: *MG* 129; Exp. in Ioan.: *MG* 129.

Evagrius, Vita S. Antonii abb. (lat. ex Athan.): *ML* 73, 126-170.

Evodius, De miraculis S. Steph.: *ML* 41.

Ferretti, L., O.P., Lettere di S. Caterina da Siena, 2 vol., Siena, 1918-1922.

Flavius Iosephus, Antiquitates Iudaicae; De bello Iudaico.

Fortunatus, Venantius, Vitae SS. Hilarii ep. Pictav., Marcelli ep. Paris., Maurilii ep. Andegav.: *Surius* I 271-278; VI 14-18; V 226-233.

Franciscani, Actus B. Francisci et Soc. eius, Paris. 1902; Floretum S. Francisci Assisiens. (53 cap. ex Actibus); Fioretti di S. Francesco.

Franciscus Assis., Regula bullata: Honorius III in bulla: *Solet annuere* 29 nov. 1223.

Galenus, De usu partium.

Gaufridus de Bello Loco, Vita S. Ludov. Regis Galliae: *Surius* IV 926-935.

Gaufridus abb. Clarev., Declamationes de colloquio Simonis cum Iesu: excerptae ex sermonibus S. Bernardi: *ML* 184, 435-475; Vita S. Bernardi III-V: *ML* 185, 301-368.

Geffcken, J., cf. Sibyllae.

Gerson I., De Imitat. Christi (a Bellarmino in edit. 1ª *de Script. Eccl.* attributum Gersoni, postea Thomae a Kempis).

Glossae in S. Script.: Cf. Anselm. Laud., Lyranus, Paulus Burg., Strabo Walfr.

Godigno, Nicol., S. I., Vita Patris Gonzali Sylverii S. I., Lugduni 1612.

Granada, cf. Ludov. de Granada.

Gregorius XIV, Constitutio *Cum alias* 24 mai 1591 de immunitate ecclesiarum.

Gregorius Magnus, Dialogi: *ML* 77; Epistolae: *ML* 77; *Expos. in Psalm. poenit.: *ML* 79; Homil. in Evang.: *ML* 76; Homil. in Ezech.: *ML* 76; *Homil. in lib. Reg.: *ML* 79; Liber regul. pastor.: *ML* 77; Moralia: *ML* 75-76; Vita S. Benedicti (Dialog. lib. secundus): *ML* 66.

Gregorius presbyt., Vita S. Gregorii Nazianz., latine conversa a Iacobo Billio; ed. latina in oper. S. Gregor. Naz. cura Billii, Paris, 1609; *Surius* III 181-197.

Gregorius Nazianz., Poemata de se ipso: *MG* 37; Poemata moralia: *MG* 37; Sermones: *MG* 35-36; Sermo in laud. Basilii Magni: *MG* 36, 494-606.

Gregorius Nyssen., Oratio Catechet.: *MG* 45; Oratio fun. de fratre Basilio Magno: *MG* 46, 787-818; Vita S. Gregorii Thaumat.: *MG* 46, 893-958; Vita S. Macrinae: *MG* 46, 960-999; *Lib. de anim., ed. Basil. 1562 (= Nemesius, De natura hominis: *MG* 40); Orat. de Nativ. Domini: *MG* 46.

Gregorius Turonens., De gloria confessor. *ML* 71, 828-913; De miraculis Sti Martini: *ML* 71, 913-1009.

Guillelmus, abb. S. Theodorici, Vita Sancti Bernardi prima: *ML* 185, 226-268.

Hartwich ep. Ratisbon., Vita S. Stephani Regis Hungar.: *MGH SS* XI, 222-242; *Surius*, IV, 873-883.

Haymo Halberstad., Commentar. in ep. ad Rom.: *ML* 117.

Hegesippus, De Excidio Ierusalem: *ML* 15.

Hervaeus Burdigal., Comm. in epist. S. Pauli (adscripta S. Anselmo): *ML* 181. Cf. *De Script. Eccl.* i. v. Anselmi Cant.

Hieronymus: Comm. in ep. ad Ephes.: *ML* 26; Comm. in ep. ad Gal.: *ML* 26; Comm. in Ezech.: *ML* 25; Comm. in Isaiam: *ML* 24; Comm. in Ierem.: *ML* 24; Comm. in Mal.: *ML* 25; Comm. in Matth.: *ML* 26; Comm. in Sophon.: *ML* 25; Contra Ioann. Hierosol. = epist. 61: *ML* 23; Contra Luciferian.: *ML* 23; Contra Pelagian.: *ML* 23; Contra Vigilant.: *ML* 23; De viris illustr.: *ML* 23; Epistolae: *ML* 22; Vita S. Hilar.: *ML* 23; Vita S. Pauli Erem.: *ML* 23.

Hilarius Pictav., In Matth. Comm.: *ML* 9; De Trinit.: *ML* 10.

Hippolytus, De Antichristo: *MG* 10.

Homerus, Ilias; Odyssea.

Hucbaldus Elnonensis, Vita Sanctae Aldegondis abbat. Malbod.: *ML* 132; *Surius* VI, 332-341.

Hugo a S. Victore, Opera: *ML* 175-177.

Iacobus de Vitriaco, Vide Vitriaco.

Iacobus diac. Heliopol., Vita S. Pelagiae poenitentis: *Surius* V 706-710.

Iacobus Montanus, Spirensis, Vita S. Elisabeth, Regis Hungar. filiae: *Surius* VI, 483-506.

Iacopone di Todi, Laude.

Iansenius, Ep. Gandav., Annot. in Sapient., Antv. 1577; Concordia Evangelica cum Commentario eiusdem et totius hist. evangel., Lovan. 1571; Comment. in Ecclesiastic., Antv. 1569; Comment. in Prov. Salom., Lovan. 1567; Paraphr. et annot. in Psalmos, Antv. 1568.

Ignatius Antiochenus, Epist. ad Ephes.: *MG* 5; Epist. ad Roman.: *MG* 5; *Epist. ad Heron.: *MG* 5.

Ignatius Loyol., Constit. Soc. Iesu; Ep. de virt. obedient. 26 mart. 1553; Exerc. Spirit.; Formula Instituti in bullis Pauli III 1540 et Iulii III. 1550; Regulae Comm.; Summar. Constitut.

Innocentius Pp. VIII, Bulla Canon. S. Leopoldi, 6 ian. 1485.

Ioannes Diac. Roman., Vita S. Gregorii Magni: *ML* 75, 59-242; *Surius* II 137-241.

Irenaeus, Advers. Haereses: *MG* 7.

Isocrates, Oratio ad Demoniacum.

Iulius Pp. III, Litter. Apostol. *Exposcit debitum* 21 iulii 1550.

Iulius Sextus Afric., Epist. ad Aristidem: *MG* 10, 51-64.

Iustinianus Bernardus, Vita S. Laurentii Iustin.: exstat: Laurent. Iustin., *Opera Omnia*, Venet. 1606, in initio; *Surius* I 176-194.

Iustinianus Laurentius, Opera Omnia, Venetiis 1606. Cf. *De Script. Ecclesiast.*

Iustinianus, Vincentius, O. P., Relatione della Vita del P. Luigi Beltrando dell'ordine de Predicatori, Genova, 1583.

Iustinus, phil. et mart.: Dialogus cum Tryph.: *MG* 6; *Quaest. et Respons. ad Orthodoxos: *MG* 6.

Kempis, Thomas a, cf. Thomas a Kempis.

Kimchi, Rabbi David, Commentar. in Psalmos Davidis, Bologna 1477; Neapoli 1487.

Lactantius, Divinae Institutiones: *ML* 6.

Leander, Albertus, Bonon., Vita B. Iordani Saxonis O. P.: *Surius* VII, 104-120.

Leo Magnus, Sermones: *ML* 54.

Leontius Byzant., Vita S. Ioannis Eleemosynarii: *ML* 73, 338-384; MG 93, 1613-1660.

Lipomanus, Aloysius, Sanctorum priscorum Patrum vitae, 8 vol., Venetiis 1551-1560; 2 vol. Lovanii 1564.

Livius, Historiae.

Lucianus, Adversus indoct.

Lucianus presbyt., De invent. Corporum S. Stephani et aliorum: Baronius, *Annales* a. 415; *Surius* IV 504-506.

Ludovicus de Granada, De rhetorica ecclesiastica sive de ratione concionandi libri sex, Olisipone 1576; Guida de pecatori; Partes que a da tener un Predicador, Madrid 1585.

Lyranus, Nicolaus, Postilla perpetua in Vet. et Nov. Test., Norimb. 1481.

Macrobius, Saturnalia.

Maynard, Geminianus, O. P., Vita S. Antonini, archiep. Florent., apud *Surium* III 38-59.

Marcus Ulyssiponensis, Chronicorum S. Francisci, pars I-III, Ulyssipone 1556, 1562, 1570 (hispanice 1570; italice 1581; gallice 1608).

Maleto, Franc., Hist. del B. Amadeo di Savoia, 1613; latine *Act. SS.* Mart. III 878.

[Marabotti, C.-Vernazza, E.], Vita mirabile e dottrina celeste di Santa Caterina Adorna da Genova... insieme col Trattato del Purgatorio, e col Dialogo della Santa. Ed. 1ª Genova 1551; ed. recentior Padova 1743.

Marianus Victorius, cf. Victorius.

Martinis, Octavianus de, Oratio de vita S. Bonaventurae habita coram Sixto Pp. IV in Consistorio: *Surius* IV 208-213.

Maximus Taurinens., Sermones: *ML* 57.

Missale Romanum, cf. Pius Pp. V et Clemens Pp. VIII.

Moschus, Ioannes, Pratum Spirit., graece *MG* 87; latine *ML* 74.

Nemesius, De natura hominis: *MG* 40. Cf. Greg. Nyss.

Nilus, De christiana philos. = De monach. exercitiis: *MG* 79. Cf. *De Script. Eccles.*

Oecumenius, Comment. in Ep. S. Pauli ad Rom.: *MG* 184.

Optatus Milevit., Contra Parmenianum Donatistam libri 7: *ML* 11.

Origenes, In Cantic. homil.: *MG* 13; In Ioann. Comment.: *MG* 14; In Iudic. homil.: *MG* 12; In Levit. homil.: *MG* 12; In Matth. comment.: *MG* 13; In Numeros homil.: *MG* 12; In Roman. comment.: *MG* 14.

Orlandinus, Nic. S. I., Hist. Soc. Iesu I: Ignatius, Coloniae 1615.

Orosius, Paulus, Historiae: *ML* 31.

Ovidius, Epistolae; Metamorphoses.

Palladius, Historia Lausiaca: *MG* 34.

Paulinus Nolan., Epistolae: *ML* 61.

Paulinus presbyt., Vita Sancti Ambrosii: *ML* 14, 29-50; *Surius* II, 526-540.

Paulus Pp. III, Bulla *Licet debitum* 18 oct. 1549; Bulla *Regimini militantis Ecclesiae* 27 sept. 1540.

Paulus Burgensis, Additiones 1100 ad Postillam Lyrani: saepius editae una cum Lyrano, v. g. in ed. Norimb. 1481, 1485, 1487 etc.

Petrus Damianus, Epistolae: *ML* 144; Opuscula: *ML* 145; Sermones: *ML* 144.

Philo, De vita contemplat.; Quod omnis probus liber sit.

Pius Pp. V: Missale Romanum ex decreto Conc. Trident., cum Bulla *Quo primum* 1 iulii 1570 (Revisum anno 1604: cf Clemens VIII).

Plinius Maior, Naturalis Historia.

Plato, Leges.

Plautus, Amphitryo.

Plutarchus, Vita Camilli; De oraculis deficientibus.

Polanco, Ioann., S. I., Dionysii Carthusiani de quattuor hominis novissimis liber, quorum I de morte, II de iudicio, III de inferni poenis, IV de gaudiis beatorum. Accedit R. P. Ioannis Polanci e S. I. ad adiuvandos morituros methodus, Lugduni 1591.

Pomerius, Iulianus, De vita contemplat. (adscript. Prospero Aquitano): *ML* 59.

Possidius, Vita Sancti Augustini: *ML* 32.

Pratum Spirituale, cf. Moschus.

Primasius, Comment. in ep. ad Rom.: *ML* 68; Comment. in ep. ad Coloss.: *ML* 68.

Prosper Tiro Aquitan., Liber de promission. et praediction. Dei: *ML* 51; *De vita contemplat.: cf. Pomerius.

Prudentius Clemens, Peristephanon: *ML* 60.

Pselles, Michael, Comment. in Cant. Cantic., collect. ex commentar. Gregorii Nyss., Nili et Maximi: *MG* 122 (attrib. Theodoreto).

Rauzanus, Petrus, O. P., Vita S. Vincentii Ferrerii: *Surius* II 546-578.

Raymundus da Capua, Della vita della Serafica Vergine S. Caterina da Siena: *Opera Omnia*, ed. G. Gigli, Roma 1866, I 15-264.

Remigius ep. Rhemens., citatus in Glossis ad S. Scripturam. Cf. Glossae.

Ribadeneyra, Gaspar de, S. I., Vida del Padre Francesco Borja, que fue Duque de Gandia, y despues Religioso y tercero Ge-

neral de la C. de J., Madrid, 1592. — Vita Ignatii Loiolae, qui religionem clericorum Soc. Iesu instituit, Antwerpiae, 1587.

Richardus a S. Victore, In Canticum Cantic. Explicatio: *ML* 196.

Rosweydus, Heribertus S. I., Vitae Patrum sive Historiae Eremiticae libri decem, Antwerpiae, 1615; *ML* 73 et 74.

Rufinus, Historia Eccles.: *ML* 21; Historia Monachorum: *ML* 21.

Rupertus Tuitiens., Comment. in Apocal.: *ML* 169; Comm. in quat. Evang.: *ML* 167.

Sallustius Crispus, Catalina.

Sasbout, Adamus, Explicatio in omnes epist. S. Pauli et quorundam aliorum apost., Antverp. 1561; Comm. in Isaiam, Lovan. 1558; Opera omnia, Colon. 1568 et aucta 1575.

Scottus, Andr. S. I., De vita Franc. Borgiae, Soc. Iesu praep. gen. ab Ignatio tertii, Romae 1596.

Seneca, De Clementia; Epistolae.

Sibylla Erythraea, Divina revelatio cum commentar. Lud. de Toraz, Senis 1508.

Sibyllae: Oracula Sybill. latine cum eorundem fragmentis ex Lactantio: In *Bibl. Patrum* coll. per Margar. de la Bigne; Ed. recent. J. Geffcken, Berlin Leipzig 1902.

Socrates, Historia Ecclesiastica: *MG* 67.

Sophronius, Vita S. Mariae Aegyptiacae: *ML* 73, 671-690.

Sozomenus Scholasticus, Historia Ecclesiastica: *MG* 67.

Stella, Didacus, Modus concionandi et Explanatio in Psalm. 136, ed. Carol. Ferrarius, Venet. 1584.

Strabo, Geographica.

Strabo, Walfridus, Glossa ordinaria: *ML* 113.

Sulpicius Severus, Chronic.: *ML* 20; Dialogus (de virtut. Orient. Monach.): *ML* 20; Vita S. Martini: *ML* 20, 159-175.

Surius, Laurent., Carthus., Concilia omnia tum generalia tum provincialia, 4 vol., Coloniae Agripp. 1567. — De probatis Sanctorum historiis, partim ex tomis Aloysii Lipomani, partim etiam ex egregiis manuscriptis codicibus collectis et nunc recens recognitis, 7 vol. Colon. Agripp. 1576-1581.

Swecinski, Gregor., can. eccl. cath. Vilnens., Vita S. Casimiri regis Poloni filii, apud Bellarm., *De off. princ. Christ.* III.

Symeon Metaphr., Vitae Sanctorum per singulos menses distributae: *MG* 114-116, ubi 138 vitae. Maior vitarum numerus apud *Surium* et speciatim apud *Lipomanum*, quarum aliae ab iis adscribuntur vero, aliae pseudo Metaphr. Cf. *De Script. Eccl.*

Tacitus, Annales.

Terentianus, Vita SS. Ioannis et Pauli: *Surius* III 932-936.

Tertullianus, Advers. Hermogen.: *ML* 2; Advers. Iudaeos: *ML* 2; Advers. Marcionem: *ML* 2; Apologet.: *ML* 1; De anima: *ML* 2; De baptismo: *ML* 1; De corona milit.: *ML* 2; De resurrect. carnis: *ML* 2; De spectaculis: *ML* 1; De praescript. haer.: *ML* 2.

Theodoretus, Graecor. affect. curatio: *MG* 83; Histor. eccles.: *MG* 82; Histor. religiosa: *MG* 82; In epist. Pauli: *MG* 82; In Malach.: *MG* 81: In Psalmos: *MG* 80; *Catena in Cantic. Cant.: Opera omnia, Paris. 1608 p. I, cf. Pselles.

Theodoricus abb. S. Trudon., Vita S. Trudonis presbyt.: *Surius* VI 588-612.

Theodorus Balsamon, In Canones Conciliorum et Canones Concil.: *MG* 137.

Theophylactus, In ep. ad Cor.: *MG* 124; In ep. ad Ephes.: *MG* 124: In ep. ad Rom.: *MG* 124; In evang. Ioannis: *MG* 123; In evang. Luc.: *MG* 123; In evang. Matth.: *MG* 123.

Theresia, S., Libro de la vida (autobiogr.).

Thomas Aquinas, Catena in Luc.; Comm. in ep. ad Cor.; Comm. in ep. ad Rom.; Comm. in evang. Matth.; Quodlibeta; Summa Theologica.

Thomas Cantiprat., De proprietatibus apum. Edit. 1ª Argentorati 1472; ultima 's Gravenhage 1902; Vita S. Christinae: *Surius* III 888-899; Vita S. Ludgardis: *Surius* III 768-786. Cf. *De Script. Eccles.*

Thomas a Celano, Legenda prima B. Francisci, ed. Eduard. Alenconens. O. M. Cap., Romae 1906; Vita S. Clarae: *Act. SS.* Aug. II 754; *Surius* IV 634-650.

Thomas a Kempis, De imitat. Chr. (cf. *De Script. Eccl.* in prima et in posteriorib. editionib.: in prima attribuitur Gersoni, postea Thomae).

Tursellinus, Horatius, De Vita Franc. Xaver., qui primus e Soc. Iesu in Indiam et Iaponiam Evangelium invexit, Romae 1596.

Urianus presbyter, Vita S. Paulini Nolensis: *Surius* III 846-848.

Valerius, Augustinus, Card. Veron., De rhetorica ecclesiastica libri tres, Venet. 1574.

Venantius Fortunatus, cf. Fortunatus.

Vergilius, Aeneis; Bucolica; Ciris, Georgica.

Victorius, Marianus, S. Hieronymi opera omnia, 5 vol., Romae 1576; Vita S. Hieronymi in tom. I Operum Omnium: *Surius* V, 495-517.

Villalpando, Bernardus de, Lignum Vitae Ordinis Cisterciensis seu De viris illustribus Ord. Cist. liber unus.

Vincentius Ferrer O. P., Sermones: dominicale, festivale, quadragesimale, Coloniae Agripp. 1484; Tractatus de Vita spirit., Venet. 1568. Cf. Bellarm., *De Script. Eccl.*

Vitae Patrum, vide Rosweydus.

Vitriaco, Iacob. de, Card., Vita sanct. memor. Mariae Oegniacensis: *Surius* III 853-887; *Act. SS.* iun. IV 636-666. Sermones de tempore, cf. *De Script. Eccl.*

Zorilla, Alphonsus, De sacris concionibus recte formandis, Romae, 1543.

II. - Vitae Sanctorum

Remittimus lectorem ad opus, quod adhibuit ipse Bellarminus; scil. Surius, *De probat. SS. historiis*, 7 vol., ed. 2ª Col. 1576-1581. Quod si plura desiderat, adeat *Acta Sanctorum* Bolland.

Aegidius Minorita: *Surius* II, 938-959 et VII, 323-345 (anonym.); *Fioretti di S. Francesco*: vita, dottrina, detti di fr. Egidio.

Aldegundis abbat. Malbod.: *Surius* VI, 332-341 (Hucbaldus Elnonensis).

Alexius: *Surius* IV, 221-223 (Sim. Metaphr.)

Amadeus, dux Sabaud.: Bellarmin., *De off. princ. christ.* III; vide Maleto.

Ambrosius ep. Mediol.: *Surius* II, 526-540 et *ML* 14, 29-50 (Paulin. presb.).

Andreas Apost.: martyrium: *Surius* VI, 696-700 et *MG* 2, 1187-1248 (presb. et diacon. Achaiae).

Anselmus ep. Cant.: *Surius* III, 780-818 et *ML* 158, 50-118 (Eadmer seu Edinerus).

Antoninus ep. Florent.: *Surius* III, 38-59 (Mainard. Geminian. O. P.).

Antonius abb. et erem.: *Surius* I, 398-423 et *MG* 73, 126-170 (Evagr.); *MG* 26, 835-976 (Athanas.).

Antonius Patav.: *Surius* III, 723-736 (anonym. Francisc.).

Apollinaris ep. Ravenn.: *Surius* IV, 323-328 (anonym.).

Athanasius ep. Alex.: *Surius* III, 22-37 et *MG* 25, ccxxiii-xlvi (Sim. Metaphr.).

Augustinus ep. Hippon.: *Surius* IV, 953-967 et *ML* 32, 33-66 (Possidon.); *ML* 32, 659-868 (confessiones).

Babyla mart.: *Surius* I, 592-612; *MG* 114, 966-982 (Sim. Metaphr.); *MG* 50, 533-572 (Chrysost.).

Basilius ep. Caesar. Capp.: *Surius* I, 1-14-19 (Sim. Metaphr. et Amphiloch.); *MG* 36, 493-606 (Gregor. Naz.); *MG* 46, 787-818 (Gregor. Nyss.).

Benedictus abb. magnus: *Surius* II, 359-375 et *ML* 66, 125-215 (Gregor. M.).

Bernardus abb. Clarevall.: *Surius* IV, 791-872 et *ML* 185, 226-368 (Guillelm. abb. S. Theodor.: Ernald. Bonevall.; Gaufrid. Clarevall.).

Borgias: vide Francisc. Borgias.

Brigitta vidua: *Surius* IV, 352-360 (anonym.); *Revelationes*, cf. Brigitta.

Caecilia virgo et mart.: *Surius* VI, 547-557 et *MG* 116, 163-180 (Sim. Metaphr.).

Casimirus fil. reg. Polon.: Bellarmin., *De off. princ. Christ.* III (Swecinski).

Catherina virgo et mart.: *Surius* VI, 624-632 (Sim. Metaphr.).

Catherina Fiesca Adorna Genuensis: cf. Marabatto-Vernazza.

Catherina Senensis: *Surius* II, 1028-1061 (Raym. Capuan. abbreviat.) cf. Raymundus Capuan.

Catherina Sued. filia Stae Brigittae: *Surius* II, 377-387 (anonym.).

Christina virgo mirab.: *Surius* III, 888-899 (Thomas Cantiprat. O. P.).

Chrysostomus: vide Ioannes Chrysostomus.

Chunegundis: vide Kunegundis.

Clara virg. et sanctim.: *Surius* IV, 634-650 (iussu Alex. pp. IV) et *Acta SS.* Aug. II, 574 (anonym. = Thomas a Celano).

David, rex et proph.: Bellarm., *De off. princ. christ.* III.

Dominicus, patr. Praed.: *Surius* IV, 522-577 (Theodoric. de Appoldia), cf. CASTILLO.

Eduardus rex et conf.: Bellarm., *De off. princ. Christ.* III (Alred. Rhievall.).

Eduardus rex et martyr: *Surius* II, 309-311 (anonym.).

Elisabetha Hungar. reg. fil.: *Surius* VI, 483-506 (Iac. Montanus Spirensis).

Elzearius Comes Arian.: *Surius* V, 412-428 (anonym.).

Engelbertus ep. Colon.: *Surius* VI, 148-176 (Caesarius ab Heisterbach).

Ezechias, rex Hebr.: Bellarm., *De off. princ. Christ.* III.

Franciscus Assis.: *Surius* V, 576-635 (Bonav., *Legenda maior*). Vide BONAVENTURA; THOM. A CELANO.

Franciscus Borgias: cf. RIBADENEYRA, SCHOTTUS.

Franciscus Paulensis: *Surius* II, 492-500 (Leo X, *bulla* 2 apr. 1519).

Germanus ep. Antisiod.: *Surius* IV, 426-477 (Constant. presb.).

Gertrudis virg.: *Surius* II, 302-306 (anonym.).

Gregorius Pp. Magn.: *Surius* II, 137-241 et *ML* 75, 59-242 (Ioann. diacon.).

Gregorius Nazianz.: *Surius* III, 181-197 (Gregor. presb.; lat. Billius).

Gregorius Thaumat.: *Surius* IV, 55-74 et *MG* 46, 893-958 (Gregor. Nyss.).

Gonzales Sylverius: cf. GODIGNO S. I.

Henricus Imperat.: Bellarm., *de offic. princ. Christ.* III (Henr. Canisius).

Hilarion Abb.: *Surius* V, 984-994 et *ML* 23, 29-55 (Hieronym.).

Hilarius ep. Pictav.: *Surius* I, 271-278 et *ML* 88, 439-453 (Ven. Fortunat.).

Hieronymus Strid.: *Surius* V, 495-517 (Marian. Victorius); *ML* 22, 5-175-325 (2 vitae).

Ioannes abb.: *Surius* V, 365-367 (anonym.).

Ioannes Chrysost.: *Surius* I 651-701 et *MG* 114, 1046-1211 (Sim. Metaphr.).

Ioannes Columbini: cf. Belcari.

Ioannes Eleemosyn.: *Surius* I, 570-590 et *MG* 114, 894-966 (Sim. Metaphr.); *ML* 73, 338-384 et *MG* 93, 1613-1660 (Leontius).

Ioannes et Paulus: *Surius* III, 932-936 (Terentian.).

Iordanus Saxo O. P.: *Surius* VII, 104-120 (Leander Albertus).

Iosaphat rex: Bellarmin., *De offic. princ. Christ.* III.

Iosias rex: *Ibid.*

Iosephus Patr.: *Ibid.*

Ignatius Loyol.: cf. Ribadeneyra et Orlandinus.

Iudas Macchabaeus: Bellarm., *De off. princ. Christ.* III.

Kunegundis, imper. et virgo: *Surius* II, 56-61 (anonym.).

Laurentius Iustinianus, patr. Venet.: *Surius* I, 176-194 (Bernard. Iustinian.).

Leopoldus princ. Austr.: Bellarm., *De off. princ. Christ.* III (Innoc. VIII *Bulla* 6 ian. 1485).

Lutgardis virg.: *Surius* III, 768-786 (Thomas Cantiprat.).

Ludovicus Beltrán (Bertrandus) O. P.: cf. Iustinian. Vinc. O. P.

Ludovicus rex Galliae: *Surius* IV, 926-935 et Bellarm., *De off. princ. Christ.* III (Gaufrid. de Bello Loco).

Macrina iunior: *Surius* IV, 262-278 et *MG* 46, 960-999 (Gregor. Nyss.).

Marcellus ep. Paris.: *Surius* VI, 14-18 et *ML* 88, 541-549 (Venant. Fortunat.).

Maria Aegypt.: *Surius* II, 661-672 et *ML* 73, 671-690 (Sophron., lat.: Paul. diac.).

Maria Magdalena: *Surius* IV, 298-306 (varia).

Maria Oegniacensis: *Surius* III, 853-887 (Iacob. de Vitriaco).

Martinus ep. Turon.: *Surius* VI, 258-284 et *ML* 20, 159-175 (Sulpit. Sever.).

Maurilius ep. Andegav.: *Surius* V, 226-233 et *ML* 88, 562-576 (Venant. Fortunat.).

Moyses, dux populi Israel.: Bellarm., *De off. princ. Christ.* III.

Nicephorus mart.: *Surius* I, 936-938 et *MG* 114, 1366-1376 (Sim. Metaphr.).

Norbertus ep. Magdeburg.: *Surius* III, 622-652 (adscr. Hugoni Praemonstr.).

Otto ep. Bamberg.: *Surius* IV, 47-54 (anonym.).

Paulinus ep. Nolens.: *Surius* III, 846-848 (Uranius presbyt.).

Paulus Erem.: *Surius* I, 216-220 et *ML* 23, 17-29 (Hieronym.).

Pelagia poenit.: *Surius* V, 706-710 (Iacob. diac. Heliopol.); *MG* 116, 907-920 (Sim. Metaphr.).

Philastrius ep. Brix.: *Surius* IV, 226-232 (anonym.).

Severus ep. Ravenn.: *Surius* I, 809-812 (anonym.).

Stephanus diacon.: cf. AUGUSTINUS, LUCIANUS presb. et EVODIUS.

Stephanus rex Hungar.: *Surius* IV, 873-883 et Bellarm., *de off. princ. Christ.* III (Chartuit. ep. Ratisb.).

Sylverius: vide GONZALES.

Theodosius Imperat.: Bellarm., *De off. princ. Christ.* III.

Theresia, virgo: cf. THERESIA.

Thomas Aquinas: *Surius* II, 110-120 (ipse Surius).

Thomas ep. Cant.: *Surius* VI, 1152-1166 (Eduardus Monach.); *ML* 190, 1-33 (varia).

Tiberius Imperat.: Bellarm., *De off. princ. Christ.* III.

Trudo presb.: *Surius* VI, 588-612 (Theodoric. abb. Sti Trudonis).

Vincentius Ferr. O. P.: *Surius* II, 546-578 (Petr. Rauzanus O. P.).

Xaverius: vide TURSELLINUS.

Wenceslaus, rex Bohem.: Bellarm., *De off. princ. Christ.* III (Dubravius).

* * *

Ut introductione generali finita felicem transitum faciamus ad ipsa Bellarmini *Opera Oratoria*: Sermonibus omnibus praemittimus opusculum *De Ratione formandae Concionis*, quod nobis servatum est in apographo Opp. N.N. 42. Licet iam bis editum sit: Romae primum anno 1805 una cum *Admonitione ad Ep. Theanensem;* Parisiis deinde anno 1913 in *Auctario Bellarminiano* pp. 655-657; et insuper exstet apud Brodrick in Bellarmini vita I 508-511: ta-

men illud omittere non possumus, cum quasi normam generalem constituat, a S. Roberto orationibus suis praefixam.

Est autem opusculum probabiliter conscriptum post annum 1613. Ipse enim Bellarminus animadvertit lectorem in fine numeri 3° ad *Catalogum* seu *Indicem Explanatorum Sacrae Scripturae*, quem libro *De Script. Eccl.*, edito anno 1613, proxime adiecerat. Licet *Catalogus* ille iam inveniatur in redactione Lovaniensi libri laudati [1], tamen haud verisimile videtur, Bellarminum lectori rem ineditam consulendam proposuisse.

Quis fuerit, cuius gratia aureum hoc documentum conscriptum sit ignoro; sed quasi sua sponte mihi in mentem venit nomen Patris Iulii Caesaris Recupito S. I., anno 1614 a Bellarmino severissime vituperati ob sermonem Neapoli prolatum in honorem Magnae Theresiae, tunc temporis recenter Beatis adnumeratae [2]. Absque dubio Bellarminus non sese continuit in censura mere negativa. Quod si autem constructiva fuerit reprehensio, certe constabat elementis omnibus documenti mox edendi.

Sed satis dixi. Audiatur potius S. Robertus. Praecedat autem gratiarum actio erga omnes, qui mihi in hac editione praeparanda benevolentia sua profuere. Gratias ago pro manuscriptis commodatis, pro consiliis praestitis, pro observationibus impertitis, pro correctionibus propositis; maximopere pro adiutorio assiduo et indefesso mihi dato in transscribendis codicibus et foliis definitive prelo adparandis. Pie recolo memoriam Patris X. M. Le Bachelet, cuius studio ad diligentia in colligendis S. Roberti epistolis a multis molestis inquisitionibus fui liberatus, variaque scientia instructus.

[1] Cf. *Auctor Belarm.* pp. 655 et 357.
[2] Cf. infra pag. 21 et 75.

PRAEVIUM

De ratione formandae Concionis

(Apogr. Opp. nn. 42)

Videat lector Introductionem Generalem pp. 140-141.

Compendia apparatus critici videat lector pag. 120.

DE RATIONE FORMANDAE CONCIONIS

* Opp. NN. 42 f. 71*r* * Post 1613

1°. Finis christiani concionatoris esse debet docere fideliter, quae populum oporteat vel deceat scire ex doctrina divina, et simul, movere ad virtutes consequendas et vitia fugienda.

2°. Quare necesse est, ut qui est concionaturus, primum omnium sibi praefigat scopum quo dirigat totam suam actionem et singulas eius partes; v. g. dicere debet apud se: Evangelium hodiernum hortatur ad poenitentiam; volo igitur dare operam, Deo iuvante, ut in animis auditorum ingenerem desiderium verae poenitentiae, ac propterea colligam rationes, utilitates, exempla et alia quae ad hunc finem obtinendum iuvabunt. Pari ratione examinare deberet singulas partes suae concionis, et videre an ad finem propositum faciant. Hinc enim multi non modo inutiliter, sed etiam cum periculo animarum suarum concionantur, qui nullum sibi scopum proponunt nisi consumendi unam horam dicendo, et partim argutis sententiis, partim varietate rerum et verborum delectando auditores. Isti enim ut finem verum non habent propositum, ita etiam non assequuntur, licet multum fatigentur et sudent.

3°. Ad docendum, qui est unus ex finibus concionatoris, non satis est de singulis Evangelii vocibus aliquid dicere vel ex singulis conceptus, ut vocant, quosdam elicere, ut quidam faciunt, qui non verbum Dei, sed verba sua praedicant; sed necesse est verum germanum et litteralem sensum eruere, et

1 *Post titulum manu posteriori*: P. Roberti Bellarminii.
5 movere *corr. Auct. Bell.*: monere *cod.*
23 quidam *corr. Auct. Bell.*: quidem *cod.*

2 Post 1613: quia citatur *De Script. Eccl.* Vide regul. 30.

inde dogmata fidei confirmare vel praecepta vivendi tradere, ac breviter id docere quod Spiritus Sanctus per ea verba doceri voluit. Id enim vere est populum pascere et instruere verbo Dei. Qui autem Patres pro Scripturae (f. 71*v*) expositione legendi sint, ex meo Catalogo peti posset. Ex recentioribus Cornelius Iansenius et Adamus Sasbout excellere mihi videntur.

4°. Ad movendum ad studium virtutum, qui est alter finis concionatoris, non satis est irasci in peccatores et vociferari; inanes enim clamores terrent aliquando simpliciores, sed ridentur a sapientioribus, et certe in neutris solidum fructum operantur. Itaque necesse est solidis rationibus, quae ducuntur a testimoniis divinis, a causis et effectibus rerum de quibus agitur, et potissimum ab exemplis et appositis similibus convincere primum mentem auditorum, ut fateri cogantur ita esse vivendum ut concionator dicit; ac tum verborum copia et efficacia et variis exclamationibus impellendi sunt auditores, ut velint serio id quod velle se debere cognoverunt. Ad eiusmodi rationes et exempla invenienda, plurimum iuvare possunt digressiones S. Ioannis Chrysostomi *in Epistolas D. Pauli*, et sermones eiusdem *ad populum Antiochenum*; sermones S. Basilii *de Ieiunio* et sequentes; sermones S. Augustini *in Psalmos*, sermones *de verbis Domini* et *de verbis Apostoli*, et aliae eiusdem homiliae; *dialogi* S. Gregorii, et historiae omnes ecclesiasticae, ac potissimum *de vitis sanctorum* libri, qui scripti sunt ab Athanasio, Sulpicio, Hieronymo, Palladio, Theodoreto, Beda et aliis.

5°. Tria sunt necessaria ei qui utiliter concionari velit: zelus Dei (f. 72*r*) sive spiritus et fervor caritatis, sapientia, et eloquentia, quae tria significabant linguae igneae, quae super Apostolos apparuerunt, cum a Deo crearentur concionatores primi evangelici; ardor ignis zelum, splendor sapientiam, for-

32 movendum *corr. Auct. Bell.*: monendum *cod.*

---

30 Catalogum vide *De Script. Eccl.*, ubi in fine Index I: Explanatores S. Scripturae.

31 Iansenii et Sasboutii libros vide in *Bibliogr. Bellarm.*

ma linguae eloquentiam designabat. Eloquentia sine caritate et sapientia est cymbalum tinniens et inanis garrulitas. Sapientia et eloquentia sine caritate est res plane humana et mortua. Caritas sine sapientia et eloquentia est instar viri fortis, sed inermis.

6°. Ad zelum seu spiritum hauriendum, cui potissimum studere debet christianus concionator, nihil magis prodest, quam oratio ad Deum assidua et rerum coelestium continua et seria cogitatio.

7°. Ad sapientiam concionatori necessariam tria requiruntur. Primo cognitio Scripturarum; et ideo deberet ecclesiastes quotidie aliquid legere ex divina Scriptura, ut eam sibi faceret valde familiarem, et simul consulere Patrum commentaria. Secundo requiritur notitia dogmatum ecclesiasticorum, in quo genere tutissima est doctrina S. Thomae et Catechismi Tridentini; neque recte faciunt qui populo opiniones Doctorum de dogmatibus proponunt: neque enim parum esset, si populus quae certa sunt, plane intelligere et capere posset. Tertio requiritur varia eruditio, ut habeat exemplorum et rationum copiam, quae ex historiis et libris Patrum petitur.

8°. Ad eloquentiam christianam, imo ad omnem veram eloquentiam requiritur ut ars emendet et poliat, sed non destruat aut corrumpat naturam. (f. 72*v*) Atque in hac una re praecipue peccari solet. Debet ars emendare naturam, quia nonnulli interdum vel educatione vel aliunde vitiose loquuntur et agunt; ut cum verbis utuntur impropriis vel minus honestis, vel phrasibus obscuris, et cum caput indecore movent aut manu sinistra gestus faciunt, aut aliter peccant in agendo. Quae vitia facile notari et caveri possunt et debent. Debet rursus, ut dixi, ars non destruere naturam; et si peccata aliqua toleranda sint, minus malum est non emendari quam destrui naturam. Destruunt naturam qui, dum concionantur, vel tono vocis utuntur insolito, ut non loqui, sed recitare vel canere videantur; vel verbis utuntur poeticis aut nimis affectatis; vel

57 designabat *cod.*: designabant *Auct. Bell.*

certe phrasibus ita concinnis ut omnes intelligant eum multum laborasse in componenda oratione. Ista enim detrahunt concionatori omnem pene auctoritatem.

9°. Si quis velit hoc vitium fugere, cogitare debet se licet ex loco altiore et ad multos, tamen cum singulis hominibus collocuturum, et cum eis ita acturum ac si seorsum cum singulis ageret. Qui enim cum uno aliquo loquitur, ut ei aliquid persuadeat, certe non utitur initio multis epithetis nec poetica phrasi nec voce inusitata nec motu membrorum, sed plane more humano, primum quieto corpore, voce moderata et sententiis simplicibus; deinde si opus sit contendere vel reprehendere, extollit vocem, multiplicat verba, agitat corpus, exclamat, etc., ut mutatione vocis et commotione membrorum pariat affectus, non (f. 73*r*) affectatione aut artificio. Hoc solum interesse deberet inter orationem concionatoris ad populum et collocutionem familiarem unius ad alterum, quod concionatori, ut commode exaudiatur, est et altius loquendum, et etiam gravius, et magis considerate, ob honorem multitudinis; multitudo enim honorabilis est.

10°. Tria sunt genera concionum apud SS. Patres in usu: quidam enim Scripturas ordine pro concione exponunt et diligenter sententias singulas explanant. Tales sunt tractatus S. Augustini *in Ioannem,* Basilii *in Hexaemeron,* Chrysostomi *in Genesim*; atque hi nullum alium finem propositum habent quam docendi: affectus enim obiter solum et breviter admiscent. Alii toti sunt in locis communibus tractandis, ut sermones Chrysostomi *ad populum Antiochenum,* sermones Basilii diversorum argumentorum, et plerique sermones Augustini, Leonis et aliorum Patrum; et hi potissimum affectibus movendis inserviunt. Alii denique partim Scripturas exponunt, partim digrediuntur ad virtutes commendandas et vitia detestanda; quod insigniter praestat Chrysostomus in homiliis *ad*

113 Ioannem *cod.*: Iob. *Auct. Bell.*

113-125 Opera Patrum cf. *Bibliogr. Bellarmin.*

Epistolas Pauli, et quamvis brevius, *in Matthaeum*, *Ioannem* et *Acta Apostolorum*. Idem etiam facit Augustinus *in Psalmos* post trigesimum. Haec tria genera utilia sunt et merito frequentanda. Quartum invexerunt nonnulli, qui scholasticas quaestiones in concione pertractant; et quintum alii, qui exquisitis verbis et rhetoricis flosculis vel historias evangelicas narrant, vel crimina pharisaeorum amplificant, vel de rebus subtilibus disputant, (f. 73*v*) vel de aliis eiusmodi rebus inepto artificio, magno labore et sine ulla utilitate dicunt.

Exstant libri insignes de rethorica ecclesiastica sive de formandis concionibus, Augustini cardinalis Veronensis, Didaci Stellae, Aloysii Granatensis, Alphonsi Zorillae et aliorum, ex quibus peti possunt praecepta in particulari de singulis partibus concionis.

123 Ioannem *cod.*: Iob *Auct. Bell.*

133-34 Card. Veron. i. e. August. Valerius. Libros vide supra in *Bibliogr. Bellarm.*

PARS PRIMA

SERMONES DOMINICALES

ROMAE HABITI PRO MAIORE PARTE

IN ECCLESIA TITULARI S. MARIAE IN VIA

PRAECIPUE

tempore Adventus et Quadragesimae

annis 1599 - 1600 - 1601 - 1606

(AUTOGR.: COD. APUG 384 ET 385*a*)

INTRODUCTIO

AD

SERMONES DOMINICALES

omnes annor. 1599 - 1600 - 1601 - 1606

Sermones Romani qui sequuntur, constituunt quattuor cyclos contionum, quibus accedunt quidam sermones sparsi anni 1601. Omnes autem id sibi commune vindicant, quod habiti sunt Romae post initum cardinalatum. De singulis pauca disseram:

I. — Adventus anni 1599.

Sermones quattuor de adventu Domini, habiti anno 1599, in codice APUG 384 inveniuntur non sine difficultate. Sunt enim folia turbata. Sermo primus habetur fol. 21*r*-24*v* + 59*r*-*v*; sermo alter fol. 48*r*-51*v* + 60*r*-*v*; sermo tertius fol. 69*r*-73*r*; sermo ultimus fol. 74*r*-78*v*. Sermones inter sese cohaerere et eodem tempore esse confectos apparet ex duplici capite. Quod enim statim elemento externo suggeritur: charta scilicet, calamo et atramento: id ratione interna subito confirmatur. Nam non solum in tribus contionibus posterioribus agitur de persona, officio, praedicatione Baptistae; sed in ipso exordio sermonis secundi haec triplex consideratio a praedicatore facienda proponitur. Accedit quod folium ultimum sermonis primi et folium ultimum sermonis secundi constituunt unicum folium maius, plicatione duplicatum. Sermo-

nes attribuendos esse anno 1599 nulli dubio est obnoxium. In quarta enim contione fol. 76*r* agitur de anno sancto instante. Sunt igitur sermones facti diebus 28 nov., 5 dec., 12 dec., 19 dec. anni 1599. Quo facto confirmatur relatio Alexandri Jacobelli, Bellarminum initio cardinalatus dominicis Adventus praedicasse in ecclesia titulari S. Mariae in Via, cum multa aedificatione et concursu populi. — Notandum est sermonem alterum, additis multis novis et quibusdam mutatis postea habitum esse Capuae die 7 dec. 1603. Vide in parte quinta inter sermones Capuae habitos de Evangelio.

II. — Quadragesima anni 1600.

Sermones quadragesimales anni 1600 inter sese coniungi deducitur non solum ex charta, calamo, atramento, sed etiam ex materia auditoribus proposita. Dicit enim Bellarminus in initio primi sermonis se velle agere de septem rebus: de ieiunio, oratione, eleemosyna, verbo Dei, visitatione ecclesiarum, Passione et Resurrectione. Quod et fecit, si excipis ecclesiarum visitationem, quae cedere debuit Regno Christi. Accedit quod in exordio sermonis secundi alluditur ad primum et quartum; in exordio tertii ad primum et alterum.

Quo anno contiones habitae sint, docet sermo VI ubi fol. 475*r* haec legimus: « Apud Christianos nulli minus deberent blasphemare quam Itali et praecipue Romani... et tamen nulli magis blasphemant quam Itali. Inundatio anni superioris, facta in ipsa nocte solemnissima Natalis Domini, videtur interdictum divinum fuisse. Nam maxima pars urbis non audivit sacrum, iusto Dei iudicio ». Evidenter agitur de horribili inundatione Natalis anni 1598, Clemente VIII cum Bellarmino theologo suo ex itinere Ferrariensi vix reducibus. De qua inundatione non solum loquitur Muratori in suis *Annalibus Italiae* [1]

[1] Muratori, *Annali d'Italia*, Napoli 1755, X pp. 451-452. Periere plus quam 1500 homines.

et tituli lapidei in Urbe [2], sed etiam Bellarminus in epistola ad fratrem Thomam [3] et ipse Clemens VIII in bulla *Manus Domini, manus Patris* die 23 ian. 1599 [4].

Dixerit quis ex verbis sermonis sexti modo allatis stare certitudine inconcutibili sermones quadragesimales, de quibus fit indagatio, habitos esse anno Domini 1599. Quod si verum esset, Bellarminus die 28 febr. 1599, quattuor dies ante cardinalatum initum, fecisset orationem de ieiunio, die 3 martii esset elevatus ad purpuram, et die 7 martii habuisset sermonem tertium de oratione! Scio Bellarminum hominem fuisse prorsus singularem, et hac de re in eius vita fieri nonnumquam, quae potius fieri posse negares. At inspicienti commercium litterarium temporis illius, quo cardinalis ad suam dignitatem elevatus est, annus 1599 videtur ab orationibus quadragesimalibus exonerandus. Etenim die 6 martii 1599 Bellarmini modo creatus magister cubicularius, Iosephus Vignanesi, ad fratrem cardinalis suaeque sororis maritum, Thomam Bellarminum, scribit: « S. S. Ill.ma sta benissimo con buonissima cera et non scrive per essere molto stanco per le visite che ha fatto, che sono a pena finite a ½ hora di notte ». Quare prae anno 1599 potius eligendus est annus sequens 1600.

---

[2] V. g. in nosocomio S. Spiritus, Borgo Santo Spirito:

CLEMENTE VIII PONT. MAX.
ANNO EIUS SEPTIMO
TYBERIS EOUSQUE CREVIT
IPSO DNI NATALI NOCTE
MDXCVIII

In fronte Ecclesiae B. M. Virginis (sopra Minerva) metro iambico:

REDUX RECEPTA PONTIFEX FERRARIA
NON ANTE TAM SUPERBI HUCUSQUE TYBRYDIS
INSANIENTIS EXECRATUR VORTICES
ANNO DNI MDXCVIII
viii KAL. IAN.

[3] *Bell. a. s. Card.* pag. 431: ep. 29 Dec. 1598: « N. Sig.re è tornato sanissimo et allegro da Ferrara... Ma l'inondatione del Tevere, quale è stata maggior di tutte le passate, ha conturbato molto il nostro Signore, e Dio vogli che non seguiti qualche cosa peggiore ».

[4] *Bullar. Rom.*, ed. Taur. 1865, X p. 467.

Quod fieri potest, quin verbis Bellarmini ullam vim inferamus. Nullo modo enim repugnat Bellarminum prae oculis habuisse annum ecclesiasticum: ut v. g. etiam facit Capuae die 1 dec. 1602, quando incipiens cyclum sermonum in dominicales epistolas, fidelibus communicat: « Hora io conforme al tempo pretendo dichiarare l'uno e l'altro: l'epistole quest'anno, l'evangeli se saremo vivi, l'anno che viene ». Explicavit autem epistolas et evangelia secundum chronologiam civilem praecipue annis respect. 1603 et 1604. Tranquilla mente igitur teneri potest septem sermones quadragesimales fuisse prolatos diebus 19 febr., 26 febr., 5 mart., 12 mart., 19 mart., 26 mart., 2 apr. 1600.

Notum est evangelia dominicae 4ae Quadragesimae et 6ae post Pentecosten eandem proponere materiam; in priore narratur multiplicatio panum secundum *Ioannem* 6, 1-15, in altero multiplicatio panum secundum *Marcum* 8, 1-9. Die 12 mart. 1600 Bellarminus evangelio multiplicationis panum usus est, ut de eleemosyna ageret. Cum autem die 18 iul. 1604 Capuae explicare deberet evangelium dominicae 6ae post Pentecosten, adiit antiquum sermonem quadragesimalem anni 1600, eumque protulit, prius mutatis omnibus iis, quae unice conveniunt multiplicationi uti legitur apud Ioannem. Et haec est ratio, cur sermo quartus quadragesimalis in codice APUG 384 non invenitur inter confratres, sed postea fol. 603*r*-608v inter orationes dominicarum post Pentecosten, adiecto novo exordio fol. 603 et 608; fol. autem 604*r* expunctum habetur: *Dom. 4 Quadrag.*

III. — Adventus 1600.

Sermones, de quibus nunc fit indagatio, partim habentur in codice APUG 384, partim in APUG 385*a*. Sunt autem hi sermones:

Sermo primus super *Missus est angelus*: APUG 385*a* fol. 302*r*-305*v*.

Sermo secundus super *Missus est angelus*: APUG 385*a* fol. 312*r*-316*v*.

Sermo tertius super *Missus est angelus*: APUG 385*a* fol. 321*r*-324*v*.

In Natale Domini super Epistolam *Apparuit*: APUG 384 fol. 139*r*-142*v*.

In die Circumcisionis super Epistolam, *de nomine Iesu*: APUG 384 fol. 231*r*-234*r*.

Sermones istos, licet inter sese separatos, esse eiusdem temporis indicat identitas chartae, atramenti, calami, filogrammatis, sicut etiam longitudo sermonum semper eadem, scilicet 8 paginae impletae. Tres priores prolatos esse tempore Adventus nullo dubio est obnoxium. In primo enim alluditur ad epistolam dominicae primae Adventus, in secundo ad evangelium sequentis dominicae. Quod ad contentum spectat: in tribus prioribus agitur de annuntiatione, in quarto de effectu primario annuntiationis scilicet de gratia Dei manifestata, in quinto de nomine Iesu ab angelo imposito. Sunt igitur tantum tres priores stricto sensu sermones « super: Missus est angelus »; duo ultimi autem tempore cohaerent et naturali connexione materiae.

Quo anno prolatae sint contiones ex quibusdam indiciis statuere possumus. Et primum quidem ante episcopatum Capuanum. Nam sermo quintus, de nomine Iesu in die Circumcisionis agens, postea, scil. die primo anni 1604, secunda vice Capuae habitus est tamquam pars altera sermonis de Evangelio, in quo scilicet punctum primum erat de circumcisione, punctum alterum de impositione nominis. Eodem modo sermo habitus Capuae anno 1602 in die Nativitatis super Epistolam *Apparuit* nil aliud est, nisi nova redactio sermonis nostri quarti. In codice APUG 384 sermo Capuae habitus immediate sequitur sermonem nostrum. Et folio 142*r* in margine in sermone nostro leguntur additiones quaedam, quae conscriptae sunt eadem manu, qua exaratus est sermo mox sequens Capuae habitus.

Si autem sermones nostri praecedunt tempus Capuanum,

Romae habiti sunt mox post initum cardinalatum. Scimus enim Bellarminum post reditum ex Belgio numquam publice concionatum fuisse ante purpuram [5]. Quare licite concludi potest sermones habitos fuisse annis 1599-1601 in ecclesia titulari S. Mariae in Via. Quia annus 1599 iam occupatus est, in quaestione manent anni 1600 et 1601. Eligendus est annus 1600, quia anno 1600 dominica quarta Adventus concurrit cum vigilia natalis, quo facto facile explicatur, cur desit sermo in Adventus dominica quarta. Sunt igitur sermones habiti diebus 3 dec., 10 dec., 17 dec., 25 dec. a. 1600, et die 1 ian. 1601. Quae conclusio confirmatur ratione externa. Sunt enim contiones, quod ad chartam et atramentum spectat, valde similes contionibus anni 1599.

Aliud indicium chronologicum habetur fol. 321*v* in initio sermonis tertii, ubi dicitur: « de nobilitate Iosephi et Davidis diximus in sermone de Natali B. M. Virginis ». In unico autem sermone de Nativitate B. M. Virginis, quem habemus, nil dicitur de nobilitate Iosephi et Davidis. Nec mirum: nam ille sermo Capuae habitus est. Ergo apparet etiam periisse sermonem anni 1600 in titulari ecclesia habitum *de Virginis nativitate*.

IV. — Adventus 1606.

De hac ultima serie contionum, quae est altera super *Missus est*, non ita facile chronologia statuitur. Olim [6] cyclum attribui anno 1591. Qualitas enim chartae horum sermonum, filogramma, atramentum, calamus similes inveniuntur in sermone *de Purificatione B. M. V.*, qui habetur in codice APUG 385*a* fol. 35-38. Quia in illa contione Bellarminus alludit ad evangelium *proximae* dominicae, 4ae post Epiphaniam scilicet, erronee putans voce *dominicae proximae* necessario significari dominicam mox sequentem, concluseram contionem habitam

[5] Exceptio dici potest sermo *de Passione* 20 apr. 1577 coram Pontifice habitus; sed potius non est publicus.

[6] *Gregorianum* XXI (1940) pag. 179.

esse anno 1591 [7], et simul reieceram testimonium antiquorum [8], Bellarminum Romae ante initum cardinalatum numquam publice praedicasse. Postea inveni Bellarminum vocem *proximi* adhibere etiam pro re immediate praecedente [9], et consequenter iudicavi mihi redeundum esse ad traditionem. Accedit quod postea in Codice Opp. NN. 231 inveni alium sermonem de Purificatione Capuae habitum die 2 febr. anni 1604, cuius sermo de Purificatione qui est in codice APUG 385*a* videtur esse nova quaedam redactio, ut patet, originis post-Capuanae.

Quibus praedictis possumus haec facta statuere, quae dant elementa solutionis cuiusdam probabilis.

1° Sex sermones in *Missus est Angelus* sunt realiter habiti, ut ex variis allusionibus patet: tres priores in dominicis prioribus Adventus; tres posteriores respective in festis Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae.

2° Data opera non est habitus sermo in dominica quarta Adventus: probabiliter, quia dominica ista incidit in Vigiliam Natalis.

3° Deest sermo quintus *de nomine Iesu*, non quia habitus non est, sed quia periit vel etiam quia Bellarminus adhibuit sermonem iam olim habitum.

4° Charta, filogramma, calamus, atramentum perfecte correspondent sermoni *de Purificatione* APUG 385*a*, qui certe est post-Capuanus, et probaliter habitus post dom. 4am Epiph.

Eligendus est igitur annus post 1605 et ante 1613 (nam tunc Bellarminus iam non publice praedicat); quo anno dominica 4a Adventus incidit in Vigiliam Nativitatis, et quem annum sequitur novus annus, in quo dominica quarta Epiphaniae immediate praecedit festum Purificationis. Quod convenit exeunti anno 1606 et ineunti 1607. Nam anno 1606 dominica quarta Adventus est 24 dec., et anno 1607 dominica quarta post Epiphaniam habetur die 28 ianuarii. Alia autem solutio

[7] Cf. *Gregor. l. c.*

[8] Cavalchini, pag. 51-52, n. 69.

[9] Cf. Serm. Quadrag. 6um anni 1600, fol. 472*r*: « ut diximus in sermone proximo ».

non datur. Ergo sermones sex probabiliter habiti sunt: 3 dec. 10 dec., 17 dec., 25 dec. a. 1606, et 1 ian. et 6 ian. 1607.

Comparationem instituenti clarum est, Bellarminum in hoc cyclo conficiendo adhibuisse sermones Adventus anni 1600 et alias contiones de materiis analogis habitas Capuae.

Quo in loco habiti sint sermones non facile statuitur. Non excluditur ecclesia titularis S .Mariae in Via; nec etiam excluditur ecclesia Societatis nomine Iesu insignita. Testatur enim Theodorus Ameyden de annis qui sequuntur periodum Capuanam: « Publice in templo S. I. et aliis diebus festis maioribus concionabatur, praesertim cum exposita Synaxi haberentur 40 horarum preces ». Forsan autem eligenda est ecclesia antiqua Collegii Romani, in qua Altare maius dedicatum erat Virgini Annuntiatae.

V. — Contiones sparsae anni 1601.

Contiones istae omnes inveniuntur in codice APUG 384: eas esse anni 1601 non difficile ostenditur.

Incipiamus facilitatis causa a sermone in dominica Quinquagesimae. De ea dubium esse nequit, cum ab ipso Bellarmino in capite scriptum habeat: *1601*.

Sermones autem de dominicis Septuagesimae et Passionis quoad chartam, filogramma, calamum, atramentum contioni praecedenti sunt identicae; quare et ipsi anno 1601 adscribantur oportet.

Sermo verum in sextam dominicam post Epiphaniam, natura sua est avis rara. In casu non potest esse habitus nisi vel anno 1612 vel 1601. Cum autem anno 1612 Bellarminus iam non publice praedicaret, eligendus est annus 1601, cui conclusioni etiam favet scriptura.

Sermo de prima dominica Adventus conscriptus est in eadem charta ac sermones tres priores. Ut ex allusione in exordio patet habitus est ad Romanos. Est autem habitus ante periodum Capuanam, cum Bellarminus partem huius sermo-

nis Capuae adhibuerit ad alium conficiendum. Quare sermo est vel anni 1599, vel 1600, vel 1601. Cum vero in seriebus annorum 1599 et 1600 non sit locus, nil restat nisi annus 1601.

* * *

Quia sermones quasi omnes, de quibus in hoc prologo diximus, prolati sunt in ecclesia titulari Stae Mariae in Via, addere iuvat documentum parvum autographum nobis conservatum in codice Opp. NN. 243 fol. 190, in *Auctario* verum *Bellarminiano* p. 499, a S. Roberto conscriptum Romae anno 1599 mox post acceptam purpuram:

« *Quaeritur, an Cardinalis Sanctae Mariae in Via teneatur ad curam animarum, et ad quid teneatur.*

Pro informatione sciendum 1° quod ecclesia Sanctae Mariae est parochialis, et olim subiecta erat in omnibus Cardinali Sancti Marcelli; sed Leo Papa X, cuius bulla extat apud fratres ord. Servorum, removit eam omnino a regimine Cardinalis sancti Marcelli, et dedit fratribus ord. Servorum, iubens ut Prior eius loci per unum ex suis fratribus, ad nutum suum instituendum et destituendum, eam parochiam gubernaret.

2° Quod Iulius Papa III fecit hanc ecclesiam titulum Cardinalitium, sed non potuit inveniri bulla institutionis. Consuetudo autem tenuit hucusque, ut Prior eius loci regeret parochiam per unum ex suis fratribus, ut antea fiebat, et Cardinales titulares non se ingesserunt in curam.

3° Quod Summus Pontifex per Vicarium suum visitat eam parochiam et eius curam gerit, ut solent episcopi in suis dioecesibus, et propterea idem Pontifex per reformatores iterum eam ecclesiam et parochiam visitari fecit.

4° Quod bulla data a Pontifice moderno Cardinali videtur tribuere Cardinali omnem auctoritatem in ecclesiam, etc. ».

SECTIO PRIMA

SERMONES ADVENTUS

ANNI 1599

DOMINICA PRIMA ADVENTUS

Respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Luc. 21, 28.

* APUG 384 f. 21r * 28 nov. 1599

Haec verba duplicem habent sensum, unum accomodatum ab Ecclesia, alterum intentum proprie ab Evangelista: utrumque intentum a Spiritu Sancto, qui et Evangelistam dirigebat, et Ecclesiam semper gubernat. Solet enim Ecclesia saepe legere evangelia in certis temporibus propter aliquam sententiam, quae congruit cum tempore, ut patet de evangelio Assumptionis propter illa verbà **Luc.* 10, 42: *Optimam partem elegit sibi Maria,* **quae non auferetur ab ea,* et de evangelio dedicationis templi propter illa verba **Luc.* 19, 9: *Hodie salus huic domui facta est.* Sensus prior est de priore adventu Christi ad redimendos homines quo ad animas; posterior est de secundo adventu Christi, et de redemptione corporis per resurrectionem. Incipiam a priore sensu, quia est de priore adventu, quem his quatuor dominicis commemoramus.

Dicit igitur Ecclesia: O vos, qui estis ligati funibus peccatorum, et captivi diaboli, qui ambulatis demisso capite ob tristitiam, annuncio vobis gaudium magnum: Prope est redemptor vester, respicite, considerate hoc tempus, levate capita, confidite, sumite animum, etc. (f. 21*v*) Nota pro intelligenda captivitate et redemptione: homo per peccatum in tres miserias incidit:

Primo in iram Dei, quam offendit praevaricando eius legem. Et per hoc facti sumus servi et subditi irae divinae. Quomodo si pater filium exheredaret, et de filio faceret mancipium, vel venderet ad triremes. Dicebamur *natura filii irae, Ephes.* 2, 3 et venumdati a Deo, quia nos alienaverat a gratia sua et a peculiari providentia, qua suos tuetur, et permittebat ruere in varia scelera. Incredibilis est haec miseria, de qua dicitur in *Ps.* 80, 13 et *Rom.* 1, 24: *Tradidit eos in desideria cordis eorum;* et 3 *Reg.* 21, 20 dicitur de Achab: *Quis ut Achab, qui venumdatus est, ut faciat malum*? *Act.* 14, 16: *Permisit omnes gentes ingredi vias suas.*

Summum est hoc flagellum Dei, quo punit peccata per alia peccata, sinendo peccatores facere omnia peccata, quae volunt. Propterea, inquit **Rom.* 1, 28: *Tradidit illos in reprobum sensum,* **ut faciant ea, quae non conveniunt.* Horrendum flagellum esse inimicum Principis omnipotentis, et ubique regnantis. **Psalm.* 138, 7: *Quo ibo a spiritu tuo;* **et quo a facie tua fugiam*?

2° Incidit in potestatem diaboli, de qua dicitur *Luc.* 11, 21: *Cum fortis armatus custodit atrium suum;* et *Ioan.* 12, 31: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras;* et 2 *Tim.* 2, 26: *A quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Terribilis captivitas: nam quia homo permisit se vinci a diabolo, cum posset facillime illi resistere, Deus permisit, ut diabolus dominaretur homini, eumque pertraheret de peccato in (f. 22*r*) peccatum, donec perduceret secum ad gehennam; nec posset suis viribus se liberare ab hac tyrannide, qua nulla potest maior cogitari, quia diabolus est hostis noster, et non potest nobis nisi male velle, et numquam dormit neque quiescit, et invisibilis est.

Unde etiam apparet stultitia eorum, qui cum diabolo faciunt amicitiam, et non cogitant, diabolum non posse nobis nisi male facere.

Tertia miseria est ipsum peccatum, et mala quae inde sequuntur: caecitas mentis, aversio voluntatis a Deo, macula, privatio gratiae, amor et timor inordinatus, qui semper cruciant. Nam etiamsi Deus nollet nos aliter punire, nec diabolus esset in mundo, ipsum solum peccatum sufficeret, ut hominem miserum rederet, ut ostendit Augustinus lib. 1 *Confess.* c. 12 et lib. 3 *de lib. arbitrio* cap. 15. Et haec etiam est magna servitus et captivitas. *Ioan.* 8, 34: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Et *Rom.* 6, 20: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae.*

Dicitur servitus peccati, quia qui est in peccato, non potest suis viribus illud relinquere; et dum illud non relinquit, non potest bene facere, nam *non potest arbor mala bonos fructus facere,* **Matth.* 7, 18. Quia in creatura constituit suum summum bonum, et ad illud omnia dirigit. **Matth.* 6, 22: *Lucerna corporis est oculus tuus;* **si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Exemplum de aegroto, qui est in ea miseria, ut non placeant ei res bonae, sed ea, quae nocent et occidunt; et si sit etiam phreneticus, gaudet et ridet, quando pessime se habet, et irascitur medicis et infirmariis, et denique non advertit, se esse inimicum sui ipsius, et cum sit proximus morti, nihil curat, sed ridet. Ita etc. (f. 22*v*).

Ab his tribus servitutibus nos redemit Christus precio sanguinis sui.

Ac primum ab ira Dei nos redemit, satisfaciendo pro nobis. Quia enim in natura nostra obedivit Patri in omnibus usque ad mortem, et mortem crucis: honoravit illum magis

59 aversio... Deo *cB*: concupiscentia *la*.

63-64 AUG., *Conf.* I 12: *ML* 32, 670; *De lib. arb.* III 15, 42-44: *ML* 32, 1291-1293.

tam magna obedientia, quam eum inhonorasset omnium hominum inobedientia. Et ideo dicitur 1 *Ioan.* 2, 2, quod *Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi.* Et *Act.* 20, 28 dicit Paulus, quod *acquisivit nos sanguine suo,* et passim dicitur nos redemisse. Quamvis autem nos emerit a Patre, non tamen nos Pater amisit, quia nos emit a Patre irato, ut nos ipsi Patri reconciliaret, et de servis filios faceret. Quomodo si aliquis venderet filium ad triremes, et alius illum redimeret, et patri iam placato redderet. Ita dicit Apostolus *ad Rom.* 5, 10: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.*

A diabolo quoque nos liberavit, et redemit ab eius servitute; sed multo aliter, quam ab ira Patris. Non enim dedit precium diabolo, nec cum eo nos pacificavit, aut eum placavit; sed pugnavit cum eo, et vicit, et iure belli nos illi eripuit. Sic dicitur *Luc.* 11, 22 et *Coloss.* 2, 15 et alibi. Sed pugnavit Christus cum diabolo, non potentia, sed iustitia, ut dicunt Patres, Augustinus 13 *de Trinit.* cap. 13 et Leo *serm.* 1 *de Natali Domini.* Nam quia homo primus victus fuit ā diabolo tentante (f. 23*r*) de inobedientia: Christus in carne nostra voluit tentari a diabolo omni genere tentationum, et sic fuit tentatus a diabolo et a ministris eius, et vexatus in honore, in amicis, in corpore; non sicut Iob citra mortem, sed usque ad mortem crucis; et tamen non amisit obedientiam nec patientiam nec ullam virtutem, nec admisit ullum peccatum. Et sic diabolus victus fuit et triumphatus; et quia Christus caput erat omnium hominum, vicit pro se et pro omnibus, sicut Adam perdidit pro se et pro hominibus. Et similiter, quia diabolus voluit Christum vexare, qui non erat ei addictus per culpam, meruit iusto Dei iudicio, ut amitteret dominium in omnes homines, qui per Christum renascerentur. Hoc dicitur *Ioan.* 14, 30: *Venit princeps huius mundi, et in me non habet quicquam.* Et *Ioan.* 12, 31: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Itaque antea diabolus erat solutus, tam-

---

102 AUG., *De Trin.* XIII 13, 17: *ML* 42, 1026; LEO M., *Serm.* 21, 1: *ML* 54, 191: aequitatis iure.

quam leo sine catena, et homo erat ligatus. Unde pro suo arbitrio diabolus hominem vexabat: nunc contra homo est solutus, et diabolus ligatus, unde non potest mordere, nisi eos, qui per consensum in peccatum illi se adiungunt. Timet nunc diabolus signum crucis, tamquam vexillum magni regis: et si homines fidem haberent ferventem, non deberent timere ullas diaboli machinationes vel strigium vel magorum, etc.

A tertia miseria nos redemit similiter sanguine suo, ut dicit sanctus Petrus in prima *epist.* cap. 1, v. 18: (f. 23*v*) *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione* **paternae traditionis*: *sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.* Et 1 *Cor.* 6, 18-20 Paulus hortatur, ut non fornicemur, quia empti sumus precio magno. Emit autem nos Christus a servitute peccati, quia precio sanguinis meruit nobis a Deo gratiam, quae illuminat, purgat, accendit, iustificat, liberat, etc. Christus enim est ille mercator sapiens **Matth.* 13, 45, qui dedit omnia sua, ut compararet margaritam preciosam. Unde et nos debemus dare omnia nostra, et ipsum sanguinem, ut conservemus hanc margaritam, etc.

Haec est igitur prima redemptio, quae facta est in primo adventu Christi. Et praecesserunt hunc adventum signa in sole, luna, stellis, in mari et in terra, sed spiritualiter. Sol est Deus, qui numquam fuit magis obscuratus, quam paulo ante Christi adventum. Tunc enim totus mundus erat in ignorantia veri Dei, excepta Iudaea, in qua etiam erant plurimi errores Samaritanorum, Sadduceorum, etc. Luna est Ecclesia, quae numquam fuit obscurior, quam tunc. Et nota, quod sol cum obscuratur, non perdit lumen in se, luna autem perdit: ita etc. Item nota, quod sicut luna etiam obscurata cernitur, et numquam fit omnino invisibilis: ita Ecclesia, etc. Stellae sunt prophetae, qui tunc multi erant. Terra est gentilitas, quae erat in maxima pressura et captivitate, (f. 24*r* marg.) ut dictum est. Et sicut Pharao opprimebat Iudaeos cogens eos occupari in lateribus faciendis, et non dabat materiam, et tamen exigebat

opus, et flagellabat: ita diabolus occupat suos in desideriis terrenis, et non dat facultatem, ut illa expleant, et tamen eos cruciat internis stimulis invidiae, amoris etc. Haec autem omnis pressura excitatur a diabolo mediantibus fluctibus maris, quae sunt passiones animi vehementes, et saepe inter se contrariae, quae magnam faciunt confusionem. (f. 23*v* medio)

Nunc igitur renovamus memoriam illius primi adventus et redemptionis, et ita nos preparare debemus, ac si nunc primum Christus nasci deberet; sicut vere in multis occasione huius festi et confessionis et communionis, nunc primum nascitur Christus, et ipsis applicatur precium redemptionis. Quamvis enim Christus precium persolverit pro toto mundo, tamen adhuc plurimi remanent servi diaboli et peccati, et in ira Dei, quia precium eis non est applicatum per baptismum vel sacramentum poenitentiae, etc. (f. 24*r*)

* * *

Alter sensus est de redemptione corporis, quae fiet in die resurrectionis. Nunc enim liberati sumus quo ad animam, ut possimus libere bene facere, et non peccare; et sic resurreximus quo ad animam; at corpus adhuc est obnoxium morti et multis miseriis naturalibus, nec non vexationibus diaboli, qui aliquando permittitur etiam iustos invadere. Denique vivit in carne nostra fomes peccati, qui excitat mala desideria, quibus possumus quidem cum gratia Dei non consentire, sed tamen res est molestissima, ut oporteat nos ipsos corpus nostrum vexare ieiuniis et laboribus. Unde Apostolus *ad Rom.* 7, 24: *Quis me liberabit de corpore mortis huius*? Et iterum 8, 23: *Et nos ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Et iterum **Philipp.* 3, 21: *Qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*

De hac redemptione dicitur in evangelio **Luc*, 21, 28: *Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Tunc enim perfecte redempti erimus, quando erimus gloriosi corpore et animo, non poterimus mori nec pec-

care, nec timebimus ullos inimicos, nec aliquid nobis nocere poterit, et nulli necessitati serviemus. O mira libertas gloriae! (f. 24*v*) Sed quando erit proxima haec redemptio, tunc erit summus dolor et timor iniustis, et summa spes et gaudium iustis. Nam, ut in evangelio **Luc.* 21, 25 legimus, *tunc erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum: arescentibus hominibus prae timore.* Erunt signa horribilia et inusitata in coelo et in terra, quae demonstrabunt, mundum hunc plane ruiturum, sicut etiam paulo post ruet. Nam, ut scribit sanctus Petus **2 Epist.* 3, 10 veniet diluvium ignis, quod exuret omnia quae in terra sunt, et nihil remanebit, praeter pura elementa. Tunc igitur cum horribilia illa signa apparebunt, homines mundani fugient undique ad loca mediterranea propter confusionem maris, et illa erit pressura gentium et arescent prae timore, quia videbunt instare finem omnium quae hic amabant; videbunt prope esse iudicem iratum, omnipotentem et implacabilem; videbunt nullum esse remedium imminentibus malis; inde velut insensati, aridi, sine consilio, sine spe atterriti manebunt. At iusti, cives coelestis Hierusalem, qui sunt advenae et peregrini in hoc mundo, qui non amant nisi coelestia, qui habent vitam in patientia et mortem in desiderio: sicut veri peregrini habent viam in patientia et patriam in desiderio: tunc levabunt capita sua prae laetitia *expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, *Tit.* 2, 13.

Ex quibus omnibus colligo unam conclusionem, valde multos esse in hoc tempore cives Babylonis, et paucissimos cives Hierusalem. Nam cives Babylonis cupiunt finem mundi differri longissime, imo numquam venire; et quasi numquam venire deberet, cupiunt vive-(f. 59*r*)re ipsi longo tempore, et postea relinquere domum bene fundatam in divitiis et honoribus, ut longissime duret; et propterea etiam cupiunt nomen suum relinquere scriptum in muris, in libris, in statuis, ut in hoc mundo perpetuentur. At cives Hierusalem, quia sunt advenae et peregrini, cupiunt mundum cito finiri, et ideo dicunt

ex corde *Matth. 6, 10: *Adveniat regnum tuum*; et audiunt Paulum dicentem *2 *Tim.* 4, 8: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi iustus iudex, non solum autem mihi, sed iis, qui diligunt adventum eius*; et ideo ipsi ardenter desiderant adventum Domini. Et, ut Augustinus dicit concione 20 *in psalmum* 118, sicut ante incarnationem vota sanctorum tendebant in primum adventum Christi, et dicebant: Utinam disrumperes coelos, et descenderes: sic post incarnationem tendunt in secundum adventum, et dicunt: *Adveniat Regnum tuum*. Et ideo despiciunt omnia, quae hic sunt, tamquam ad ipsos parum aut nihil attinentia, et nec gemunt in adversitatibus temporalibus, nec multum laetantur in prosperitatibus temporalibus, sed toto corde anhelant ad patriam. At quot sunt hodie tales? Paucissimi. Nam etiam clerici, etiam religiosi, etiam praelati, qui deberent esse perfecti, spirituales, cives sanctorum et domestici Dei, vellent mundum hunc semper durare, cupiunt stabilire et perpetuare nomen suum in terris, etc. (fol. 59*v*)

At, inquies, signa consummationis seculi nondum venerunt, nec venient in diebus nostris: qui erunt tunc, illi cogitent. Respondeo, quod licet nondum videamus signa finis mundi, nec sciamus quando sit venturum iudicium extremum: tamen signa mortis unusquisque nostrum multa habet. Certi sumus hanc vitam esse quasi unum momentum! Clamat Spiritus Sanctus per *Iob.* 14, 1: *Homo natus de muliere brevi vivens tempore.* Clamat per Apostolum *Iac. 4, 14: *Quae est vita vestra? Vapor ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.* Clamat per Prophetam, *Eccli 14, 18: *Omnis caro *sicut foenum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi.*

Si homo est senex, habet signa evidentia, quia obscuratur ei sol et luna; quia caligant oculi, obsurdescunt aures, labant gressus, frigescit corpus, repletur morbis. Et certum est, teste

238 vellent... durare *cB*: non possunt audire mentionem mortis *la.*

227 AUG., *En. in Ps.* 118, serm. 20, 1: *ML* 37, 1557.

Paulo **Hebr.* 8, 13, *quod antiquatur et senescit, prope interitum esse.* Si homo est iuvenis vel puer, est certior de morte vicina, quia plures moriuntur iuvenes quam senes, et plures pueri quam iuvenes, sicut plures cadunt flores quam poma, et plura immatura quam matura. Perfectio enim paucorum est. Et quia in morte erit iudicium particulare, a quo non variabit sententia iudicii universalis; erit consummatio mundi saltem pro illo qui moritur: certe deberent omnes peccatores timere, imo arescere prae timore. Et contra quia in morte coronabitur anima iustorum, et caro requiescet, et cessabit omne bellum internum et externum, et sic iacientur fundamenta perfectae redemptionis, certe deberent homines boni levare capita, et exultare, quia appropinquat redemptio. Sed neutrum videmus; quod est signum pessimum, nimirum quod nec perfecti sumus, nec intelligimus nostram imperfectionem et miseriam.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

* *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?... Hominem mollibus vestimentis indutum?... Prophetam? Utique dico vobis, et plus quam Prophetam. Hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum.* Luc. 7, 25-27.

* APUG 384 f. 48*r* * 5 dec. 1599

In tribus dominicis sequentibus Ecclesia tractat de Sancto Ioanne Baptista, qui venit ut praenuntius adventus Christi. Et in hac dominica proponitur qualitas personae, ut videamus fuisse testem omni exceptione maiorem, cui tuto credi poterat. In sequenti dominica agitur de eius officio. In ultima ponitur ipsa eius exhortatio.

[1] De redactione iuniore huius sermonis, vide introductionem specialem.

Igitur qualitas personae declaratur a Domino per tres proprietates Sancti Ioannis. Prima erat, quod non erat arundo vento agitata; secunda quod non erat mollibus vestitus; tertia quod erat plus quam propheta et quasi angelus terrestris. Et sic se habent hae conditiones, quod una est causa alterius. Non erat arundo, quia non erat mollibus vestitus; et non erat mollibus vestitus, quia erat angelus terrestris.

* * *

Prima significat, quod Ioannes non erat testis, qui corrumpi posset, et ideo credendum illi erat. Non erat arundo mobilis, sed velut arboris truncus gravissimus, vel scopulus durissimus. Nulla promissione, nullis minis flecti poterat. Etiamsi totus mundus cum omnibus divitiis, deliciis et honoribus suis illi promissus fuisset, non movisset se a rectitudine: et similiter etiamsi omnia mala (f. 48*v*) intentata fuissent, non declinasset a rectitudine, nec cessasset ab officio suo. Id quod apparuit. Nam fuit illi oblata dignitas Messiae, qua nulla maior esse potest. Messias enim est rex et pontifex. Et tamen non declinavit a sua rectitudine. Fuisse illi oblatam Messiae dignitatem patet ex evangelio Ioannis, ubi respondit legationi **Ioan.* 1, 20: *Non sum ego Christus*. Et, ut notat Augustinus *tract.* 4 *in Ioannem*, poterat uno verbo se facere Messiam. Nam ut dicitur *Luc.* 3, 15 omnis populus cogitabat, illum esse Christum. Quam multi ascenderent ad dignitates, si possent uno verbo id assequi? Cum etiam non vocati tam multa faciant, ut ascendant! Sic etiam coniectus in carcerem — quia dicebat Herodi, **Matth.* 14, 4: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* —, certe si voluisset applaudere Herodi, et iustificare eius factum, non solum non fuisset in carcere, neque occisus, sed valde honoratus a rege, qui alioqui eum magnificiebat. Sed non fuit arundo.

43 arundo: *sBe* Dixit autem hoc Dominus de Ioanne eo tempore, quo Ioannes misit ad eum discipulos, ut interrogarent: Tu es, qui venturus es etc. Ne videlicet putarent Iudaei, Ioannem coepisse dubitare, an Iesus esset Christus, quod tam clare antea praedicaverat.

84 Aug., *In Ioh. tr.* IV 6: *ML* 35, 1408.

Sed unde habuit Ioannes hanc constantiam et fortitudinem, ut nec promissa, nec mors eum flecterent? Quia non erat arundo vacua, sed lignum solidum. Arundo dicitur vacua, quia est plena vento levissimo et inani. Ita homo plenus vanitate dicitur arundo vacua; sed quando est plenus veritate, tunc non est arundo, nec movetur omni vento. Tunc est plenus vento, quando non habet desideria et cogitationes, nisi de rebus transitoriis. Quales sunt multi in aulis principium; et ideo ponit Dominus aliam Ioannis conditionem.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Vult dicere, (f. 49*r*) Ioannem fuisse contemptorem mundi, et omnium quae in mundo sunt. Et ideo *Lucas* cap. 7, v. 25 addit: *Qui sunt in veste preciosa et deliciis, in domibus regum sunt.* Unde cum in domibus regum sint deliciae et vestes preciosae, consequenter sunt etiam divitiae, sine quibus illa haberi non possunt. Atque ita in domibus regum est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae. Quibus caruit Ioannes voluntarie, et in summo gradu; nam habitavit eremum ab infantia; non habuit necessaria secundum communem aestimationem: non panem, non vinum, non lectum, non vestes, etc. Et tamen ea potuisset habere, quia erat filius honorati sacerdotis, etc. Itaque fuit vere pauper spiritu, caruitque affectu ad omnia quae sunt in mundo. Et ideo non poterat flecti a rectitudine. Qui enim flectuntur, impelluntur amore vel timore. Ipse nihil amabat, nisi Deum et gratiam eius: nihil timebat, nisi offensionem Dei.

Sed unde habuit Ioannes hunc spiritum, ut omnia temporalia summe contemneret? Ex eo quod erat plenus lumine coelesti, quod significatur cum dicitur propheta et plusquam propheta, et angelus terrestris. Prophetae enim fuerunt illuminati prae omnibus hominibus; quanto igitur lumine erat praeditus Ioannes, qui erat plus quam propheta? Erat plusquam propheta, quia prophetavit in utero, quia fuit prophetatus ab Isaia et Malachia, quia fecit prophetare parentes, sed

praecipue, quia demonstravit Christum. Nam etiamsi videatur maius quid praedicere Messiam futurum, quam indicare praesentem: tamen id esset verum, si Christus venisset in sua maiestate, gloriosus, cum curia angelorum, etc. At (f. 49*v*) venit pauper, humilis, mortalis; et in principio non solum non fecit miracula, sed etiam circumcisus est, oblatus in templo, baptizatus a Ioanne, fabrilem artem exercens, etc. (exemplum de rege, qui veniret in habitu peregrini). Ioannes autem non viderat Christum antea, quia ab infantia fuit in eremo, nec audierat quidquam de eo, cum adhuc esset incognitus, et tamen cum primum illum vidit, cognovit et nunciavit, et clarius expressit eius proprietates quam ullus propheta, quia dixit esse agnum Dei occidendum pro peccatis mundi, esse Filium Dei, esse sponsum Ecclesiae, esse super omnes, esse de coelo, fore iudicem mundi, etc. Et hoc dixit, quando in Christo ostendebatur maxima infirmitas humana. Unde non sine causa Dominus dixit **Matth.* 11, 6: *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Facilius enim creduntur magna in absentia quam in praesentia, quia in absentia non videntur infirmitates humanae. Sancti praesentes in carne a multis contemnebantur, absentes autem ab omnibus honorantur. Ita igitur, etc.

Unde theologi dicunt, quod prophetae, quo fuerunt viciniores Christo, eo fuerunt magis illuminati, ut propinquiores fonti luminum; nam Abraham fuit magis illuminatus quam Noe; et Moses magis quam Abraham. Unde dicitur illi **Exod.* 6, 3: *Apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, sed nomen meum Adonai non indicavi eis.* Et David magis quam Moses: unde dicit **Psalm.* 118, 100: *Super senes intellexi.* Et Isaias, Hieremias, Daniel videntur quasi quidam evangelistae. Sed Ioannes vicinissimus Christo omnes superavit. Et ideo Dominus quod hic dicit: fuisse eum plusquam prophetam, declarat paulo post dicens: fuisse maiorem omnibus prophetis. Nam quod *Matthaeus* dicit 11, 11: *Inter natos mulierum non* (f. 50*r*) *surrexit maior Ioanne Baptista,* declarat *Lucas* 7, 28 dicens: *Inter natos mulierum propheta maior illo*

non est. Et quamvis haec videatur negativa propositio, tamen infert affirmativam; nimirum quod ipse est maior omnibus prophetis, et proinde plusquam propheta.

Sed maxime hoc declaratur ex nomine angeli. Nam angeli sunt superiores omnibus mortalibus, ut declarat Dominus paulo infra, cum ait v. 28: *Qui minor est in regno coelorum, maior est illo*, i. e. minimus angelus est maior maximo homine mortali, cum angelus videat Deum, et amet continuo sine intermissione ardentissime, nec minimum peccatum facere possit. Sunt quidem in coelo multi homines maiores multis angelis; sed dum sumus in terra, minimus angelus est maior quolibet sancto homine, saltem quo ad actualem sapientiam et charitatem, quidquid sit de habituali. Cum ergo Ioannes in terris esset dignus nomine angelico, signum est, eum fuisse maxime illuminatum, maxime purum, maximo amore Dei flagrantem; et quod sicut angeli toti sunt occupati circa Deum, et circa curam animarum propter Deum, non comedunt, non bibunt, non dormiunt, non habent uxorem, non agros, etc.: ita Ioannes totus erat occupatus in Deo contemplando, et convertendis animabus ad Deum, et de rebus mundi (f. 50*v*) minimum quid accipiebat.

Haec est igitur causa, cur Ioannes contemneret omnia temporalia, quia nimirum erat plenus amore aeternorum; quia cognoscebat bona aeterna, erat plenus amore aeternorum; quia cognoscebat mala aeterna, erat plenus timore malorum aeternorum, et ideo non erat locus in corde eius amori vel timori creaturarum. Qui enim non gustant vere aeterna, nimis difficile est, ut contemnant temporalia. Et contra qui sunt pleni amore et timore temporalium, difficile est, ut gustent aeterna, quia non est locus utrique amori et timori. Et quamvis aliquando mediante tribulatione homo incipiat contemnere temporalia, et sic magnificare aeterna; tamen magis celeriter et efficaciter et solide fit e converso, quando Deus illuminat, et infundit gustum aeternorum. Ille enim eiicit gustum terre-

norum, ut Augustinus dicit de se in lib. 8 *Confessionum* et Apostolus ad *Rom.* 8. 35: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An periculum? An gladius? etc. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Scio enim quia nec praesentia nec futura neque* **fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* Ubi dicit, quod nulla bona et nulla mala poterunt eum movere, cum sit repletus amore Dei.

Ioannes igitur plenus lumine et ardore contemnebat omnia mundana, et ideo non erat arundo (f. 51*r*) mobilis, sed homo constantissimus, testisque omni exceptione maior. Et ideo Iudaei tenebantur illi credere, etiamsi miracula non faceret. Atque haec est summa evangelii.

* * *

Nunc ad nostram utilitatem colligimus, quod qui habent officium in Ecclesia parandi viam Domini, ut sunt praedicatores, sacerdotes, praelati, patres familias, magistratus omnes, et omnes homines, qui habent curam saltem animae suae, debent imitari Ioannem Baptistam; alioqui reddent Deo rationem animarum, quas debuissent convertere vel conservare.

Primo debent esse incorruptibiles et immobiles, ut sine ullo timore vel amore doceant veritatem, corrigant errantes, ducant omnes ad perfectionem christianam. Nam Christus omnibus dicit **Matth.* 5, 48: *Estote perfecti, sicut pater vester caelestis perfectus est.* Exempla de iis qui nolunt supportare vel condonare iniurias, et alios ita docent, etc., cum tamen evangelium et scripta Apostolorum sint plena praeceptis de hac re. (f. 50*v* marg.)

Nam evangelium dicit * *Matth.* 5, 39: *Qui te percussit in*

161 colligimus *cB*: duo documenta notanda sunt. Primum *la.*

171 Exempla de iis qui: *sBe* retrahunt a religione reformata; et contra de iis, qui cogunt filios et filias ad religionem, quia nolunt expendere etc. Item de iis, qui

147 Aug., *Conf.* VIII cap. 5 et 11: *ML* 32, 753 et 760.

unam maxillam, praebe illi et alteram. Hoc intelligitur in praeparatione animi, sed qui est paratus tolerare, certe non vult vindicare. Idem docuit exemplo, nam *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur,* *1 *Petr.* 2, 23. Et Paulus **Rom.* 12, 19: *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum irae.* Et **Eph.* 4, 2: *Supportantes invicem in charitate.* Itaque sine dubio hoc bonum est, et faciendum. Qui ergo docet filios aut ser-(f. 51*r* marg.)vos aut alios, ut vindictam petant: non imitantur Ioannem. « At hoc est contra honorem! » Imo est honorificum, quia est imitatio Christi! Et Philosophus dicit, esse parvi animi non posse ferre iniurias. Et patet experientia. Nam omnes sciunt irasci et repercutere verbis aut factis, etiam pueri et bestiae; at tolerare non sciunt, nisi viri perfecti. « At quid dicet mundus? » Hoc est esse arundinem, quae agitatur opinione vulgi! Sed quid dicet Christus? Debetne Christianus magis credere mundo, an Christo? (f. 51*r* infra)

Item de blasphemiis, quae in lege vetere puniebantur morte, et nunc tolerantur, etc. Deberent patres familias acerbe eas punire in filiis (exemplum Sancti Gregorii de puero quinquenni) et servos quamvis utilissimos continuo dimittere; et magistratus punire, etc. Nam de hoc arguemur in iudicio etiam a Turcis, et Iudaeis et haereticis. Ut hoc fiat, oportet non esse aulicum i. e. amatorem mundi, et timentem mala mundi. (f. 51*v*) Impossibile est enim servare rectitudinem in verbis et operibus, ubi est amor et timor mundanus. Ista enim sunt veluti perspicilla colorata, quae omnia demonstrant colorata, et sic efficiunt conscientias erroneas. Et praeterea etiamsi quis cognosceret quod iustum est: tamen non faceret, si habet affectum ad res mundi, quia amor finis omnia ordinat ad illum

199 mala mundi: *sBe* Nam etsi inveniuntur multi boni aulici, quando eorum domini tales requirunt: tamen ut plurimum in aulis regum et magnatum inveniuntur homines ociosi, artificiosi, ambitiosi, delicati etc.

186 ARIST., *Eth. Nic.* IV 3, 30, p. 1121; *De virt. et vitiis* 5, 7, p. 1250.
195 GREG. M., *Dial.* IV 18: *ML* 77, 350.

finem, estque amor mundanus quasi tyrannus violentissimus, qui cogit operari contra iustitiam, etiam optime cognitam.

Exempla habemus plurima. Herodes cognoscebat virtutem Ioannis, et sciebat esse hominem iustum et sanctum; tamen quia amore captus erat Herodiadis, tyrannus amoris fecit illum declinare a iustitia tam deformiter, ut iusserit occidi hominem sanctum sine processu, sine defensione, in die suo festivo, in tempore convivii, solum quia sic voluit illa, cui nihil negare poterat. Sic etiam Pilatus sciebat certo Christum esse iustum, et accusatum ob invidiam, et voluisset eum dimittere, tamen timor mundanus, ne offenderet Caesarem, coegit illum declinare a iustitia tam deformiter, ut iuberet crucifigi quem iudicaverat innocentem.

Quod ergo remedium, ut superemus hos tyrannos, amorem, inquam, et timorem mundi, et non simus ambitiosi, etc.? (f. 60*r*) Remedium unicum et optimum est, ut fiamus angeli, sicut erat sanctus Ioannes. Angeli semper contemplantur faciem Patris, et numquam peccant, et semper operantur salutem animarum. Ita oportet praesertim praelatos et qui alios regunt, et etiam suo modo omnes alios, esse viros deditos contemplationi, spirituales, perfectos, angelos in terris.

Primo igitur oportet semper videre Deum. Nam angeli semper vident faciem Patris, etiamsi alia agant. Oportet saepissime cogitare Deum, et per orationem illi uniri et cum illo loqui. Sanctus Basilius in *oratione de gratiarum actione* dicit,

226 angelos in terris: *sBe* Et qualis comparatio est hominis ad iumenta, talis deberet esse praelati ad populum. Nos, dicebant Apostoli, orationi et verbo Dei instantes erimus. Quid mirum, si multi praelati adhuc amant et timent mundana, cum non sint elevati a mundo per contemplationem; non gustant, non suspirant aeterna? — Alterum documentum est, quod etiam populi et subditi debent suo modo habere haec tria: id est. immobilem iustitiam, ut non sint arundines; et non esse amatores mundi; et esse angelos per puritatem et lucem boni exempli. Quia omnes debent parare viam Domini, id est: praeparari ad Adventum Domini.

230 Bas. M., *De grat. act.* 1-2: *ML* 31, 217.

ad literam esse possibile semper orare, quia amans semper cogitat de amato, etiam si aliud agat, vel dormiat. *Matth. 6, 21: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Et de sancto Francisco hoc scribit Bonaventura, quod stando, ambulando, operando, ociando semper orabat. Hoc est esse angelum, (f. 60*v*) quod maxime convenit praelatis. Sit pastor, inquit Gregorius in *Pastorali*, praecipue contemplationi suspensus. Nam ab hac continua visione Dei oritur contemptus omnium temporalium.

Secundo oportet more angelorum semper operari salutem aliorum et nostram. Nam angeli omnes, ut dicit Apostolus *Hebr. 1, 14, *sunt administratorii spiritus missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis.* Ita oportet, ut hoc sit unicum, vel saltem praecipuum studium et desiderium procurandae salutis. * *Philipp.* 2, 12: *Cum timore et tremore salutem vestram operamini*, i. e. cum timore perdendi salutem operamini salutem, i. e. eo modo, quo illi, qui valde timent ne pereant. Exemplum eorum, qui timent, ne in iudicio de capite perdant causam. Et eorum, qui sunt transituri flumen periculosum vel pontem angustum; vel qui dimicant in duello, qui prae timore obliviscuntur omnium aliorum negociorum. Nam *1 *Petr.* 4, 18: *Iustus vix salvabitur*; et si vix salvabitur, qui totis viribus procurat salutem; quid fiet de illis, qui non procurant?

Tertio angeli numquam peccant, ideo pinguntur puri, pulchri, iuvenes, etc. Et hoc est signum magnum, quod quis cupit salvari, si diligentissime cavet peccata, et quando peccat, statim currit ad remedium confessionis, orationis, lacrimarum. « At difficile est non peccare! » Sed est facile cito illud delere: et cum differtur remedium, semper fit difficilius. Exemplum de vulneribus, de pannis sordidis, etc.

---

234 Bonav., *Leg. maior* cap. 10.
237 Greg. M., *Past.* II 5 (16): *ML* 77, 32.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS

* *Confessus est: quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: quid ergo? Ait: Ego vox clamantis in deserto,* Ioan. 1, 20 et 23.

* APUG 384 f. 69*r* * 12 dec. 1599

In evangelio huius Dominicae agitur de officio Praecursoris Domini, ac primo explicatur quid non sit, deinde quid sit. Negat Ioannes se esse Christum, Heliam et Prophetam; asserit se esse vocem clamantis in deserto. Christum se esse negat, quia Iudaei suspicabantur illum esse Christum.

Confessus est, et non negavit, Ioan. 1, 19. Confessus est quod non erat, et non negavit quod erat. Confessus est, quod non esset Christus, neque Helias neque Propheta. Suspicabantur Iudaei illum esse Christum, quia expectabatur tunc Messias in proximo venturus, ut etiam Iosephus dicit in libro *de bello Iudaico,* et multa signa habebant, ut amissionem regni in tribu Iuda.

Nam Herodes fuit primus rex alienigena. Nam licet Macchabei non essent de tribu Iuda, tamen erant Iudaei; nam post reditum a Babylone confusae sunt tribus, et omnes dicebantur Iudaei. Deinde septimanas Danielis fere completas, quartam monarchiam inchoatam, et alia. Videbant autem Ioannem virum mirabilem super omnes alios. Nam comparuit repente ex deserto, incognitus omnino. Nam ab infantia fuerat absconditus. Videbatur ab una parte homo silvestris quo ad victum et vestitum, et tamen loquebatur optime, et apparebat doctus, civilis, prudentissimus ac si semper in civitate fuisset. Con-

1-10 Dominica... Christum: *expncta a Bell.*
18-21 Nam... Iudaei: *am.* — 21 Deinde *addidi clar. grat.*

15 Flav. Ios., *De bello Iud.* VI 5, 4.

cionabatur efficacissime, dabat leges congruas omni generi hominum. Unde fiebant ad eum concursus maximi. (f. 69*v*)

Cum autem audivissent illum non esse Christum, suspicati sunt esse Heliam, quia sciebant Iudaei Heliam non esse mortuum, et venturum ante Messiam, ut *Malachias* 4, 5 praedixit. Item sciebant illum habitare solitum in deserto, et accingi zona pellicea, et virum esse pilosum, id est pilis animalium vestitum. Denique suspicari poterant, si non erat Christus neque Helias, saltem esse novum prophetam, quales alii prophetae fuerunt, qui annunciarunt futura post longum tempus.

Ioannes ergo respondit iuxta intentionem illorum, se nihil horum esse. Vere enim non erat Christus, neque Helias ille olim translatus, nec propheta, ut illi putabant, annuncians futura post longum tempus. Dixit autem se esse id quod vere erat. Dixit enim se esse praecursorem Christi praedictum ab *Isaia* 40, 3 per illa verba: *vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* Ac ut crederent se non esse Christum, dixit illis Christum iam venisse, et esse longe se maiorem. In qua re notandum est summa humilitas Ioannis et summa excellentia Christi. Ioannes erat vir humillimus, et ideo maximus. Nam sancti quo sunt maiores, eo sunt humiliores. *Medius,* inquit v. 26, *vestrum stetit, quem vos nescitis.* Ita significavit Messiam venisse. Deinde addit v. 27: *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.*

Non erat necesse ut ita se vilificaret. Poterat dicere: Maior me est. Poterat addere: Sum eius servus. Poterat addere: debeo ei servire in infimo ministerio. Sed dixit: *Non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Et addit *Marcus* 1, 7 eum dixisse: *Non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius.* Praeterea poterat dicere: Eius baptismus est maior meo; sed dixit: *Ego baptizo in aqua; ille in Spiritu Sancto,* i. e. meus baptismus nihil est, etc. Denique quia poterat saltem Ioannes videri maior Christo, quo ad aetatem, addidit: *ille prior me erat,* i. e. etiam tempore, imo aeternitate me antecedit.

Ex iisdem apparet dignitas Christi. Magna dignitas Christi, (f. 70*r*) ut Ioannes non sit dignus ei servire in infimo ministerio. Ex quo apparet, Christum esse plusquam hominem, cum summus homo non sit dignus ei famulari in infimis rebus. Addit etiam v. 26: *Ego baptizo in aqua, ille baptizat in Spiritu Sancto,* id est: ego solum lavo corpora in signum et in praeparationem baptismi Christi, qui lavabit corda infundendo Spiritum Sanctum. Hic etiam demonstrat, Christum esse Deum. Nam infundere Spiritum Dei quis potest, nisi Deus? Denique addit: *Ille post me venturus est, sed ante me factus est, quia prior me erat,* id est, ille iunior me est quoad humanam nativitatem, sed mihi antepositus est, quia prior me erat, utpote genitus ex Patre ante secula. Itaque tribus argumentis docuit, Christum esse Deum et hominem.

Haec est summa praesentis evangelii. Consideranda sunt autem illa verba: *Ego vox clamantis in deserto,* quia in his consistit principale officium Ioannis. Et postea considerabimus illa: *medius vestrum stetit, quem vos nescitis,* quia sunt plena utilissimis documentis.

* * *

Primo dicitur *vox,* quia tota eius occupatio erat praedicare Christum. Vox enim non habet aliud officium quam loqui. Et re vera ita erat, nam Ioannes in nulla re alia occupabatur. Ideo non habuit uxorem, liberos, fratres, sorores, nec agnoscebat ullos cognatos; non habuit campos, vineas, domos; non exercuit mercaturam, militiam, magistratum, etc. Erat enim tanti momenti indicare Christum et praeparare homines ad Christum, ut oportuerit praecursorem Christi liberum esse ab omnibus aliis negociis.

Dicitur etiam *vox,* quia totus erat vox, nam non solum lingua eius clamabat, sed etiam habitus, victus, etc. (f. 70*v*) Denique dicitur *vox,* quia simillimus Christo, qui est Verbum. Nam vox est imago exterior conceptus mentis, id est verbi. Ioannes erat Christo simillimus. Christus praedictus a prophetis, et Ioannes. Ille annunciatus ab angelo Gabriele, et hic.

Ille natus de virgine, et hic de sterili anu. Illi impositum nomen novum a Deo, et huic. Ille a conceptione usque ad mortem sanctissimus: hic sanctificatus in utero cucurrit cum fervore usque ad mortem; quod nulli forte alii contigit, nisi B. Virgini. Alii enim sancti vel tarde coeperunt, vel cursum interruperunt, vel lente processerunt. Ille doctus a solo Deo, et hic. Ille totum se dedit saluti animarum, et hic. Denique ille virgo, martyr, doctor, propheta: et hic.

Tales deberent esse christiani praedicatores, liberi ab aliis negociis, et qui non solum voce, sed etiam vita praedicarent, qui essent lux mundi et sal terrae, ita ut de proximo condirent verbo, de longe illuminarent exemplo; et Christum ipsum repraesentarent hominibus et possent dicere *1 *Cor.* 4, 16: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

Dicitur secundo *vox clamantis,* quia ipse Ioannes erat instrumentum Dei clamantis, et sic non dicebat verba sua, sed verba Dei. Porro Deus non solum loquitur, sed clamat mille modis, ita ut mirum sit a tam paucis audiri. Clamat per creaturas, per promissa, per minas, per beneficia, per supplicia. Per creaturas: nam magnitudo, multitudo, pulchritudo, virtus et efficacia, ordo et dispositio creaturarum sunt voces validissimae, quae faciunt audientes mirari, et accendi ad amorem creatoris. Promissio vitae aeternae iustis, et comminatio mortis aeternae impiis, quale tonitrum esset, si non essemus surdi! Certe in hoc mundo, cum promittitur magna dignitas, persuadetur hominibus quilibet labor. Et cum terrentur (f. 71*r*) homines metu mortis, quid non faciunt? Unde dicitur metus cadens in constantem virum, quia etiam viri constantes excusantur, si aliquid faciant metu mortis. At Deus non minatur mortem temporalem, sed aeternam; et potest eam inferre, nec ullus potest ei resistere, et tamen contemnitur. Quare? Quia non penetrat ad cor iste clamor, quia surdi sumus. Clamat Deus beneficiis continuis, maximis, plurimis, et tamen non excitamur. Clamat saepe etiam suppliciis, quae videmus quotidie, tam communibus, peste, fame, inundatione, quam privatis

multorum, qui etiam in hoc mundo dant poenas suorum scelerum.

Deberent igitur concionatores esse voces clamantis Dei et quasi tubae Dei. Tubae nihil suum dicunt, sed quod vult ille, qui tubam inflat. Quando concionator dicit suas cogitationes et vult laudari suam doctrinam vel eloquentiam, non est tuba Dei, etc. Debent igitur clamare, quod Deus clamat. Et sicut diabolus per creaturas incitat populum ad malum, ita debent illi per easdem trahere ad Deum; et sic de promissis et minis et beneficiis et suppliciis, declarando ista non casu evenire, sed ex providentia Dei, etc.

Dicitur tertio *vox clamantis in deserto,* quia licet Deus clamet, tamen ideo a plurimis non auditur, quia clamat in deserto, et nos sumus in medio turbarum. *Ducam,* inquit **Ose.* 2, 14, *eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius.* Itaque oportet observare praeceptum Domini, quo iubet, ut *intremus cubiculum, et clauso ostio in abscondito oremus Dominum,* **Matth.* 6, 6.

At, inquis, non habeo tempus! Imo habes, si vis. Nam cum habeas animam, corpus et negocia: deberet saltem tempus diei dividi in tres partes aequales: sed ego cedens infirmitati volo, ut des duodecim horas corpori, decem horas negociis; et duas tantum animae. Iniusta quidem divisio. Sed qui ne hoc quidem faciunt, putamus illos scire, se habere animam? (f. 71*v*) Sed quia dum prospere agimus, ebrii amore rerum temporalium, ne mediam quidem horam damus animae, nec in solitudinem istam ingredi volumus: ipse ex magna sua misericordia compellit nos in solitudinem, immittendo adversitatem, ut gravem morbum vel carcerem, vel amissionem divitiarum aut honorum, et ita deserimur ab iis rebus, quas dese-

151-156 At inquies... animam *cB*: Deberet omnis Christianus saltem unam horam diei seponere et attendere sibi. Nam cum anima sit nobilior corpore, maior pars temporis deberet dari animae. Tamen contenta esset, si media pars, imo si quarta aut quinta ei daretur. Qui saltem vicesimam quartam non vult dare, nimis iniustus est. *la.*

rere nolebamus ne cogitatione quidem. Itaque quia nolebamus ire ad desertum, desertum venit ad nos, et tunc aperiuntur aures, et auditur vox Dei clamantis in deserto. O quot perfecte conversi sunt in carcere, plectendi ultimo supplicio, qui antea numquam Deum audire voluerant. Hoc est quod dicit *Isaias* 28, 19: *Sola vexatio dabit intellectum auditui*, i. e. faciet aures cordis attendere verba Dei, etc.

* * *

Venio nunc ad illa verba: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*, ex quibus multa colliguntur utilissima documenta.

Primo Christus conversatus est usque ad annum trigesimum cum hominibus in summa humilitate, quia non cognoscebatur, qui esset, et putabatur esse non solum homo vulgaris, sed etiam vilis, ignobilis, fabri filius; et poterat quidem se prodere, ostendendo sapientiam (f. 72*r*) suam et potentiam: sed noluit assumere officium Messiae, nisi ab alio, id est a Ioanne, tamquam nuncio divino manifestaretur. Non egebat fieri rex et pontifex, quia iam erat factus a Patre, sed egebat solum declaratione. Et tamen noluit se ingerere in officium per se, sicut non se ingessit in dignitatem. Quantum distant ab hoc exemplo illi, qui usurpant sibi dignitates, et qui eas ambiunt et procurant, et se ostentant. Et ad tollendam omnem suspicionem, quod ipse procurasset a Ioanne declarari, divina providentia fecit, ut Ioannes usque ad annum trigesimum maneret in deserto incognitus: et Christus toto illo tempore numquam fuit in deserto, sed inter homines. Unde certum erat, Christum et Ioannem numquam inter se locutos.

Secundo: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*. Christus manet inter nos in suis vicariis. Nam omnes superiores gerunt vicem Christi, qui est supremus superior, et vult in illis agnosci et obediri. **Luc.* 10, 16: *Qui vos audit me audit; qui vos spernit, me spernit*. Item **Matth.* 10, 40: *Qui recipit vos, me recipit*. Unde Apostolos *ad Ephesios* 6, 5 hortatur servos, ut etiam gentilibus dominis obediant sicut Christo, id est agnoscant in illis et honorent personam Christi, et obediant fide-

liter, diligenter, ex amore et devote sicut Christo servirent. Accepit Apostolus id quod videbatur incredibilius. Nam non videbatur credibile dominum infidelem esse vicarium Christi respectu fidelium: et tamen, ut dominus, est vicarius Christi. *Obedite,* inquit, *dominis carnalibus in timore et tremore, sicut Christo;* et infra v. 7: *sicut Domino, et non hominibus.* Et *ad Colossenses* 3, 23 (f. 72*v*) loquens de eadem servitute: *Quodcumque,* inquit, *facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus, scientes quod a Domino recipietis retributionem haereditatis*: *Domino Christo servite.* O quanta esset pax et laetitia in mundo, si omnes subditi agnoscerent Christum in superioribus, et omnes superiores induerent affectum Christi erga subditos. Sed habemus Christum hoc modo semper in medio, sed non cognoscimus.

Tertio Christus medius inter nos stat, et non novimus eum, quia est in pauperibus suis. **Matth.* 25, 35-40: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare, etc. Quod uni ex his fecistis, mihi fecistis.* Et in signum huius rei saepe apparuit hominibus in specie pauperis, ut sancto Gregorio, sancto Francisco et aliis. Et de sancto Martino dixit: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Denique ipse vult reddere cum usura, quod damus pauperibus. Ergo ipse in pauperibus recipit.

Quarto. Christus est in medio nostrum in sanctissimo Sacramento, et non novimus eum, quia licet credamus, tamen si consideraremus et nosceremus, aliter honoraremus, magis frequentaremus, et cum maiori probatione. Sanctus Franciscus qui noverat, *flagrabat,* inquit Bonaventura, *erga hoc Sacramentum fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam* (f.73*r*) *charissimam dignationem et dignan-*

218 recipit: *sBe* Exemplum ex Prato Spirituali de muliere christiana, quae suasit marito gentili, ut daret pecunias ad usuram Christo in pauperibus etc.

215-216 Ioan. Diac., *Vita S. Gregor.* II 22: *Sur.* II 157; *ML* 75, 95. Cf. Greg. M., *Hom. in Ev.* 23, 2: *ML* 76, 1183. — Bonav., *Leg. maior* cap. 1. — Sulp. Sev., *Vita S. Mart.* 3: *ML* 20, 162, cf. *Brev. Rom.* die 11 nov.

228 Bonav., *Leg. maior* cap. 9.

tissimam charitatem. Ambrosius dicit, circa altare semper astare angelos et Chrysostomus dicit, fuisse visos angelos coram Sacramento demisso capite, etc.

Denique Deus est in medio nostrum, et non novimus eum, quia est praesens vere non solum corporibus, sed etiam cordibus nostris. Nam *in ipso vivimus, movemur et sumus.* Ipse videt cogitationes, desideria, etc. Ipse numerat gressus nostros, et potest ac vult punire mala et praemiare bona. *Ambula coram me,* inquit Deus ad Abraham *Gen.* 17, 1, *et esto perfectus,* i. e. habe me semper ante oculos, et perfecte vives. Quis enim auderet in conspectu principis aliquid mali facere? Et si crederet principem habere donum scrutandi corda, num auderet ipso praesente aliquid mali cogitare? O quanta laetitia est iustorum, qui certa fide cogitant, se habere Deum praesentem, qui omnia novit, et omnia potest. Quid timebit vim vel astutiam malignorum, qui secum habet Deum, omnia scientem et fortissimum? Contra, quas angustias pateretur peccator, si cogitaret Deum omnipotentem sibi iratum semper adesse? Ergo exerceamus hanc fidem, cognoscamus Christum in superioribus, in pauperibus, in Sacramento, in essentia sua immensa. Sic exercebimus obedientiam, misericordiam, devotionem, humilitatem, fiduciam, timorem sanctum, etc.

226-228 Ambrosius... etc. *Add. marg. vaga.*

226 charitatem: *sBe* Unde est, quod ita currimus ad videnda capita Apostolorum, quae tamen non videmus nisi inclusa in thecis argenteis? Quia credimus intra illas thecas vere esse sacra ossa. At certius est, intra species panis esse Christum integrum. Unde tam parum afficimur? Quia non consideramus, non exercemus fidem. Patres Concilii Nicaeni dicunt

233-235 Ambula... vives *cB*: Unde Basilius hortatur virginem, ut etiam de nocte clausa in cubiculo nihil faciat indecorum, quia semper videtur a Deo et ab Angelis.

---

226 Ambros., *In Luc.* I 21 et 28: *ML* 15, 1543 et 1545; *Hymn.* 74 de S. Mich.: *ML* 17, 1255.

227 Chrysost., *De Sac.* VI 4: *MG* 48, 681. Alia multa testim. vide apud Bell., *De Euch.* II cap. 22.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS

Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, omnis mons et collis humiliabitur. Et erunt prava in directa, et aspera in vias planas, *Isaiae 40, 3-4; Luc. 3, 4-5.

* APUG 384 f. 74*r* * 19 dec. 1599

Haec est concio Sti Ioannis descripta in evangelio hodierno, sed plenius in *Is.* cap. 40. Docet igitur Ioannes, ut qui vult Christo parare viam, et sic eum recipere, et frui eius beneficiis, debeat facere viam rectam, planam, angustam et solitariam.

De rectitudine sic loquitur: *Rectas,* inquit **Isaias* v. 3, *facite semitas*: et infra v. 4: *Erunt prava in directa.* Prodest autem rectitudo primo ad brevitatem, 2° ad pulchritudinem, 3° ad videndum terminum viae, quod multum prodest ad libenter ambulandum. *Iustum,* inquit *Sapiens* 10, 10, *deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.*

Addit de planitie v. 4: *Omnis vallis exaltabitur, omnis mons et collis humiliabitur.* Et infra: *erunt aspera in vias planas.* Prodest planities, tum ad commoditatem, tum ad pulchritudinem, tum ad videndum terminum.

De angustia viae dicitur v. 3: *Semitas Dei nostri.* Semitae enim sunt viae angustae, quae abbreviant iter, et sunt mundiores et securiores, quia per eas non eunt currus et equi, sed soli homines pedites. Denique quod via debeat esse solitaria, dicitur clare v. 3: *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Itaque non est via communis, vulgata, trita, per (f. 74*v*) quam multi incedunt, sed est via solitaria, per quam pauci vadunt, id est soli illi, qui vere cupiunt occurrere Christo venienti.

Primo igitur via debet esse recta: *Dirigite viam Domini.* Hoc est fundamentum totius vitae spiritualis, ut recta sit intentio. Via recta proprie est lex Domini. *Psalm.* 18, 8: *Iustitiae Domini rectae. Lex Domini immaculata.* Et ille ambulat per viam rectam, qui sequitur legem Domini. Et contra, etc. Sed ad rectam viam ambulandum, nihil magis necessarium, quam recta intentio, id est, cognitio et amor veri finis. Nam ex amore finis pendet electio mediorum. Et ideo dicitur *1 *Tim.* 1, 5: *Charitas finis praecepti,* et *Rom.* 13, 8: *Qui diligit, legem implevit,* quia charitas est amor veri finis, et dirigit intentionem ad verum finem. Hinc etiam dicit Dominus *Matth.* 6, 22: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit, et si fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit.* Quid intendunt homines ut plurimum? Alius ditescere, et quia ad hunc finem videtur prodesse praevaricatio legis, ideo non recte ambulant. Alius frui aliqua muliere, etc. Alius acquirere dignitatem, etc. At non isti sunt fines, nec verum bonum nostrum. Melius enim novit finem nostrum qui nos fecit, quam nos. Qui nos fecit Deus est, *Psalm.* 99, 3: *Ipse fecit nos, et non ipsi nos,* ut pulchre docet mater septem Macchabaeorum: *Non ego,* inquit II 7, 22, *membra vestra compegi, nec spiritum vobis dedi, *et animam donavi vobis et vitam, sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem.* Igitur qui nos fecit, quid dicit de nostro fine? *Faciamus,* inquit * *Gen.* 1, 26: *hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Finis et bonum imaginis est esse (f. 75*r*) simillimum exemplari, praesertim quando est pulchrum. Noster igitur finis et verum bonum est fieri similem Deo, et crescere in similitudine usque ad perfectam similitudinem gloriae. *1 *Ioan.* 3, 2: *Similes erimus ei, quia videbimus eum sicuti est.* O finis altissimus, fieri Deo similem in eo, quod illum beatum facit!

Huc igitur nostra intentio dirigenda est, et non solum in universali, sed etiam in particularibus operibus. Et ideo dicit: *semitas,* non semitam. Nam qui currunt non ad hunc finem,

61-63 et non solum... se mitam: *apim.*

quo velocius currunt eo magis errant, sicut nautae et sagittarii, etc. *Cur appenditis,* inquit *Isaias* 55, 2, *argentum vestrum non in panibus*? Quantum laborant homines pro transitoriis etc. Exemplum Augustini de canali aquae, qui conversus ad hortum, parit flores, fructus: conversus ad plateam, relinquit hortum aridum, perit aqua, et maculatur via, etc. Qui autem hunc verum scopum semper intuentur, et ad eum dirigunt omnes actiones suas, et firmiter resolvunt salvare animas suas, non obstantibus quibuscumque, illi recte ambulant. Et quid habent ex recta via? Habent illa, quae supra dixi: citius perveniunt, semper finem vident, et iucunde ambulant. Nam via non est longior pro illis quam sit vita praesens, quae brevissima est. Qui enim non recte ambulant, aut numquam perveniunt, aut si perveniunt, tarde perveniunt, quia coguntur ire per purgatorium, quae est via longissima. Nam unus dies ibi aequivalet multis annis huius vitae, et multi manent usque ad diem iudicii iuxta Bedam. Huius rei figura est, quod filios Israel poterat Deus ducere ab Aegypto in terram promissionis quatuor diebus, et voluit ut consumerent quadraginta annos. Semper autem finem vident, quia desiderium facit semper cogitare rem amatam, et bona conscientia facit confidere de ea obtinenda. *Ubi enim est thesaurus, ibi est cor,* **Matth.* 6, 21. Denique iucunde ambulant, nam *iustitiae Domini laetificantes corda,* **Psalm.* 18, 9. Nihil dulcius bene operari, etc. (f. 75*v*).

* * *

Secundo: via debet esse plana, quod fit deprimendo colles, et exaltando valles. Haec sunt duo impedimenta maxima,

67-69 Exemplum... via etc.: *apim vaga.*

80-82 Huius... annos: *apim.*

87 Operari etc.: *sBe* At qui diu errarunt a recta via, nunc tempus est, ut redeant in viam, instante anno sancto et Natali Domini, per veram contritionem et confessionem; et postea redimant tempus currendo velocius quam alii, etc.

---

67 Exemplum Augustini (?).

80 Beda, *In Ps.* 37: *ML* 93, 681.

praesumptio et desperatio, sive superbia et pusillanimitas. Aliqui praesumunt, se satis intelligere et bene vivere, contenti statu suo. Formant sibi conscientiam modo suo, et quia non agunt contra conscientiam sic a se formatam, videntur sibi securi. Similes sunt Pharisaeo *Luc. 18, 10, qui non videbat nisi opera sua bona, mala autem non cognoscebat, quia habebat conscientiam grossam. Sic v. g. aliqui accommodant conscientiam suam: Ego insumo multas pecunias in conviviis, in vestibus, in ludis; sed pecuniae illae sunt meae; nemini facio iniuriam. Item alius offensus ab aliquo iubet illum verberari, et dicit: Ille hoc meretur, sic debent mali male tractari, etc. Alius fraudat vendendo, et dicit: Hoc facio, ut me redintegrem; quia quando emo, fraudem patior. Denique alii sunt pleni ambitione, odio, invidia; et tamen quia non occidunt, non furantur etc., putant se bene vivere.

Isti sunt, de quibus dicit Dominus in evangelio *Ioan. 9, 39: *Ego in iudicium veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.* Vocat videntes illos, qui putant se esse satis instructos, etc. Unde dicit alibi *Ioan. 9, 41: *Si caeci essetis, peccatum non haberetis. Nunc autem dicitis: quia videmus. Peccatum igitur vestrum manet*, i. e. si agnosceretis vestram caecitatem, quaereretis illuminatorem, et sic curaremini; at quia putatis vos videre, manetis in vestra caecitate. De his dicit Dominus in *Apocalypsi* 3, 17: *Dicis: quia dives sum, et locupletatus et nullius egeo, et nescis quia tu es caecus et nudus et miser, et miserabilis.* Dum sumus in hac vita, numquam sumus pleni gratia, et ideo semper possumus et debemus proficere: unde qui non curat proficere, imo non esurit et sitit iustitiam, signum est clarum, quod non cognoscit se. Quomodo potest velle currere, qui non cognoscit se longe esse? Quomodo potest desiderare medicum, qui nescit se aegrotare? Quomodo potest velle mendicare, qui nescit se egere? (f. 76*r*)

Est alia praesumptio aliorum, qui agnoscunt se esse in malo statu, sed confidunt se habituros tempus emendationis in fu-

94-104 Similes... vivere: *apim.*

turo tempore; et aliquando abutuntur beneficio Dei ad eum gravius offendendum. V. g. dicunt: Instat annus sanctus, tunc visitando quatuor ecclesias mihi remittetur sive magnum sive parvum, ergo nunc volo indulgere carni meae quicquid desiderat. Similiter dicunt: Hoc peccatum est reservatum: tamen volo illud committere, quia in anno sancto potero absolvi per iubilaeum. Aliqui dubitant, si isti possint lucrari indulgentiam qui ea sic abutuntur. Sed non videtur mihi dubium, quin possit lucrari, si vere sit in gratia Dei. Sicut qui peccat spe absolutionis, vere postea absolvitur, si vere illum paeniteat peccati facti, et huius praesumptionis et tentationis Dei. Sed quis illum certum reddit, quod vivet usque ad tale tempus? Vel quod tunc habebit gratiam verae paenitentiae? Hoc enim est donum Dei iuxta Paulum *2 *Tim.* 2, 25: *Ne forte det illis Deus paenitentiam, *ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis.* Et sicut qui mortuus est, non potest excitari a se, ita etc. Et saepe Deus ob praesumptionem humanam tradit illos in reprobum sensum, etc. Exemplum ex *dialogis* Gregorii de eo, qui dicebat: *Inducias vel usque mane,* et alterius ex Beda, qui vidit locum suum in inferno, etc. Itaque in maximo periculo versatur, et non potest parare viam Domini, qui non humiliat istum montem praesumptionis.

Sed cavendum est ab altera parte praecipitium desperationis et pusillanimitatis. Aliqui enim non curant parare (f. 76*v*) viam Domini, quia iudicant nimis difficilem vel impossibilem sanctitatem. At non ita est, nam sicut sine gratia Dei nihil possumus, ita cum gratia Dei omnia posumus, imo qui deliberat serio agere, ita iuvatur a Deo, ut sit ei vitae perfectio iugum suave et onus leve. Exemplum de illo sene, de quo Pau-

127-128 quicquid desiderat: *sBe* Vel dicit: debeo confiteri in Paschate. Tam absolvar, si habuero 10 peccata, quam si habuero 100.

141-143 Exemplum... etc. *apim.*

---

141 Greg. M., *Dial.* IV 38: *ML* 77, 392-393. Cf. Bell., *De arte bene mor.* II 16. In exemplo moribundus rogat armisticium unius diei, quod negatur.

143 Beda, *Hist. Eccl.* V 14: *ML* 95, 254.

152 Paulin. Nol., *Epist.* 49, 1: *ML* 61, 399.

linus in *epist.* ad Machārium. Hic etiam posset ostendi exemplis sanctorum, qui erant infirmi ex se, ut nos sumus, et non habuerunt alia media quam ea, quae nos habemus, etc.

Itaque impleta ista valle per fidem et fiduciam, et depressis montibus superbiae et praesumptionis cum palis humilitatis et sancti timoris, fit via Dei plana, commoda, delectabilis. Et qui hoc non est expertus, credat expertis, tot sanctis, qui praecesserunt, qui semper laetissimi erant.

* * *

Tertio: Via debet esse angusta. Nam ideo vocatur *semita*. Nam, ut dixi, in hac via non eunt currus, equi, muli, sed soli homines pedites, et quisque fert suas sarcinas in humeris. Quid hoc significat? Viam Dei esse angustam, et, ut dicit B. Laurentius Iustinianus, neminem posse ingredi in caelum, nisi per sanguinis effusionem, ut martyres, vel per carnis macerationem, ut confessores. Via vitae nunc depingitur ut baiulatio crucis, nunc ut cursus ad bravium, nunc ut labor in vinea, nunc ut certamen cum inimicis: ita ut omnino laborandum sit. Et Apostolus universaliter dicit *2 *Tim.* 3, 12: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur.*

Et hoc est necessarium in omni statu. (f. 77*r*) Aliqui enim sunt pauperes, et habent onus paupertatis ferendum, patientes multa incommoda. Si pius est, patitur; si impius, incipit furari, fraudare, etc., et sic egreditur extra semitam. Aliqui sunt divites, et habent onus eleemosynae faciendae, quod multis est difficilius quam ipsa paupertas pauperibus. Nam debent pugnare cum avaritia et cum prodigalitate et cum superbia. Unde Paulus **Philipp.* 4, 12: *Scio,* inquit, *abundare et penuriam pati.* Nota illud: *scio abundare.*

Aliqui sunt subditi, et habent onus obedientiae, aliqui superiores, et habent onus sollicitudinis. *Qui praeest,* inquit Pau-

154-155 qui erant... quod etc. *cB*: quod ex omni genere potest homo ascendere ad perfectionem *la.*

165 BERN. IUST., *Vita S. Laur. Iust.* cap. 2: *Sur.* I p. 180.

lus *Rom. 12, 8, *in sollicitudine*. Si pius est superior, valde laborat in regimine, quia *pervigilat tamquam rationem redditurus *pro animabus, *Hebr. 13, 17. Si impius, non fert onus in humeris, sed sedet super suam dignitatem, et sic non sentit onus, et non ambulat per semitam. Et in via ista multi sunt: ideo Chrysostomus dicit paucos ex his salvari, etc.

Aliqui sunt iuvenes, et habent onus tentationum carnalium; aliqui senes, et habent onus infirmitatum variarum. Aliqui sunt aegroti, et habent onus dolorum; aliqui sani, et habent onus laboris; nam si de verbo ocioso reddemus rationem, quanto magis de totis diebus et mensibus ociose traductis? Aliqui sunt ignorantes, viles, contemptibiles et habent onus humilitatis: aliqui sunt docti, nobiles, potentes, et habent onus tentationis superbiae et elationis. Denique omnes habent onus supportandi alios; nam sumus animalia socialia, cogimur simul vivere, et tamen omnes sumus imperfecti, et habemus plures defectus, et ideo egemus patientia. Si vasa lutea aut vitrea nollent (f. 77*v*) se invicem supportare, sed unum impingeret in aliud, omnia frangerentur: ita et nos, etc.

At antea dictum est, viam Domini esse iucundam, planam, etc.! Respondeo, esse quidem angustam, sed iucundam, quia patientia affligit corpus, sed laetificat animam. Nihil est dulcius, quam libenter pati. *Superabundo gaudio*, inquit Paulus *2 *Cor.* 7, 4, *in omni tribulatione nostra*. Quia patientia est fructuosissima. At via impiorum videtur in superficie iucunda, sed re vera est amarissima, quia mali explent aliquatenus desideria carnis, quod videtur illis dulcissimum; sed plurimum laborant, ut illa expleant, et tandem non vere explent, quia nemo contentus in hac vita, et ex tot laboribus non expectant praemium, sed poenam. Unde dicent *Sap. 5, 7: *Ambulavimus vias difficiles;* et 5, 6: *Ergo erravimus a via veritatis.*

* * *

199 patientia: *sBe* Si pauper non vult pie vivere in Christo, incipit furari, fraudare etc.

---

187 Chrysost., *In Hebr.* cap. 13 hom. 34, 1: *ML* 63, 231.

Ultimo debet esse via solitaria; et est vere solitaria, cum sit angusta. Nam Dominus dicit **Matth.* 7, 13, quod multi ambulant per viam latam, quae ducit ad perditionem: pauci per viam angustam, quae ducit ad vitam. In quo admonemur, quod (f. 78*r*) qui volunt parare viam Domino, et illi occurrere, non debent respicere quid faciant multi, sed quid faciant pauci. Sciendum tamen est, quod sunt quaedam, in quibus conformare nos debemus communitati, ut sunt ea, quae sunt indifferentia, ut modus vestiendi, etc. Item quaedam, quae licet absolute sint bona, tamen in certo loco et tempore non sunt bona, sicut v. g. ieiunare die dominico non est bonum, nisi ex peculiari necessitate. Sicut etiam tempore Ambrosii et Augustini Romae ieiunabatur Sabbatho, Mediolani non ieiunabatur, i. e. ritus erat more Graecorum, ut non ieiunaretur. In his bonum est conformari locis, ne oriantur contentiones et scandala, et sic docent praedicti sancti. At in iis, quae constat esse bona vel mala, non oportet sequi exempla multorum praevaricantium, sed paucorum observantium. V. g. tolerare iniurias, et parcere offendenti bonum est, et a Christo et Apostolis verbo et exemplo demonstratum: in hoc non debemus ire per viam ordinariam, sed per viam solitariam. Sic etiam rogare veniam, quando nos offendimus alios, est praeceptum Domini, sed a rarissimis observatur. Et ideo in hoc eundum (f. 78*v*) est per viam solitariam. Idem dico de correptione fraterna facienda vel patienda. Idem de mulieribus velandis. Nam si qua nunc non ostendat capillos, et non ornet se quantum potest, videbitur nimis singularis. Tamen B. Paulus 1 *Cor.* 11, 5 iubet velari, et B. Petrus expressius 1 *Petr.* 3, 3: *Quarum*, inquit, *non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumentorum cultus; sed qui intrinsecus est cordis homo.* Sic enim ornabant se aliquando sanctae mulieres sperantes in Domino. Si qua igitur modeste incederet capillis tectis, ambularet per solitudinem sanctam, et vere pararet viam Domini.

226-228 AUG., *Epp.* 36, 12, 27 et 54, 2, 3: *ML* 33, 148 et 200. Cf. BELL., *De bon. oper. in part.* II cap. 18 de ieiunio Sabbathi.

Imitaretur enim viam paucarum, nimirum Sarae, Rebeccae, Iudithae, et ex nostris, sanctae Elisabethae, sanctae Kunegundis, sanctae Catharinae Genuensis, sanctae Birgittae et filiae eius sanctae Catharinae, quae fuerunt coniugatae et sanctissimae, quae ambiebant placere sponso interiori, et ideo ornabant se virtutibus, ut assimilarentur pulcherrimo Sponso, cum quo erant habitaturae in aeternum.

249-251 Vide bibliogr. hagiogr. in fine introd. gener.

SECTIO SECUNDA

SERMONES QUADRAGESIMAE

ANNI 1600

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

De tentatione et ieiunio

*APUG 384 f. 448*r* *19 febr. 1600

In his dominicis disseram de septem rebus, quae sunt propria huius temporis: de ieiunio, de oratione, de eleemosyna, de verbo Dei, de visitatione Ecclesiarum, de passione Domini, de resurrectione.

Nam hoc est tempus ieiunii, et ieiunium ordinatur ad orationem, et ideo hoc tempore multiplicantur preces in Ecclesia. Ieiunium quoque habet comitem eleemosynam, quia non oportet, ut ieiunium sit occasio avaritiae vel crapulae; sed quod homo subtrahit gulae, deberet dare pauperibus, ut dicit S. Leo. Unde Angelus dixit *Tobiae* 12, 8: *Bona est ora-*

2 tentatione et *add.*

4-20 In his... non diaboli *in codice expuncta*: Hodie tractabimus de tentationibus, et primo de tentatione diaboli, de quo in evangelio; 2° de tentatione Dei, quae est ieiunium Quadragesimae. *redactio posterior.*

6-7 passione... resurrectione *cB*: confessione et communione *la.*

13 Leo M., *Serm.* 13, 1: *ML* 54, 172.

tio cum ieiunio et eleemosyna. Verbum Dei quotidie auditur; visitantur etiam quotidie Ecclesiae propter stationes. Denique tota Quadragesima ordinatur ad recolendum mysterium Passionis et Resurrectionis.

Hodie dicemus de ieiunio, et erit ad propositum Evangelii **Matth.* 4, 1-11. Nam in Evangelio agitur de tentatione, et ieiunium est quaedam tentatio, sed Dei, non diaboli. Tentat enim diabolus, sed etiam Deus tentat. Unde dicitur in *Genesi* 22, 1: *Tentavit Deus Abraham,* et in *Deuteronomio* 8, 2: *Tentat vos Dominus Deus vester.* Et in libro *Sapientiae* 3, 5: *Deus tentavit eos.* Sed est maxima differentia. Nam diabolus tentat ad malum, et hoc est proprium eius officium. Nam *Deus intentator malorum est; ipse autem neminem tentat,* inquit *Iacobus* 1, 13. De diabolo autem dicitur in hoc Evangelio **Matth.* 4, 3: *Accessit tentator;* quia non habet aliud officium vel exercitium. Deus tentat ad bonum, (f. 448*v*) ut probet, quales simus, et augeat meritum. Et ideo cum diabolus tentat, resistendum est; cum Deus tentat, consentiendum est. *Resistite diabolo,* inquit *Iacobus* 4, 7, *et fugiet a vobis*: *appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Exemplum de hoste feriente et de chirurgo similiter feriente.

* * *

Quomodo sit resistendum diabolo tentanti docet Christus in Evangelio, in quo omnes tentationes repulit clipeo verbi Dei. *Scriptum est*: *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, Matth.* 4, 4. At videtur non esse conveniens remedium omni tentationi diabolicae verbum Dei. Qui enim tentatur tentatione carnis, melius pugnabit ieiunio, quam verbo Dei, et sic de aliis. Omnino convenientissimum remedium est verbum Dei, si intelligamus artem pugnandi. Idem est pugnare verbo et pugnare fide. Fides enim iuvat proponendo veritates, quae in verbo habentur. Quod autem fides

15-17 Denique... resurrectionis *cB*: denique omnes tenentur confiteri et communicare, ut notum est *la.*

sit scutum contra omnes tentationes dicit *Petrus* I, 5, 9: *Cui resistite fortes in fide;* dicit Paulus **Eph.* 6, 16: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere;* dicit Ioannes **1 Ep.* 5, 4: *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.* Protegit autem fides ponendo veritates fidei ante oculos cordis, ut dicitur in *Psalmo* 90, 5: *Scuto circumdabit te veritas eius.* Et Ioannes 8, 32: *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Omnis enim tentatio vel incutit timorem mali temporalis, vel proponit spem boni temporalis vel speciem boni spiritualis acquirendi, vel mali spiritualis vitandi. Sed fides resistit proponendo veritatem certissimam, quod qui cedit tentationi ob timorem mali temporalis, incidit in malum aeternum; et qui cedit ob spem boni temporalis (f. 449*r*) amittit bona aeterna. Sic martyres non timebant mortem temporalem, quia timebant aeternam, et maior timor exstinguebat minorem: sic etiam non amabant vitam temporalem, quia plus amabant aeternam. Denique contra ultimam tentationem proponit illud Apostoli: **Rom.* 3, 8: *Non sunt facienda mala, ut veniant bona.* Nunc autem etiamsi habeamus fidem, tamen succumbimus tentationibus, quia habemus scutum in arca, non in manu, non cogitamus, non persuademur, etc.

Ad sic pugnandum nos instruxit Christus in Evangelio. Tentavit eum diabolus occasione necessitatis, quia esuriebat, et in deserto nihil erat, quo fames pelli posset. Tentavit igitur illum, ut peccaret, quo se ab illa miseria famis liberaret. Quomodo tentat plurimos, ut consentiant in peccatum praetextu inopiae vel aliarum necessitatum. Quomodo etiam nunc multos tentat, ut non ieiunent praetextu debilitatis vel periculi, etc.

Sed quod peccatum erat facere panes ex lapidibus? Erat peccatum, quia erat miraculum non solum vanum, sed etiam perniciosum. Nam miracula fieri debent ad conversionem hominum, unde nascitur gloria Dei. Sic Moses eduxit aquam de petra, ut populus crederet in Deum. Sic de primo miraculo legimus: *Crediderunt in eum discipuli eius, et manifestavit gloriam suam, *Ioan.* 2, 11. Miraculum autem faciendi panem

ex lapide, non erat utile ad conversionem, quia solus diabolus erat praesens, qui est inconvertibilis. Et praeterea diabolus cupiebat certior fieri ex miraculo, an Christus esset vere Filius Dei, ut impediret redemptionem. Proinde miraculum fuisset perniciosum. Ideo Dominus qui videbat intentionem diaboli, neque dixit, se non posse facere miraculum, neque miraculum facere voluit, sed respondit, miraculum non (f. 449*v*) esse necessarium, quia Deo non desunt modi prøvidendi cibum servis suis. Quomodo quando populus erat in deserto, Deus non fecit panem ex lapide, sed nutrivit eum manna, etc. Sic debent christiani quando tentantur, ut fraudent, furentur, mentiantur, fornicentur, adulterent, ad hoc ut liberentur ab inopia vel aliis miseriis: debent armari fide, et dicere peccatum non esse bonum medium ad tollendam miseriam, tum quia ipsum peccatum est maxima miseria, quia facit inimicum Deo; tum quia qui confidunt in Deo, certissime liberantur ab omni miseria, quia Deus est omnipotens, et omnia videt. Et si ad tempus non liberat, id facit pro bono eius, qui patitur. Dat enim ei patientiam, quae est melior omnibus divitiis: et postea coronat vel in hoc mundo, vel in alio, vel in utroque, sicut fecit cum Iob, Daniele, tribus pueris, Susanna et aliis.

Secunda tentatio diaboli fuit incitatio ad peccatum ad obtinenda bona temporalia. Nam ostendit Christo omnia regna mundi, et ait v. 9: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Magna tentatio. Nam in regnis continentur divitiae, potentia, commoda, etc. Restitit Christus scuto verbi Dei v. 10: *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis.* Nam fides docet, unum esse verum Deum: proinde nihil ei anteponendum, cum ille sit verus auctor omnium bonorum: qui autem peccant, licet ore dicant, unum esse Deum, tamen factis dicunt contrarium. Unde Paulus **Coloss.* 3, 5 vocat *avaritiam idolorum cultum,* quia (f. 450*r* marg.) avari anteponunt pecuniam Deo: item dicit **Philipp.* 3, 19: *Quorum Deus venter est,* quia gulosi anteponunt Deo gulam. Item dicit **2 Cor.* 4, 4: *Deus*

101–126 Secunda tentatio... barbitonsore etc. *apim.*

huius seculi excaecavit oculos eorum, ubi vocat Deum huius seculi, dignitatem, honorem, etc. Fides ergo faciens penetrare unum esse solum verum Deum, has tentationes facile repellit.

Tertia tentatio (ut patet ex cap. 4° Lucae) fuit, ad obtinenda bona spiritualia: quae est gravissima tentatio, cum diabolus transfiguret se in angelum lucis, et suadet pericula peccandi sub specie gloriae Dei et lucri spiritualis. Sed respondit Dominus: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, etc. Sic multi, qui in statu humili poterant salvari, (f. 450*v* marg.) conantur ascendere ad episcopatum sub praetextu lucrandi animas, et perdunt se et alios, et sic vere mittunt se deorsum, licet videantur ascendere. Exemplum Cassiani de barbitonsore, etc. (f. 449*v* medio)

* * *

Venio nunc ad tentationem Dei. Tentat Deus christianos per ieiunium Quadragesimae. Olim tentabat Deus Ecclesiam per martyrium, **Sap.* 3, 5: *Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se.* At nobiscum mitius agit, sed qui non ostendit se fidelem in re tam parva, quid faceret in martyrio? Tentat autem Deus tripliciter, sicut tres fuerunt tentationes diaboli.

Prima tentatio est, ut probetur, an habeamus fidem et spem et charitatem. Magna tentatio. Fides enim dicit ieiunium Quadragesimae esse a Deo et utilissimum; (f. 450*r*) perfidia haereticorum dicit contrarium. Et quidem haeretici tum antiqui, ut scribit Epiphanius, tum moderni, ut probent se fideles suo magistro diabolo, non solum non ieiunant, sed etiam tunc maxime comedunt carnes, quando maxime ieiunandum esset. Quid igitur verus fidelis facere debet? Ostendere ex operibus fidem suam! Sic enim dicit sanctus Iacobus 2, 18: *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex*

---

[125] Cassian., *Coll.* 24, 13: *ML* 49, 1301. Tonsor audiens in alia civitate dari maiorem mercedem, illam adit; sed mox videt maiori mercedi correspondere multo maiora expensa.

[137] Epiphan., *Haer.* 75, 3 et 7; *MG* 42, 508 et 512.

operibus fidem meam: quasi dicat: potest quidem fieri, ut habeas fidem, etiamsi non facias opera conformia fidei; sed eam fidem non poteris ostendere, quia est mortua, et iacet in corde tamquam in sepulchro, nec potest foras prodire. At ego qui habeo fidem vivam, facio illam foras egredi per opera, et sic illam ostendo.

Spes christiana dicit, ieiunanti hic ad horam, aeternam satietatem certo reddendam in futuro, **Matth.* 5, 6: *Beati qui esuriunt, quia saturabuntur.* Unde omnes, qui vere sperant illud praemium per hunc parvum laborem, libentissime ieiunant; et qui dicit, se sperare, et tamen non vult ieiunare, mentitur. Deus igitur vult probare, qui sint qui vere sperant, etc.

Denique amor probatur in rebus difficilibus et contrariis naturae. Nam quando iubentur facilia et conformia naturae, non potest cognosci, utrum fiant ex amore proprio, an ex amore iubentis. Iubet igitur ieiunium Quadragesimae, ut tentet, an diligamus illum. Quis famulus sciens se tentari a Domino, (f. 450*v*) non sufferret omnem laborem, ut ostenderet suam fidelitatem? Certe Abraham et omnes sancti a Deo tentati omnem difficultatem superarunt, ut fideles in amore se ostenderent. Sed cur Deus ita nos tentat? Nonne scit quid sit in homine? Scit utique, sed vult sciri a nobis, et ab aliis. Ab aliis. ut glorificetur Deus, et ut ipsi honorentur, et ex bono exemplo multi iuventur; a nobis autem, ut det nobis incredibilem fiduciam et laetitiam. Nam *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris,* **Rom.* 5, 4-5.

Secunda tentatio est, ut probetur, an diligamus carnem magis quam animam , idest, an simus sapientes vel fatui, an cognoscamus pretium animae nostrae. Nam ieiunium amarum est carni, sed dulcissimum animae. Si nobis esset luctandum cum hominibus, qui corpus habent, oporteret corpus nutrire et roborare; at **Eph.* 6, 12: *non est nobis colluctatio contra carnem et sanguinem, sed contra principes et potestates, con-*

tra spiritalia nequitiae in caelestibus. Cum hominibus non est nobis lucta, quia cum omnibus pacem habere debemus, et cum Christo dicere **Ioan.* 15, 25: *Odio habuerunt me gratis;* et **Psalm.* 119, 7: *Cum his qui oderant pacem, eram pacificus.* At cum spiritualibus nequitiis luctandum, et ideo spiritus nutriendus et roborandus.

Spiritus autem nutritur et roboratur ieiunio multis modis. (f 451*r*)

1° Extenuando vires adversarii. Nam diabolus incendit mentem mediante carne. *Caro enim concupiscit adversus spiritum.* Ieiunium autem est subtractio lignorum, quibus ignis carnalis accenditur. Et ideo divina providentia hoc potissimum tempore ordinavit maiora ieiunia, quia in vere crescunt humores, et concupiscentia inflammatur. Hinc multi Sancti noluerunt umquam vesci carnibus, alii noluerunt bibere vinum, etc.

2° Disponendo ad contemplationem, quae est verus animae cibus. Nam vita animae est charitas. Cibus, unde haec vita alitur, est contemplatio veritatis divinae. Bonum enim cognitum est obiectum amoris. Hinc in caelo est vita aeterna, quia est charitas inamissibilis, et cibus, unde illa sine fine nutritur, sapientia perfecta, i. e. visio primae causae, quae visio sola satiat et sitim extinguit. Hic est cibus, de quo Angelus ad *Tobiam* 12, 19: *Ego cibo et potu invisibili utor.* Hinc *Ecclesiasticus* 15, 3: *Cibavit illum pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum.* Sed in hoc exilio **Rom.* 1, 17: *Iustus ex fide vivit,* i. e. ex contemplatione veritatum fidei. Hoc est manna de caelo pluens in deserto. Ad contemplationem nihil utilius ieiunio. Cibus enim gravat cerebrum, ut magis libeat dormire, (f. 451*v*) quam contemplari. Anima ieiunantis est sicut caelum serenum, et sicut apes fugantur fumo, inquit Basilius, ita apis caelestis sapientiae fugatur ex anima ob fumum crapulae. Hinc Moses contemplaturus Deum ieiunavit 40 diebus. Sic Helias. Sic omnes sancti Patres, et

209 Basil., *Serm. de ieiun.* I 11: *MG* 31, 184.

illi inprimis, de quibus Philo in libro *de vita theorica supplicum.*

3° Ieiunium est animae utilissimum, quia est meritorium, satisfactorium, impetratorium. De merito *Matth.* 6, 4: *Et pater in absondito reddet tibi.* Quid reddet? Aeternam saturitatem. *Luc.* 6, 21: *Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini.* Exemplum, si quis offerret multos modios tritici ei qui velit unum diem ieiunare, quis non libenter uno die ieiunaret, ut haberet cibum in totum annum? De satisfactione habemus exempla Ninivitarum, Achab et aliorum. Quis non libenter ieiunaret unam hebdomadam, si posset a dolore podagrae vel dentium liberari? etc. De impetratione, patet ex Daniele, Davide, Sara, Hester, Iudith, Anna, et aliis. Et ex illo *Matth.* 17, 20: *Hoc genus non eiicitur, nisi per orationem et ieiunium.* Horret, inquit Antonius apud Athanasium, piorum ieiunia diabolus.

Tertia tentatio est, ut appareat, an diligamus magis carnem sanam an aegrotam. Nam caro per ieiunium fit modesta, quieta, obediens spiritui. Exemplum Basilii de magistro intrante scholam puerorum, qui sua praesentia tumultum omnem continuo tollit. Item per ieiunium cibi sapidiores fiunt, etiamsi viliores: exemplum fratrum sancti Bernardi. Denique ieiunium facit, ut caro fiat spiritualis, et in resurrectione sequatur animam ad gloriam: crapula facit contrarium, etc. Suscipiamus igitur Quadragesimam libenter, ut scutum contra diabolum, ut mercatum lucrosum, ut nutricem bonorum desideriorum, etc.

---

212 Philo, *De vita contempl.* 3-4.

226 Athan., *Vita S. Anton.* 23: *MG* 26, 877.

230 Basil., *Ibid.* II 5: *MG* 31, 192.

233 Gulielm., *Vita prima S. Bern.* 1, 1: *ML* 185, 227. Mater S. Bernardi sex filios, omnes monachos futuros, et unam filiam, futuram sanctimonialem, « eremo magis quam curiae nutriebat, non patiens delicatioribus assuescere cibis, sed grossioribus et communibus pascens; et sic eos praeparans et instituens, Domino inspirante, quasi continuo ad eremum transmittendos ».

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

*De transfiguratione et oratione

*APUG 384 f. 452*r* *26 febr. 1600

In hoc evangelio *Matth.* 17, 1-9 intentio praecipua Christi est, persuadere nobis magnitudinem gloriae caelestis, ut eius desiderio superemus omnes difficultates sancte vivendi. Occasio vero fuit, quia paulo ante praedixerat passionem suam, et multas tribulationes Apostolorum.

* * *

Dixerat aliquando Dominus: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum, Matth.* 13, 43; ne putarent hanc esse amplificationem, hodie ostendit in suo corpore realem fulgorem instar solis. Nam *resplenduit facies eius sicut sol.* Nec sola facies resplenduit, sed totum corpus. Nam radii inde egredientes, et per vestes transeuntes faciebant vestes nive candidiores. Ex hac una dote debemus colligere omnes alias, quae sunt faciliores. Quae sunt etiam in sole, et erunt in nobis. Nam omnia bona, quae potest homo optare in corpore, sunt vita longa, sanitas, robur, agilitas et pulchritudo. Haec sunt omnia in sole, nam est incorruptibilis, impassibilis, summae agilitatis et roboris, cum sine fatigatione quotidie percurrat spacium incredibile, et denique sit pulcherrimus, ut dici soleat: est pulcher ut sol. In gloria habebimus vitam corporis aeternam; sanitatem talem, ut sit corpus impassibile; agilitatem, ut possit esse continuo ubi voluerit; robur, quia nihil ei resistet; (f. 452*v*) denique pulchritudinem summam, quae consistit in integritate et proportione membrorum cum suavitate coloris. Erit enim pro colore lux immensa. Colores enim eo sunt nobiliores, quo plus habent luminis, et ideo lux ipsa superat omnes colores. Priora quatuor aliquo modo experti

sumus, sed quintum, idest lucem, numquam; nec videbatur possibile, ut corpus terrestre luceret instar solis; ideo Christus hoc ultimum demonstravit, ut ex eo facilius crederentur caetera. Nec solum erit gloria corporum nostrorum aequalis gloriae solis, sed multo maior, quia sol non cognoscit suam pulchritudinem, neque ea delectatur: nostra autem corpora erunt vere animata, et omnibus sensibus iisque vivacissimis et purissimis praedita. Quando nihil aliud nobis Deus promitteret, nonne hoc esset multum valde? Nam si vita haec mortalis et tot aerumnis plena ita placet, quid faciet illa?

Sed tamen tota ista gloria nihil fere est ad gloriam animae. Est enim redundantia ex gloria animae, est umbra respectu corporis, accessorium respectu principalis, cortex respectu medullae. Ac ut per similitudinem corporis illam cogitemus, ut possumus, habebit anima beata illa quinque. Ac primum vitam longissimam et vere perpetuam. Nam si corpus naturaliter corruptibile per redundantiam gloriae animae fiet incorruptibile, ipsa anima quae naturaliter est incorruptibilis, non fiet per gloriam etiam supernaturaliter incorruptibilis? Deinde anima fiet sana et impassibilis, quia morbi eius sunt vitia (f. 453*r*) et peccata, passiones inordinatae: ira, timor, amor, odium, etc., quae tunc nulla erunt nec esse poterunt. Nam de Hierusalem dicitur **Psalm.* 147, 14: *Qui posuit fines tuos pacem.* Tertio habebit anima miram agilitatem, quae consistit in celeri discursu intellectus in rebus cognoscendis et penetrandis. Nunc enim multum laboramus, praesertim ascendendo ad superiora. Nam oportet per multas consequentias, quasi per gradus ascendere paulatim ad cognitionem, et multa occurrunt loca praerupta, quae transire non possumus. At in gloria summa facilitate penetrabimus omnes creaturas, et ascendemus cacumina montium, id est naturam angelicam et divinam, similesque erimus divinae sapientiae, de qua scribitur *Sap.* 7, 24: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.* Habebit potentiam summam, quia sicut unus angelus ad nutum occidit multa millia hominum

armatorum tempore Sennacherib *2 *Mach.* 15, 22; et tempore Pharaonis in Aegypto **Exod.* 12; et tempore Theodosii iunioris: ita poterunt animae, quando angelis aequales erunt. Denique habebit anima incredibilem pulchritudinem: nam sicut in corpore pulchritudo est integritas membrorum, cum proportione et suavitate coloris: ita in anima pulchritudo est 1° integritas virtutum, tum intellectus, tum voluntatis, quarum reginae sunt sapientia et charitas. Nam ubi istae sunt, omnes aliae sunt. Ibi erit summa sapientia, quia videbitur suprema causa omnium rerum; et ardentissima charitas.

2° Erit proportio et ordo. Nam sicut per sapientiam cognoscemus precium omnium rerum, et quantum distet creator a creatura; ita per charitatem amabimus omnia, sed ordinate, ita ut nulli creaturae subiiciamur, et haec erit *libertas gloriae filiorum Dei*, **Rom.* 8, 21.

3° (f. 453*v*) Erit in anima splendor mirabilis, qui erit veritas. Nam sicut color vel lumen facit res corporales visibiles, et complet pulchritudinem earum, imo est praecipua pars pulchritudinis, ita veritas facit spiritualia intelligibilia, pulchra et splendentia. Et sicut oculus delectatur pulchro colore et lumine, ita intellectus veritate. Hinc Deus est *Pater luminum*, **Iac.* 1, 17, et *lucem habitat inaccessibilem*, *1 *Tim.* 6, 16, quia est veritas incomprehensibilis; et animae gloriosae splendent mirabiliter, quia habent verissimam sapientiam et charitatem, non mixtam ignorantia vel amore proprio. Nos enim deformes sumus, quia vel caremus his virtutibus, vel habemus sine proportione, vel habemus non veras, sed apparentes, aut mixtas contrariis nebulis.

Sed dices: eruntne in paradiso bona externa? Erunt maxima. Divitiae enim verae sunt nulla re egere, et beatis erit *Deus omnia in omnibus* *1 *Cor.* 15, 28: honor ibi erit summus, quia erunt omnes filii Dei, reges et sacerdotes. Potestas ibi erit, quia poterunt quicquid volent; delectatio summa, quia unita erit potentia vivacissima cum obiecto amabilissimo arc-

---

[96] SOCRAT., *Hist. Eccl.* VII 18: *MG* 67, 777 ubi de Theodosio.

tissime. Sed quia haec non experimur, cogita, quod omnes divitiae, honores et deliciae huius mundi sunt quasi sordes vel putamina, quae proiiciuntur ex regno Dei, et dantur porcis, id est Turcis, Gentilibus, Iudaeis, malis Christianis. Si haec tanti fiunt, cum dentur inimicis, quid servat Deus amicis? Igitur credendum est, gloriam futuram fore maximam, et conformem gloriae corporali, quam in se Christus ostendit. Reliqua enim ostendi non poterant. (f. 454*r*)

* * *

Ad hanc beatitudinem omnes possumus pervenire; unum ex praecipuis mediis est oratio. Ideo Dominus, ut habetur *Luc.* 9, 28, voluit transfigurari, dum oraret. *Ascendit,* inquit, *in montem ut oraret, et dum oraret, facta est species vultus eius altera, *et vestitus eius albus et refulgens.* Multa nobis media ad salutem Dominus ostendit, sed nullum ita frequentari voluit ut orationem. Ait enim **Luc.* 18, 1: *Oportet semper orare, et numquam deficere.* Et alibi **Luc.* 21, 36: *Vigilate omni tempore orantes.* Cui concordat Apostolus *1 *Thess.* 5, 17: *Sine intermissione orate;* et *Ecclesiasticus* 18, 22: *Non impediaris orare semper.* Quae omnia significant, orandum quam frequentissime, et nullum negocium huic negocio anteponendum. Quod Christus exemplo suo ostendit, nam, ut ait *Lucas* 21, 37: *Erat diebus docens in templo, noctibus autem ascendebat in montem;* et 6, 12: *erat pernoctans in oratione Dei.* Idem faciebat David, licet occupatissimus, nam septies in die orabat, **Psalm.* 118, 164 et media nocte surgebat, v. 62. Idem Apostoli: **Act.* 6, 4: *Nos verbo et orationi instantes erimus.* Idem omnes Sancti, ut Martinus, Franciscus et alii. Et Sanctae ut Caecilia, quae non diebus neque noctibus a colloquiis divinis et oratione cessabat; ut amita sancti Gregorii, quae habuit calles in genibus sicut cameli.

---

125 Sulp. Sev., *Vita S. Martini* 26: *ML* 20, 175; Bonav., *Vita S. Franc.* cap. 10.

126 Sym. Metaphr., *Vita S. Caecil.* 2: *MG* 116, 163; *Sur.* VI 548.

127 Ioh. Diac., *Vita S. Gregor.* 38: *ML* 75, 150; *Sur.* II 186, ubi de Aemiliana, amita S. Gregorii.

Dum ergo oraret Dominus, haec illi contigerunt: 1° facta est species vultus eius altera; 2° vestes factae sunt candidae et fulgidae; 3° vidit Heliam et Mosem; 4° nubes obumbravit illum; 5° audivit vocem de caelo: *Hic est filius meus.* (f. 454*v*) Haec omnia contingunt bene orantibus. 1° Fit species ipsorum altera; nihil enim efficacius est ad mutandum hominem de carnali in spiritualem, quam oratio vera et assidua. Caetera media sunt exteriora; hoc est intimum. Exemplum de ferro, quod est nigrum, frigidum et durum, et in igne ita mutatur, ut fiat lucidum, calidissimum et flexibile instar cerae. B. Franciscus in singulis orationibus mutabatur in virum alterum. 2° Fiunt vestes candidae et lucidae, quia opera exteriora sunt pura, munda, aedificantia. Hoc est *induere arma lucis,* quia bona opera non solum tegunt hominem instar vestium, sed etiam defendunt instar loricae a calumniis malevolorum. *Obmutescere,* inquit *1 *Petr.* 2, 15, *faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Hoc etiam est *induere Christum,* i. e. ostendere in exteriori conversatione, quod Christiani sumus. 3° Videt Mosen, Heliam, Petrum et Ioannem, i. e. intelligit legem, prophetas, evangelium et epistolas. Mirum est, quantum illuminet oratio ad cognoscenda mysteria christiana. Exempla de sancto Antonio, Francisco, Bernardo, Thoma, P. Ignatio et aliis. Item orationi deditus non solum videt mysteria utriusque Testamenti, sed etiam vitia et virtutes; agnoscit spiritualis etiam minutissima peccata, ut in aqua pura videntur etiam lapilli et arenae; cum homines indevoti non videant magna peccata, etiamsi doctissimi sint, sicut in turbido fonte non videntur magni lapides. (f. 455*r*) 4° Operitur nube lucida, et sic non videt ea, quae sunt extra nubem, ut accidit Mosi loquenti cum Deo, **Exod.* 24, 16. Hinc homines orationi dediti non moventur prosperis vel adversis, quia sunt

130 BONAV., *Vita S. Franc.* cap. 10.

150–151 EVAGR., *Vita S. Anton.* 38: *ML* 73, 155; *Sur.* I 415-416; BONAV., *Vita S. Franc.* cap. 11; SURIUS, *Vita S. Thom.*: *Sur.* II 114-115; GAUFRID., *Vita S. Bern.* III 1: *ML* 185, 303; RIBADEN., *Vita S. Ignat.* I 7, cf. *Brev. Rom.* 31 iul. lect. 4ª.

intenti rebus maioribus, et illa quasi non vident. Qui non sunt intra illam nubem, vident assidue ista exteriora, et iis capiuntur etc. 5° Audit vocem divinam dicentem: *Hic est filius meus.* Nam habet certas coniecturas, quod sit amicus Dei, ex quo oritur indicibilis laetitia, praesertim in morte; oritur etiam fiducia impetrandi. Et haec est praecipua conditio necessaria ad impetrandum. Dicit enim Dominus *Marc. 11, 24: *Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis.* Hinc homo bene orans fit quasi omnipotens, ut dicit Chrysostomus. Exemplum de Elia, qui ausus est dicere *3 *Reg.* 17, 1: *Vivit Dominus, si erit pluvia nisi iuxta imperium oris mei.* Et quomodo hoc fecit? Orando. *Elias,* inquit *Iacobus* 5, 17, *similis nobis erat passibilis, et oratione oravit, ut non plueret annis tribus et mensibus sex; *et rursum oravit, et coelum dedit pluviam et terra dedit fructum suum.* Idem dici potest de Iosue, Isaia et aliis.

Sed non quaelibet oratio habet hos effectus, sed ea quae fit in monte, et quae habet alas volandi usque ad aures Dei. *Petitis,* inquit Iacobus 4, 3, *et non accipitis, eo quod male petatis.* Christus fere semper ad orandum quaerebat montes et nocturnum tempus, non alia de causa, nisi quia oratio vult solitudinem, quietem, collectionem. Quod si ille quaerebat loca remota (f. 455*v*) a distractione, quid nos facere oporteret, qui fere semper distracti sumus? Non tamen sufficit esse in monte, i. e. carere distractione, sed requiruntur alae sex, quot habent Seraphim, quia debet ascendere ad thronum Dei, ubi Seraphim volant. Duae alae sunt ieiunium et eleemosina, ut dicit Angelus ad *Tobiam* 12, 8: *Bona est oratio cum ieiunio et eleemosina.* De his partim diximus in prima Dominica, partim dicemus in quarta.

Aliae duae alae sunt spes et timor, sive fiducia et humilitas. Nam spes erigit animum ad Deum directe. *Postulet,* inquit *Iac.* 1, 6, *in fide nihil haesitans.* Humilitas erigit indi-

168 Cf. Chrysost., *contra Anom.* VII 7: *MG* 48, 766, et *In Matth.* cap. 17, hom. 57, 4: *ML* 58, 563.

recte, quia sicut chorda arcus quo magis deprimitur, eo maiori impetu emittit sagittam, ita oratio tanto altius penetrat, quanto ab animo magis humiliato emittitur. *Oratio,* inquit Sapiens *Eccli* 35, 21, *humiliantis se nubes penetrabit.* Sed praecipuae alae sunt consideratio et desiderium. Desiderium ardens est ala potissima; nam oratio est expressio desiderii; unde qui multum loquitur et parum desiderat, ille parum orat, licet multum orare videatur, *Psalm.* 9, 17: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Et nos saepe magis movemur ad iuvandum pauperem, qui nihil dicit, sed indicat se egere et desiderare, quam alios qui multum clamant. Sic Mosi nihil dicenti sed multum desideranti dixit Deus *Exod.* 14, 15: *Quid clamas ad me?* Consideratio accendit desiderium. Qui enim non considerat sua mala et quibus bonis careat, non potest desiderare. *Psalm.* 38, 4: *In meditatione mea exardescet ignis.* Itaque oratio est fumus aromatum; desiderium est ignis, unde fumus exhalat; meditatio est ventus, qui ignem excitat.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

De verbo Dei

Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, Luc. 11, 28.

*APUG 384 f. 456*r* *5 mart. 1600

Exercitia Quadragesimae sunt ieiunium, oratio, auditio verbi Dei, eleemosynae, etc. Diximus de ieiunio et oratione; nunc de verbo Dei. Dicam primo de excellentia verbi Dei; secundo de utilitate.

* * *

Excellentia verbi cognoscitur ex eo, quod officium praedicandi in Ecclesia est excellentissimum et primarium. Nam Christus fuit etiam ut homo summus Princeps totius mundi,

8 utilitate: *sBe* 3° de modo audiendi fructuose.

et caput non solum hominum, sed etiam angelorum. Haec nobilissima persona habuit pro officio principali et quasi unico praedicare verbum Dei. Quod patet tum ex Scriptura: *Luc.* 4, 18 et *Isaia* 61, 1: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Et ibidem in fine capitis 4, 43: *Evangelizare oportet me etiam aliis civitatibus. Nam ideo missus sum.* Tum ex vita eius. Nam non legitur aliud negocium exercuisse. Praedicabat in templo, in synagogis, in domibus privatis, in campis, in montibus, in desertis, in terra et in mari; multis, paucis, uni soli, ut Nicodemo, ut Samaritanae. Orabat etiam totis noctibus, et (f. 456*v*) miracula faciebat. Sed oratio erat praeparatio concionis, miracula erant confirmatio concionis. Quis iam erubescet concionari, cum hoc fuerit primarium officium primae personae totius mundi?

Post Christum non surrexit maior Ioanne Baptista; et hic etiam non habuit aliud officium quam praedicandi. Ideo enim dictus est *vox*, **Matth.* 3, 3. Apostoli sunt principes totius mundi, et ipsi dicunt **Act.* 6, 4: *Nos orationi et verbo Dei instantes erimus.* Et Paulus *1 *Cor.* 1, 17: *Non misit*, inquit, *me Christus baptizare, sed praedicare.* Denique proprium est hoc officium Episcoporum tamquam successorum Apostolorum. Alii enim praedicant de licentia Episcoporum, etc.

Praeterea cognoscitur excellentia verbi Dei ex ritu antiquo et moderno. Nam cum legitur Evangelium, omnes surgunt et caput aperiunt. Sic enim decet servos audire Domini verba. Olim dum fiebat concio, praedicator sedebat et totus populus stabat in signum quod praedicator loco Christi pronuntiabat verba Dei. Id patet ex Eusebio lib. 4 *de vita Constantini*, qui oblata sibi sede, noluit sedere. Dixit enim in Ecclesia se esse unum de populo. Item ex Augustino serm. 1 *de communi vita clericorum*, qui excusans prolixitatem, inquit: *Praesertim, quia ego sedens loquor, vos stando laboratis.* (f. 457*r*)

---

40 Euseb., *Vita Constant.* IV 33: *MG* 22, 1182.
42 Aug., *Serm.* 355, 2: *ML* 39, 1569.

* * *

Dixi de excellentia verbi praedicati: dicam etiam aliquid de excellentia verbi auditi et simul de utilitate. Nam Dominus *Luc* 11, 28, anteponit audire verbum Dei et custodire beatitudini matris et nutricis suae, quae eadem fuit. Nam de matre dicit Ecclesia: *Lactasti sacro ubere* et *Lactavit ubere de caeto pleno*. Certe maxima dignitas est beatissimae Virginis, quod Christum conceperit, et in utero portaverit et lactaverit. Dominus autem beatificanti uterum et ubera illa dicit *Luc. 11, 28: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*. Ubi Dominus non voluit negare matrem suam esse beatam, cum scriptum sit *Luc. 1, 31: *Invenisti gratiam apud Deum. Ecce enim concipies in utero, *et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum*, et *Luc. 1, 48: *Beatam me dicent omnes generationes*. Nec voluit anteponere ullum hominem matri suae, cum constet illam fuisse gratia plenam et benedictam inter omnes mulieres, et nunc exaltatam super omnes choros non solum hominum, sed etiam angelorum. Sed voluit dicere, matrem esse beatissimam, quia utrumque habebat. Nam et mater erat carne, et prae omnibus audiebat et custodiebat verbum Dei. Adeo enim semper corde audiebat et implebat, ut numquam peccaverit. Nihil enim est peccatum, nisi non custodire verbum Dei. Tamen si haec separentur, beatius est audire et custodire verbum quam esse matrem carne tantum, ut hic Dominus dicit, et exponit Augustinus *tract.* 10 *in Ioannem*. Unde *Matth.* 12, 50, *qui facit voluntatem Patris*, dicitur *mater, frater et soror* simul. Qui autem mater est carne tantum, non est nisi mater. (f. 457*v*) Esse matrem spiritu est concipere bona desideria, et illa parere per bona opera. Esse

67-184 Novam redactionem vide pp. 217-221.

50 VEN. FORT., *Misc.* VIII 4: *ML* 88, 265: *lactasti sacro ubere*; In *Breviario*: Comm. fest. B. M. V. ad laudes nova redactio: *lactente nutris ubere*. — *Brev.* in Circumc. Dom. respons. ad lect. VIII: *sola Virgo lactabat ubere de coelo pleno*.

69 AUG., *In Ioh.* cap. 2, tract. 10, 3: *ML* 35, 1468.

fratrem vel sororem est esse filium vel filiam Dei per gratiam. Sic enim sumus fratres Christi etc. Denique id patet ratione. Nam beatus est, qui habet quidquid vult et nihil mali vult, ut definit Augustinus. Quae solum esset mater Christi secundum carnem, non esset beata, quia multa ei deessent, quae desiderare posset. At qui audit verbum et custodit, vere beatus erit in coelo, et hic etiam spe beatus est et reipsa beatior omni temporali principe.

* * *

Iam de utilitate. Scriptura comparat verbum Dei semini ex quo renascimur, pani vel lacti ex quo nutrimur, et gladio quo defendimur. Magna est haec utilitas.

De semine. **Luc.* 8, 11: *Semen est verbum Dei.* **Iac.* 1, 21: *Suscipite insitum verbum,* id est seminatum in cordibus vestris, *quod potest salvare animas vestras.* Et sanctus *Petrus* I, 1. 23: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi.* Ut ex semine oritur germen, sic ex verbo Dei oritur fides in infidelibus et conversio a peccatis in fidelibus. (f. 458*r*)

Modus, quo ex verbo renascimur est, quia in infidelibus ex verbo oritur fides, **Rom.* 10, 14: *Quomodo credent sine praedicante*? et *Rom.* 10, 17: *Fides ex auditu*; in fidelibus ex verbo vivificantur fides et spes, quae in peccatoribus sunt mortuae. Nam *fides sine operibus mortua est,* inquit Iacobus 2, 26. Et de spe dicit S. Petrus I, 1. 3: *Regeneravit nos in spem vivam.* Tunc fides et spes sunt mortuae, quando non movent ad quaerendum quod credimus et speramus. Exemplum de eo, qui diceret se credere, esse in agro suo thesaurum, et speraret fodiendo facile se illum posse invenire, et tamen non moveretur ad inquirendum; vel si ore diceret, se credere domum ruituram, et timere mortem, et tamen non recederet, etc.

Vivificat verbum praedicatum, quando est similis grano

---

[77] Aug., *De Trinit.* XIII 5, 8: *ML* 42, 1020.

sinapis, ut Dominus comparavit, **Matth.* 13, 31. Nimirum externa specie est minimum omnibus seminibus, sed calidissimum et summae virtutis, quod producit arborem magnam. Talis est praedicatio simplex, sine ornatu, sine subtilitate, sed cum profertur cum maximo calore charitatis, id est cum desiderio salutis proximorum. Amor enim (f. 458*v*) est eloquentissimus. Exemplum de simplici Episcopo, qui in Concilio Nicaeno convertit philosophum etc. Et hinc est, quod etiam docti debent ire ad conciones, quia, licet ipsi possint per se intelligere Scripturas, tamen est quaedam energia in prolatione, quae non est in verbis scriptis. De Elia dicit *Ecclesiasticus* 48, 1, quod *sermo eius quasi facula ardebat.*

Secundo: verbum Domini comparatur pani sive lacti, I *Cor.* 3, 1: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Loquitur de mysteriis verbi Dei. Et *Amos* 8, 11: *Emittam famem in terram, non famem panis, sed famem audiendi verbum Dei.* Homo conversus ad Deum et iustificatus indiget nutrimento, ut conservetur in gratia. Nam sicut in vita naturali calor naturalis consumit humidum radicale, et ideo necessarius est cibus reparans humidum: sic in vita spirituali calor concupiscentiae, quae quodammodo naturalis dici potest sed naturae corruptae, semper consumere nititur ex se humorem gratiae. **Gal.* 5, 17: *Caro enim concupiscit adversus spiritum.* Ad conservandum humorem gratiae contra vim caloris concupiscentiae est refectio verbi Dei. Hoc enim est quod dicit propheta **Hab.* 2, 4, et ex propheta Apostolus **Rom.* 1, 17: *Iustus meus ex fide vivit,* id est: sustentatur in hoc exilio ex veritatibus fidei, quae habentur in verbo Dei. Ut v. g. verbum fidei docet nos, quanto amore nos (f. 459*r*) Deus prosequatur, quot beneficia faciat, quam multa Christus pro nobis passus sit. Amor autem accendit amorem, quia omnia suffert. Nam *in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos, *Rom.* 8, 37.

Vocatur autem verbum panis, non caro aut pomum etc., quia panis est cibus magis communis, magis necessarius, ma-

---

112 Rufin., *Hist. Eccl.* I 3: *ML* 21, 469.

gis sanus, minus satians quam ulli alii cibi. Aliae scientiae non possunt ab omnibus haberi, nec sunt ita necessariae, et cito fastidiunt; nec sunt ita sanae. Nam *scientia inflat*, *I *Cor.* 8, 1. Verbum Dei continet scientiam salutis utilissimam etc.

Tertio: Verbum Dei est gladius. *Et gladium*, inquit **Eph.* 6, 17, *Spiritus, quod est verbum Dei.* **Hebr.* 4, 12: *Vivus est sermo Dei et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Duae acies huius gladii sunt minae et promissa Dei, quae mirabiliter defendunt nos ab omni tentatione, nec solum repellunt ictus, ut facit scutum, sed occidunt adversarios. Omnes adversarii vel sunt timores inordinati, vel amores inordinati. Promissa et minae Dei bene consideratae occidunt amorem mundi et timorem mundi. Amas temporalia: maiora tibi promittit Deus. Times mala temporalia; maiora minatur Deus. At cur multi concionatores isto gladio tam parum proficiunt? Quia percutiunt gladio in vagina recondito. Nam gladius est sensus verbi, vagina est sonus verborum. Vel feriunt gladio verbi sui, non verbi Dei, et sic gladio ligneo. (f. 459*v*) Modus proficiendi ex verbo Dei habetur in parabola de seminante, *Matth.* 13, 1-23.

Tria sunt impedimenta. Nam aliquod semen non nascitur, quia statim comeditur a volucribus. Aliud nascitur, sed cito arescit, quia non profunde iecit radices. Aliud nascitur et crescit, sed non maturescit, quia suffocatur a spinis simul exortis. Primi sunt, qui cum audiunt concionem, non attendunt, quia vel venerunt ut videant et videantur, vel ut audiant aliqua curiosa, vel ut carpant praedicatorem. Saepe etiam praedicatores sunt in causa, quia praedicant nimis alta vel curiosa. Oportet ergo primum diligenter attendere animo proficiendi. Secundi sunt, qui attendunt, et concipiunt bona desideria, sed non ruminant, non penetrant veritates, et ideo qualibet accedente tentatione arescit semen. Tertii penetrant et serio perfectioni studere proponunt, sed occupationes aliae non dant iis locum cogitandi, quae Dei sunt. Ideo oportet

omnino resecare partem negociorum, et dare animae suam partem etc.

Posset etiam hic tractari de recidivo, explicando parabolam de spiritu exeunte ab homine, *Matth. 12, 43, quae tota metaphorica est. Sicut homo expulsus ab optima domo, non invenit requiem in locis desertis et inaquosis, et ideo redire conatur ad pristinam domum, et si forte inveniat vacuam, intrat cum sociis multis, ne iterum expellatur, ita etc. (f. 460*r*)

REDACTIO POSTERIOR EIUSDEM SERMONIS

Regulae 1-67 *ut in redactione prima.*

Tamen si haec separentur, beatius est audire et custodire verbum quam esse matrem carne tantum, ut hic Dominus dicit, et exponit Augustinus tract. 10 *in Ioannem*. Nam esse matrem Dei est maior dignitas et excellentia, quam audire et custodire verbum Dei. Sed audire et custodire verbum est maior bonitas et maius meritum, cui respondet maior gloria in caelo. (f 457*v*) Quomodo S. Augustinus dicit: *Qui magis amatur a Deo est felicior; qui magis amat Deum est melior*. Unde si daretur optio, an velis esse mater Dei et non audire verbum, an audire verbum et non esse mater Dei: hoc secundum esset eligendum.

Denique id patet ratione. Nam *beatus est, qui habet quidquid vult et nihil mali vult,* ut definit Augustinus. Quae solum esset mater Christi secundum carnem, non esset beata, quia multa ei deessent, quae desiderare posset. At qui audit verbum et custodit, vere beatus erit in coelo, et hic etiam spe beatus est. Et ideo Christus alibi dixit *Matth. 12, 50: *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse meus frater et*

---

69 Aug., *In Ioh.* cap. 2, tract. 10, 3: *ML* 35, 1468.
73 Aug., *In Ioh.* cap. 21, tract. 124, 4: *ML* 35, 1972.
79 Aug., *De Trin.* XIII 5, 8: *ML* 42, 1020.

soror et mater est, hoc est: non solum parturit me spiritualiter, sed etiam est frater meus, si est vir, et soror si est mulier, et proinde filius Dei, cohaeres meus etc.

* * *

Iam de utilitate. Scriptura comparat verbum Dei semini frumenti, ex quo nascitur in nobis vita spiritualis; pani ex quo ea vita nutritur; et gladio quo defenditur. Magna est haec utilitas.

De semine. **Luc.* 8, 11: *Semen est verbum Dei.* **Iac.* 1, 21: *Suscipite insitum verbum,* id est seminatum in cordibus vestris, *quod potest salvare animas vestras.* Et S. *Petrus* I, 1. 33: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi.* Ex verbo nascitur fides, **Rom.* 10, 14: *Quomodo credent sine praedicante*? Ex eodem verbo fides mortua excitatur et vivificatur. Peccator credit, sed non operatur iuxta fidem. Credit non furandum, et furatur; restituendum, et non restituit. Denique ita vivit ac si non crederet. Hieronymus *contra Luciferianos* ponit exemplum in oratione. « Assisto, inquit, ad (f. 458*r*) orationem. Non orarem, si non crederem. Sed si vere crederem, manibus tunderem pectus, lacrimis genas rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem etc. Nunc autem cursito per porticus etc. Ubi est fides? Siccine credimus orasse Ionam? sic tres pueros? sic Danielem inter leones? Sic certe latronem in cruce? » Verbum igitur excitat fidem, dum persuadet tibi in particulari, hoc tempore, non obstante qualibet difficultate necesse esse bene vivere etc.

Sed unde fit, ut tam multi seminent hoc tempore in agro Domini, et tam parum colligatur? Nam hoc semen in momento potest nasci. Culpa est partim in seminatoribus, partim in terra. Multi non seminant triticum, sed lolium, ut haeretici etc. Inter catholicos multi seminant triticum, sed mixtum multis quisquiliis. Nam verba exquisita et contexta, praesertim

---

101 HIERON., *Contra Lucif.* 15: *ML* 23, 178.

in exordiis, quisquilia sunt etiam iudicio prudentium gentilium. Similiter impertinentes invectivae in Pharisaeos; allegationes nimiae prophanorum auctorum; verba Scripturae detorta ad proprias imaginationes, non sunt pura semina. Itaque oportet concionatorem cogitare, quem effectum velit producere et tale semen adhibere. (f. 459*v*)

Ex parte auditorum triplex est impedimentum ut notatur *Matth.* 13. Nam aliquod semen non nascitur, quia statim comeditur a volucribus; aliud nascitur, sed cito arescit, quia non profunde iecit radices; aliud nascitur et crescit, sed non maturescit, quia suffocatur a spinis simul exortis.

Primi sunt, qui cum audiunt concionem, non attendunt, quia vel venerunt ut videant et videantur, vel ut audiant aliqua curiosa, vel ut carpant praedicatorem; vel dormiunt, vel loquuntur cum aliis, vel cogitant alia. Oportet ergo primum diligenter attendere animo proficiendi. Secundi sunt, qui attendunt et concipiunt bona desideria, sed habent cor plenum lapidibus; si possent servire Deo et non relinquere ambitionem vel concubinam, libenter converterentur; sed resistunt verbo et non sinunt radicari. Ideo oporteret pro illa hora esse indifferentem etc. Tertii penetrant, sed occupationes aliae non dant eis locum cogitandi, quae Dei sunt. Ideo oportet omnino resecare partem negociorum et dare animae suam partem etc.; sicut negotia non possunt impedire comestionem et dormitionem: ita etc. (f. 458*v*)

Secundo verbum Dei comparatur pani: **Eccli.* 15, 3: *Cibavit illum pane vitae et intellectus,* et *Amos* 8, 11: *Emittam famem in terram, non famem panis, sed famem audiendi verbum Dei.* Homo conversus ad Deum et iustificatus indiget nutrimento, ut conservetur in gratia. Nam sicut in vita naturali calor naturalis consumit humidum radicale, et ideo necessarius est cibus reparans humidum: sic in vita spirituali calor concupiscentiae, quae quodammodo naturalis dici potest sed

122 adhibere: *nB in calce f.* 458*r* vide in ultima pagina **; *nB in summa facie f.* 459*v* **Haec ponantur superius.

naturae corruptae, semper consumere nititur ex se humorem gratiae. *Gal. 5, 17: *Caro enim concupiscit adversus spiritum.* Ad conservandum humorem gratiae contra vim caloris concupiscentiae est refectio verbi Dei. Hoc enim est quod dicit propheta *Hab. 2, 4 et ex propheta Apostolus *Rom. 1, 17: *Iustus meus ex fide vivit,* id est: sustentatur in hoc exilio ex veritatibus fidei, quae habentur in verbo Dei. Ut v. g. verbum fidei docet nos, quanto amore nos (f. 459*r*) Deus prosequatur, quot beneficia faciat, quam multa Christus pro nobis passus sit. Amor autem accendit amorem, quia omnia suffert. Nam *in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos,* *Rom. 8.

Vocatur autem verbum panis, non caro aut pomum etc., quia panis est cibus magis communis, magis necessarius, magis sanus, minus satians, quam ulli alii cibi. Aliae scientiae non possunt ab omnibus haberi, nec sunt ita necessariae, et cito fastidiunt; nec sunt ita sanae. Nam *scientia inflat,* *I *Cor.* 8, 1. Verbum Dei continet scientiam salutis utilissimam etc. (f. 458*v marg.*)

Cur pauci concionatores proficiunt? Quia non dant panem, sed olera eloquentiae vel poma scientiarum humanarum, dum volunt videri theologi, philosophi, historici etc. Panis verus est scientia salutis, quae docet humilitatem, patientiam, charitatem etc. Hunc panem in sudore vultus sui acquirunt boni concionatores, impetrando illum a Deo lacrimis et orationibus ac meditationibus. Est etiam defectus in populo, qui non masticat, nec digerit hunc panem. Oportet post comestionem dormire, id est orationi et meditationi insistere (f. 459*r marg.*) et dicere intra se: « Suntne vera, quae audivi? certe verissima! Cur igitur non facio? » Ita fit homo fortis et pinguis, ut possit magna facere et magna onera ferre. Nunc autem videmur tam debiles, ut non possimus ferre quidquam etc. (f. 459*r*)

Tertio: Verbum Dei est gladius. *Et gladium,* inquit *Eph. 6, 17, *Spiritus, quod est Verbum Dei.* *Hebr. 4, 12: *Vivus est sermo Dei et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Duae acies

huius gladii sunt minae et promissa Dei, quae mirabiliter defendunt nos ab omni tentatione; nec solum repellunt ictus, ut facit scutum, sed occidunt adversarios. Omnes adversarii vel sunt timores inordinati, vel amores inordinati. Promissa et minae Dei bene consideratae occidunt amorem mundi et timorem mundi. Amas temporalia: maiora tibi promittit Deus. Times mala temporalia: maiora minatur Deus.

At cur multi concionatores isto gladio tam parum proficiunt? Quia percutiunt gladio in vagina recondito. Nam gladius est sensus verbi, vagina est sonus verborum. Vel feriunt gladio verbi sui, non verbi Dei, et sic gladio ligneo. (f. 459*v* marg.) Vel utuntur gladio ferreo, sed non habent vires ad illum movendum. Nam verbum Dei est *gladius spiritus,* **Eph.* 6, 17. Ideo spirituales illum bene tractant; carnales sunt veluti pueri. *I *Cor.* 14, 20: *Nolite effici pueri sensibus,* id est habentes sensum puerilem, magnifacientes res ludicras. Ardor Spiritus est eloquentissimus, ut apparet etiam in amore carnali matrum. Exemplum simplicis Episcopi in Concilio Nicaeno, teste Ruffino, qui philosophum convertit. Item exempla Antonii, Vincentii, Bernardini, quorum conciones scriptae simplices sunt, et tamen mire movebant. *Non in persuasibilibus *humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei,* *I *Cor.* 2, 4-5. Defectus in auditoribus, qui fuerint etc. (460*r*)

---

204 Rufin., *Hist. Eccl.* I 3: *ML* 21, 469.

205 De SS. Anton. Pad., Vincent. Ferr., Bernardin. Sien.: cf. supra pp. 123, 136, 135 et Bellarm., *De Script. Eccl.* in vocibus respectivis.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE

*De multiplicatione panum et mendicitate

* APUG 384 f. 604*r* . * 12 mart. 1600

Miraculum multiplicationis panum, quod bis fecit Christus, dum viveret mortalis, facit singulis annis multiplicando semina tritici et aliarum rerum, ut notat S. Augustinus. Nam etiamsi semina multiplicantur mediante actione solis, pluviorum, culturae humanae etc.: tamen hoc nihil detrahit de potentia Dei. Nam Deus posset, si vellet, per se et statim omnia facere, ut fecit tertia die mundi; sed voluit uti creaturis, ut honoraret creaturas, et ut ostenderet, se posse non solum producere, sed etiam dare creaturis vim producendi. Et tamen istae omnes creaturae nihil facerent, nisi Deus eas moveret. Idem Apostolus dicit *1 *Cor.* 3, 7: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Et David **Psalm.* 146, 8 de Deo: *Qui producit in montibus foenum *et herbam servituti hominum.* Et Christus in Evangelio **Matth.* 6, 30: *Si foenum agri Deus sic vestit.* Sicut igitur hodie Christus ex paucis panibus aluit quinque millia hominum et fecit ut superesset: sic Deus singulis annis ex paucis seminibus producit herbas, triticum et fructus, unde alantur omnia viventia totius mundi, et supersit ad iterum serendum.

Sed cum Dei providentia tanta sit, tamen videmus multos mendicos, qui vix ali possunt, et non raro multi fame pereunt. Unde hoc? Quid obscurat hoc magnum Dei miraculum? Hanc solam quaestionem hodie tractabo.

* * *

Non dubium, quin peccata hominum generalia vel particularia sint causa huius rei. (f. 604*v*) Deus enim facit cum ho-

1-243 Novam redactionem huius sermonis vide vol. V in Evang. dom. 6ae post Pentecosten. Cf. supra p. 156.

6 Aug., *In Psalm.* 90, serm. II 6: *ML* 37, 1164.

minibus, quomodo praelati cum servis, quibus dant contumaciam. Peccata generalia sunt peccata populi totius, ut est exemplum lib. 3 *Reg.* cap. 17 et 18, ubi fuit fames valida tribus annis ad verbum Eliae propter peccatum populi tolerantis prophetas Baal, quibus interfectis et populo converso ad Deum, venit pluvia etc. Sunt etiam peccata generalia peccata principum, quia illi sunt capita populorum. Exemplum 2 *Reg.* cap. 21, ubi fuit fames tribus annis continuis propter peccata Saulis regis, qui occiderat Gabaonitas contra iuramentum eis datum. Multa similia possent adferri de flagellis toti populo immissis propter peccata Heli, David, Achab et aliorum, et ideo debent populi valde orare pro principibus, ut denter nobis boni, et conserventur boni, *ut quietam vitam agamus*, ut Apostolus monet *1 *Tim.* 2, 2.

Peccata peculiaria sunt quattuor praecipue, ob quae multi fame affliguntur. Primum avaritia divitum. Divites saepe plus accipiunt et recondunt, quam debeant, sub colore, quod iis non sufficiet. Ideo Dominus hodie iussit dare quinque panes, quos solos Apostoli habebant. Divites sunt venae maiores in corpore, quae accipiunt sanguinem pro se et pro aliis minoribus; sed si sibi retineant totum, non mirum si aliae arescant. Et sicut oeconomus, si accipiat pro se nimis multum, quid mirum, si familia patiatur famem! Quod autem habeant pro se et pro aliis, et sint oeconomi, non domini absoluti, patet ex parabola villici iniquitatis; item ex forma iudicii, ubi Dominus dicit *'*Matth.* 25, 42, se puniturum eos, qui non pascunt esurientem, etc. (f. 605*r*)

Item Deus vult esse in mundo divites et pauperes, quorum alii sunt mendici, alii rustici, opifices etc. Vult esse divites et pauperes mendicos, ut sint inter homines misericordia et patientia. Et quia via divitum est facilior, Deus valde irascitur, quando ne sic quidem ambulant ad salutem aeternam. Vult etiam Deus esse in mundo divites nobiles et rusticos et opifices pauperes, ut sit in mundo charitas fraterna, et unus alio

[39] De Heli 1 *Reg.* cap. 3-4; de Davide II *Reg.* cap. 24; de Achab III *Reg.* cap. 21.

indigeat. Nam si essent omnes divites, vel omnes pauperes, non esset dependentia ab invicem; et quamvis videantur pauperes magis indigere divitibus, tamen contrarium est verum. Chrysostomus recte dicit, quod si essent duae civitates, una solos habeat divites et nobiles, altera solos pauperes opifices; prima non posset durare, secunda posset. Itaque pauperes rustici et opifices sunt quasi pedes in corpore reipublicae humanae; pedes enim portant totum corpus et terram calcant. Sunt etiam sicut radices in arbore, quae sunt semper oppletae humo et deformes, et tamen ipsae mittunt succum ramis altis, frondibus et floribus. Quaedam magna princeps semper orabat pro suis benefactoribus. Interrogata, quos haberet benefactores, cum in tam alto loco esset, respondit rusticos et opifices esse suos benefactores, qui suis sudoribus faciebant illam abundare divitiis et deliciis.

Ideo peccatum est maximum, et in Deum clamans, quando divites fraudant aut retardant mercedem operariorum. Et Scriptura maxime reprehendit vitium avaritiae. *Eccli.* 10, 9: *Avaro nihil est scelestius, nihil iniquius quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet.* (f. 605*v*) Nihil iniquius, quia vendit animam pretiosissimam pro pretio vilissimo. Nihil enim vilius pecunia. Unde Dominus in Evangelio **Matth.* 16, 26: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua*? Id est: si velit animam perditam recuperare, nihil dignum inveniet. Et Apostolus **Ephes.* 5, 5, vocat avaritiam *cultum idolorum,* quia sicut idololatrae relinquunt Deum pro re vilissima, id est pro idolo, quod est falsa imago, ita avarus relinquit Deum pro re vilissima.

Contra hoc vitium habemus exemplum hodie in Evangelio, **Ioannis* 6, 1-15. Nam cum non haberet Dominus nisi quinque panes, qui vix sufficiebant familiae suae, tamen liberaliter distribuit, et non solum eos non perdidit, sed lucratus est duodecim cophinos plenos panibus. Ita ostendit avaros semper egere, liberales semper abundare.

---

[65] Chrysost., In 1 *Cor.* hom. 34, 5: *MG* 61, 292.

Secundum peccatum est prodigalitas divitum, qui dant, quibus non debent; ideo non habent, ut dent quibus debent. Similes sunt arboribus et vitibus, quae humorem suum consumunt in multis superfluis ramis et frondibus producendis. Semper fuit hoc vitium in mundo, ut magnates profuderint in superfluas pompas cum maxima iniuria pauperum, ut notant Basilius, et Bernardus et alii sancti Patres.

Diximus pauperes esse quasi pedes huius corporis reipublicae. Sicut autem turpe esset videre hominem toto corpore sumptuose et delicate indutum, et nudis pedibus incedentem: ita etc. Ad hoc vitium detestandum Dominus iussit colligi fragmenta, ne perirent. Dominus coeli et terrae, cui tam facile erat multiplicare panes, tamen noluit superflua negligi. Quomodo passus esset res necessarias pauperibus consu(f. 606*r*)mi in pompas inutiles? Ac praesertim bona Ecclesiae, quae sunt data pro salute animarum eorum qui dederunt, pro restauratione ecclesiarum, pro victu moderato ministrorum Dei et pro pauperibus, non debent expendi in ditandis cognatis neque in pompis superfluis. Alioqui *mors in olla* *4 *Reg.* 4, 40, ut dicit Bernardus in *declamatione*.

Tertium peccatum est superbia pauperum. Nam pauperes multi volunt vivere more divitum, non contenti statu suo. Ideo quod tarde lucrantur, cito consumunt. Multi quod lucrantur una hebdomada, consumunt uno die in taberna. Opifices volunt videri nobiles et praesertim eorum uxores. Ideo Dominus hodie, quia erat daturus prandium pauperibus, licet posset facere sumptuosissimum, non dedit nisi panem hordeaceum et partem piscis. De vino nulla mentio. Mensa parata fuit sine linteis super viride fenum. Sic etiam in deserto Deus dabat manna de coelo et aquam de petra, quia non dat superflua Deus, sed solum necessaria. Si hanc frugalitatem imitarentur pauperes, non essent tam pauperes, ut modo sunt.

Quartum peccatum est ignavia pauperum, qui possent la-

---

103 BASIL., *Hom. in divites* 4: *MG* 31, 288; BERNARD., *De mor. et off. Episc.* II 17: *ML* 182, 815.

116 BERN., *Declam.*, ed. Par. 1548, fol. 284*B*; apud GAUFRID., *Declam.* 16, 19: *ML* 184, 448.

borare et nolunt. Isti enim furantur eleemosynas verorum pauperum. Unde Apostolus *2 *Thess.* 3, 10: *Qui non laborat, non manducet.* Et ideo ipse non solum hortatur ad laborandum, sed voluit vivere ex proprio labore, quamvis non teneretur. Et ideo Dominus non pavit turbas nisi quando erant in deserto et non poterant suo labore acquirere victum. Magnum est hoc vitium et Deo valde displicet, qui vult omnibus providere, sed per laborem ipsorum etc. (f. 606*v*)

Quintum peccatum est diffidentia tum pauperum, tum divitum. Nam pauperes non confidunt in Deo, sed in suis fraudibus; (f. 606*r* infra) ideo Deus sinit illos egere. Nam Deus promisit in infinitis locis, quod non deseret sperantes in se. Et David in *Psalmo* 36, 25: *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem.* « At quam multi iusti quaerunt panem! » Lazarus mendicus non quaerebat panem; (f. 606*v*) nec solum Dominus saepe dixit se provisurum amicis suis, sed etiam dignatus est ratione ostendere, ut omnino confidamus. Alicubi dicit **Luc.* 12, 28: *Si Deus vestit fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, quanto magis vestiet corpora vestra.* Item **Matth.* 6, 25: *Corpus plus est quam vestimentum.* Si Deus dedit vobis corpora, cur non dabit vestes? Item **Matth.* 6, 26: *Deus pascit aves, quae non semunt, neque metunt,* cur non magis pascet vos? Si dedit vitam, cur non dabit cibum, quod est minus? Item **Luc.* 12, 7: *Deus numeravit omnes capillos vestros.* Ergo signum est, quod habet maximam curam vestri, et scit quibus rebus egeatis. Denique **Luc.* 12, 32: *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Quomodo non dabit victum et vestitum? Quis pater dives et diligens filium et servans illi hereditatem, sinit eum fame mori? Ergo pauperes qui fame pereunt, non quaerunt regnum Dei, non sunt iusti, non confidunt in Deo. Nisi forte Deus id permittat aliquando, ut coronet patientiam; sicut permisit occidi sanctos, quia hoc illis melius erat.

Divites quoque non confidunt in Deo; sed timent, ne si dent pauperibus, incipiant ipsi egere, et ideo parcius dant quam oporteret. Personam horum diffidentium gessit Philippus, qui

interroganti Domino: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* respondit: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque eorum modi-*(f. 607*r*)*cum quid accipiat.* Sed Dominus, ut ostenderet fidendum esse in Deo, non solum pavit omnem illam turbam, sed etiam fecit superesse duodecim cophinos. Atque ita, qui videbatur amisisse septem illos panes, lucratus est duodecim cophinos plenos panibus. Et quod Dominus exemplo ostendit, docuit antea per Salomonem, *Proverb.* 19, 17: *Feneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Et cap. 28, 27: *Qui dat pauperibus, numquam egebit.* Quam clara promissio! Et tamen homines diffidunt. Basilius in *oratione ad divites* comparat divitias puteis. Nam si aquae hauriuntur, puriores et copiosiores profluunt; si non hauriuntur, putrescunt et decrescunt. Exempla plurima apud Leontium in *vita Ioannis Eleemosynarii*, et in *Prato spirituali* cap. 185 et 201.

* * *

Sed hoc minimum est inter bona eleemosynae. Nam nullum fere opus habet in Scripturis maiora promissa. *Tob.* 12, 8 Angelus dicit *melius esse facere eleemosynam quam thesauros auri recondere.* Et reddit rationem, quia eleemosyna a morte liberat, purgat peccata et facit invenire vitam aeternam. Et Tobias ipse cap. 4, 11 addit, quod *eleemosyna non patietur animam ire in tenebras.* Et *Ecclesiasticus* cap. 3, 33: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Et Dominus in evangelio *Luc.* 11, 41: *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis.*

Sed non significant hae Scripturae, hominem impoenitentem per solam eleemosynam salvandum, quia sine charitate Dei, cum qua nullum peccatum stare potest, nemo salvari potest, etiamsi distribuat omnia sua pauperibus, ut dicitur 1 *Cor.* 13, 3. (f. 607*v*) Facit autem eleemosyna illa omnia tribus modis:

---

176 Basil., *De div. et paup.*, serm. V 1: *MG* 32, 1168.

179 Leont., *Vita S. Ioh. Eleem.*: *MG* 93, 1613; *ML* 73, 341.

180 Moschus, *Prat. Spir.* cc. 185 et 201: *MG* 87 III, 3057 et 3089; *ML* 74, 214 et 229.

Primo tollendo impedimentum conversionis et salutis. Nam radix omnium malorum est cupiditas, graece φιλαργυρία. Et hoc significant illa verba *Luc. 11, 41: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* Sicut si medicus videret aegrotum moriturum, quia non vult abstinere a potu vini, et diceret: « Abstine a vino et sanaberis ». — Secundo disponendo ad gratiam. Est enim unus ex fructibus poenitentiae, et quidem maximus. Nam Deus miseretur valde misericordibus, quia videt similes sibi. Ideo dicit *Tobias* 4, 11: *Non patietur animam ire in tenbras.* Exemplum mirabile Petri Telonarii apud Leontium in *vita sancti Ioannis Eleemosynarii,* quem Deus mirabili providentia ex avarissimo fecit sanctum. — Tertio satisfaciendo pro poena temporali. Ideo dicit *Ecclesiasticus* 3, 33: *Sicut aqua exstinguit ignem, *et eleemosyna resistit peccatis.* Aqua baptismi exstinguit ignem inferni; aqua eleemosynae ignem purgatorii. — Quarto merendo vitam aeternam, ut patet *Matth.* 25, 34: *Venite benedicti *Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Et ideo dicit Angelus *Tob. 12, 8 *meliorem esse eleemosynam quam thesauros auri recondere.* Exemplum Troili Episcopi in *vita Ioannis Eleemosynarii,* qui triginta libris datis pauperibus rogatu Ioannis Eleemosynarii, aegrotavit prae dolore, deinde redditis sibi a Ioanne reconvaluit. Postea in visione vidit palatium mirabili cum inscriptione: *Mansio et requies aeterna Troili Episcopi.* Et postea vidit deturbari titulum et scribi: *Mansio et requies aeterna Ioannis, quam emit triginta libris* etc. — Quinto, acquirendo multos amicos, qui orent pro nobis, iuxta illud *Luc. 16, 9: *Facite vobis amicos *de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Iac. 5, 16: *Multum enim valet oratio iusti,* etc.

Sed eleemosyna, ut habeat hos magnos fructus tempora-

---

206 Leont., *Vita S. Ioh. Eleem.* 21: *MG* 93, 1633; *ML* 73, 356: Petrus Telonarius avarissimus dives, cum lapidem invenire nequeat, panem iaculat in pauperem. Propter hunc actum involuntarium misericordiae monitus in somno, convertitur.

216 *Ibidem* cap. 26: *MG* 93, 1639; *ML* 73, 363.

les et spirituales, debet habere suas conditiones. 1° Ut fiat intentione placendi Deo, non propter vanam gloriam, *Matth. 6, 2: *Noli tuba canere ante te* *sicut hypocritae faciunt in synagogis et in vicis ut honorificentur. 2° Ut fiat prompte. *Facile tribuere,* inquit Apostolus 1 *Tim.* 6, 18. Non debet eleemosyna extorqueri precibus. 3° Ut fiat cum gaudio, 2 *Cor.* 9, 7: *Hilarem datorem diligit Deus.* 4° Ut fiat humiliter. Nam, ut dicit S. Gregorius lib. 21 *Moralium,* eleemosyna non debet dari ut inferioribus, sed ut superioribus, qui nos recipiant in aeterna tabernacula. 5° Ut fiat abundanter, ut *sit benedictio, non avaritia,* ut ait Apostolus *2 *Cor.* 9, 5. 6° Ut fiat prudenter, dando potius multis parum quam paucis multum, 2 *Cor.* 9, 9: *Dispersit, dedit pauperibus*; *Isaiae* 58, 7: *Frange esurienti panem tuum* *et egenos vagosque induc in domum tuam.* Tamen aliquando bonum est multum uni dare, ut pro dote etc. Denique charitas et prudentia in hoc opere necessariae sunt.

DOMINICA QUINTA QUADRAGESIMAE

De Passione Domini

* APUG 384 f. 460*r* * 19 mart. 1600

Dicam de sapientia Dei, quae lucet in passione Domini, et de fructibus, qui ex ea colliguntur.

* * *

Sapientia colligitur ex eo quod hic tria contraria uniuntur, summa innocentia, summa poena, iustissimus et sapientissimus iudex. Nam poena debet correspondere culpae: magnae culpae magna poena debetur; parvae parva, nulli nulla.

1-8 Dicam... iudex *cBp*: Quatuor mirabilia coniunguntur in passione Christi: summa innocentia, summa poena; iustissimus iudex et sapientissimus iudex. *Ia.*

235 GREG. M., *Moralia* XXI 19, 30: *ML* 76, 207.

At hic coniungitur nulli culpae, imo summae innocentiae summa poena. Sed quando id fit, solet fieri ex iniustitia iudicis; at hic iudex primarius fuit iustissimus, licet secundarii Caiphas et Pilatus fuerint iniqui. Denique potest fieri, ut iustus iudex damnet innocentem ex mala informatione deceptus: at hic iudex primarius non solum decipi non potuit, sed sententiam illam protulit, ut iustitiam et sapientiam suam ostenderet. Nihil igitur mirabilius inveniri potest Christi passione. Augustinus libro 9 *Confessionum*: *Non satiabar in illis diebus considerare altitudinem consilii tui super salute generis humani.* Et Leo *serm.* 11 de passione Domini: *Inter omnia opera Dei, in quibus humanae admirationis fatigatur intentio, nihil magis contemplationem mentis nostrae oblectat et superat, quam passio Salvatoris.*

Primo igitur Christum fuisse innocentissimum supra omnem creaturam colligitur ex evangelio huius diei. Nam Dominus ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato*? Sciebat Dominus, se a Iudaeis in absentia reprehendi, quod non servaret Sabbatum, quod manducaret cum peccatoribus, etc. Sed sciebat etiam, illos nihil probare posse, et contra conscientiam loqui; ideo fiducialiter dicit: *Quis ex vobis* **arguet me*?

Sed habemus praeterea testimonia innocentiae eius ab angelis, a prophetis, ab apostolis. Angelus *Dan.* 9, 24 vocat eum *Sanctum sanctorum.* Idem Angelus *Luc.* 1, 35 dicit: *Quod nascetur ex te sanctum.* (f. 460*v*) Prophetae omnes Messiam sanctum futurum praedixerunt, ut dicit sanctus Hieronymus in illa verba *Matthaei* 2, 23: *quoniam Nazareus vocabitur.* Et in specie *Isaias* cap. 53, 11: *Iustificabit ipse iustus servus meus multos*; et *Hieremias* cap. 23, 6: *Vocabitur nomen eius*:

11 iniustitia iudicis: *sBe* vel ignorantia
12 iustissimus: *sBe* et sapientissimus
13 iniqui: *sBe* et ignorantes
18-23 Augustinus... Salvatoris. *apim.*

18 Aug., *Conf.* IX 6, 14: *ML* 32, 769.
20 Leo M., *Serm.* 62, 1: *ML* 54, 350.
35 Hieron., *In Matth.* 2, 23: *ML* 26, 29.

Dominus iustus noster. Summus Prophetarum Ioannes Baptista non semel dixit **Ioan.* 1, 29 et 36: *Ecce Agnus Dei,* quia innocentissimus erat non solum coram hominibus, sed etiam coram Deo, proinde verissime innocens. Apostolus Petrus: *Qui peccatum,* inquit I, 2, 22, *non fecit.* Denique Paulus *ad Hebraeos* 7, 26: *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus.* Sanctus, quia non peccavit mortaliter; innocens, quia nec venialiter; impollutus, quia nec originaliter; segregatus a peccatoribus, quia non potuit peccare, ne originaliter quidem; excelsior caelis factus, quia id habet ex natura, non ex gratia, in quo est excelsior et sanctior angelis beatis.

Addo testimonium, in quo conveniunt Angeli, Prophetae et Apostoli. Nam Angeli semper clamant Deo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: hoc canticum refert se audivisse *Isaias* cap. 6, 3; et exponit Apostolus *Ioannes* cap. 12, 41 in illo cantico laudatum esse Christum, ut secundam personam Trinitatis: *Haec,* inquit, *dixit Isaias, cum vidit gloriam eius, et loquutus est de eo.* Adde etiam testimonium adversariorum. Nam et Nicodemus dixit nomine Iudaeorum omnium, **Ioan.* 3, 2: *Scimus, quia a Deo venisti Magister.* Et Pilatus **Ioann.* 18, 38 et 19, 4: *Non invenio in eo causam*; et *sciebat, *Matth.* 27, 18, *quia per invidiam tradidissent eum.* Et Iudas **Matth.* 27, 4: *Peccavi tradens sanguinem iustum.* Itaque pharisaei ob invidiam, Pilatus ob timorem Caesaris, Iudas ob avaritiam, nemo ob demerita Christum persequutus est. Merito ergo dicebat *Ioh.* 8, 46: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Nunc ad acerbitatem passionis. Primo fuit ultimum supplicium; nam scelera puniuntur poena pecuniaria, exilio, ignominia, verberibus, sed maximum et extremum est mors. Secundo fuit supplicium ulti-(f. 461*r*)mum et infamissimum atque acerbissimum, nimirum crucis. Tertio fuit Dominus sine

---

52–58 Addo... de eo. *apim.*

processu, sine defensione, spacio paucarum horarum accusatus, iudicatus, damnatus. Quarto in civitate regia, in primo die Paschae, in meridie, in summa frequentia populi, inter latrones: quae solent fieri solum summe et notorie criminosis. Item passus est in corpore, in anima, in parente, in amicis, in honore, in facultate. Denique passus a viris, a feminis, a regibus, a sacerdotibus, a militibus, a servis etc.

Sed haec extrinseca sunt, quamvis maxima: sunt alia intrinseca et maiora; nam simul sensit dolores animi et corporis, magnos et parvos, praesentes et futuros, quos nullus alius sentire solet, nisi in inferno. Pro quo notandum est, quod Christus praeter alia privilegia, habuit summum dominium in suum corpus et animam et potentias ac passiones animae et membra corporis. Poterat conservare animam in corpore, quamdiu volebat, non obstante quolibet vulnere vel dolore. Unde ipse dicebat *Ioan. 10, 18: *Potestatem habeo ponendi animam meam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam.* Unde etiam *Matth. 27, 50, *clamans emisit spiritum.* Item poterat timere, dolere, irasci, et similia, quando volebat, et quantum volebat: unde in illo non erant passiones, sed *propassiones,* ut dicit sanctus Hieronymus in cap. 26 *Matthaei,* cum numquam praevenirent imperium rationis. Denique imaginatio et alii sensus interni et externi ad nutum illi subiecti erant.

Hinc igitur erant in Christo simul dolores animi et corporis. Quod in nobis non accidit, nam magnus dolor corporis absorbet dolorem animi, et contra. V. g. habet aliquis in animo fastidium, (f. 461*v*) supervenit ingens dolor corporis ex fractione tibiae, vel similis. Continuo obliviscitur fastidii prioris, quia tota animae virtus et omnis imaginatio currit ad dolorem illum corporis. Et contra est aliquis in itinere fatigatus; si insurgat magnum periculum, unde fugere oporteat, obliviscitur fatigationis, et currit, nam timor addidit alas. At in Christo dolor corporis, quamvis maximus in cruce non sustu-

76-78 Item... servis etc. *apil.*

92 Hieron., *In Matth.* 26, 39: *ML* 26, 205.

lit nec minuit dolorem animi ex offensa Dei, ex compassione erga Matrem, ex perditione Iudae et aliorum inimicorum. Sed omnes dolores simul vivissimi erant, et utrique apprehendebantur, etc.

Hinc etiam manebant in Christo simul omnes dolores magni et parvi. In aliis magnus dolor corporis facit oblivisci minorem, sed ille sentiebat distincte non solum dolorem ex clavis infixis, sed etiam ex singulis vulneribus verberum et spinarum, et similiter omnes dolores animi ex contumeliis, ignominia, irrisionibus etc. O si quis posset apprehendere multitudinem dolorum Christi, quos ille simul et distincte patiebatur!

Hinc etiam sentiebat dolores praesentes et futuros, et ideo timebat in horto propter futura, et moestus erat propter praesentia. In horto enim coepit pavere et moestus esse, *Marc. 14, 33. Tunc coepit, quia tunc voluit, et timor eius fuit maximus, quia reduxit ad memoriam omnia, quae passurus erat, et subtilissime discernebat gravitatem omnium. Et simul coepit moestus esse ob mala praesentia, (f. 462*r*) quod iam venditus esset et in concilio Pharisaeorum damnatus. Nec solum coepit pavere et tristari, sed etiam taedere, quae est passio gravissima nascens ex eo, quod homo videt sibi imminere maximum malum, et nullum videt effugium. Tunc enim miscentur simul timor et dolor, et fit quiddam utroque maius, quod rarissime nobis accidit, quia semper speramus aliquod effugium. At Christus videbat imminere sibi maxima tormenta et clausum esse omnem aditum ad effugium, quia videbat decretum divinitatis fixum et immobile. Denique in nobis, quando dolor crescit, minuuntur vires et sensus. Et ideo vel homo cito moritur, vel fit insensibilis. At in Christo duravit vigor et vivacitas sensus, quamdiu ipse voluit, id est usque ad mortem, quam etiam produxit longo tempore.

132–136 Denique... tempore. *apim.*

Hanc maximam poenam cum illa summa innocentia quis coniunxit? Iniquitas Iudae, Pontificum et Pilati, si causam immediatam respiciamus; illum avaritia, illos invidia ad hoc induxit, hunc timor humanus, ne Caesarem offenderet. Sed causa primaria passionis Christi fuit Deus, qui iustus et sapiens et bonus est, et Filii sui amantissimus. Nam de illo dicitur *Isaiae* 53, 10: *Deus voluit conterere eum in infirmitate.* Et Dominus *Ioan.* 3, 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Et Apostolus *ad Rom.* 8, 32: *Proprio filio suo non pepercit, *sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et sanctus Petrus *Act.* 2, 23: *Hunc definito consilio et praescientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.* (f. 462*v*) Non fuit Deus causa peccati occisionis Christi, imo peccatum illud punivit gravissime, ut dicemus; sed voluit permittere illam occisionem, quia sciebat se maxima bona inde posse elicere. Atque ita iudicavit et praedefinivit, ut Christus se permitteret occidi iniuste.

* * *

Videamus igitur quae bona inde nata sint. Sic enim constabit, iustissime et sapientissime Deum voluisse, ut Christus pateretur.

Primo ostendit divinam providentiam vigilare super impios, qui affligunt iustos. Nam tandem efficit, ut illis eveniat id quod maxime fugere conantur. Iudas excaecatus avaritia vendidit magistrum, ut congregaret pecunias, unde posset diu in hoc mundo vivere. Quid illi accidit ex iusto iudicio Dei? Mortuus est ante omnes alios Apostolos, et ante ipsum Magistrum, et fecit ipse sibi maius malum, quam ullus inimicus

140 offenderet: *sBe* Ex quo apparet, quanta sit tyrannis harum passionum in homines. Excaecant enim et ita pervertunt rectum iudicium, ut ad fugiendum parvum malum praecipitent in maximum. Similes sunt homines his passionibus subditi equis, qui timentes umbram vel folia, praecipitant se in foveam.

150 gravissime, ut dicemus *cB*: damnando ad inferos illos interfectores, et totam civitatem tradendo per manus Romanorum ultimo exterminio *la*.

ei facere potuisset. *Suspendit se, crepuit medius,* *Act. 1, 18, amisit pecunias, corpus et animam. Scribae, Pharisaei, sacerdotes et caeteri timebant, ne perderent statum suum, si Christus viveret; ideo excaecati ad hoc malum fugiendum non timuerunt innocentem occidere. Quid illis accidit ex iusto iudicio Dei? Plane quod fugere volebant. Amiserunt statum, sacerdotium, civitatem et omnia. Pilatus timuit amittere gratiam Caesaris, ideo hoc timore caecatus innocentem occidit. Et accidit illi quod fugere volebat: iratus ei Caesar misit illum in exilium, (f. 463*r*) ubi se occidit teste Eusebio lib. 2 *Hist.* cap. 7. Et est haec regula generalis, quod mali male pereunt.

Secundo ostendit, divinam providentiam vigilare super bonos, et illos tandem exaltare, etiamsi videantur ab omnibus deserti. Christus ita fuit oppressus et desertus, ut nullus pro eo loqui ausus sit, ita ut videretur omnino innocentia conculcata, quasi Deus non gubernaret mundum. At brevi apparuit contrarium. Christum enim Deus suscitavit, glorificavit, exaltavit, et non solum Iudaeam, ubi passus est, sed totum mundum ei subiecit; quod idem suo modo accidit sancto Petro Christi vicario. Itaque regula est generalis, quod iusti tandem vincere debent, etc.

Tertio ostendit Deus incredibilem sapientiam in hac passione, quia reparavit damnum quod fecerat diabolus tam mirabiliter, ut videatur damnum illud optandum fuisse. Exemplum de sartore resarciente vestem casu scissam. Diabolus uno ictu duo mala fecit; cum Adamum in peccatum induxit, abstulit gloriam Deo, et salutem homini. Christus utrumque restituit mirabiliter. Nam si Adam non peccasset, Deus habuisset gloriam ex obedientia hominis in re facillima. Christus obedivit Deo in re difficillima, et sic honoravit illum magis, quam fuisset honorandus per obedientiam Adami. Nec solum ipse honoravit, sed fecit honorari per obedientiam usque ad mortem ab infinitis martyribus, etiam feminis et pueris, quod

---

173 Euseb., *Hist. Eccl.* II 7: *MG* 20, 156.

cessit in maximam diaboli ignominiam. Item si Adam non peccasset, aspirassent (f. 463*v*) homines ad Angelorum aequalitatem: nunc autem per Christi mortem factum est, ut multi homines ascendant super multos Angelos, et unus et una, i. e. Christus et Maria sint super omnes Angelos. Atque ita invidia diaboli illi soli nocuit, qui per crucem amisit omne suum gaudium. Nam omnia idola eversa sunt, et ipse conculcatus etiam a pueris, et signo crucis fugatus. Non fuisset illi magna ignominia vinci ab Adamo in paradiso, nec fuisset ita conculcatus, si Adam non peccasset. At vinci ab homine infirmo et fugari signo crucis, summa ignominia est. Nobis autem profuit per sapientiam Dei, vertentem venenum in remedium. Unde canit Ecclesia: *O felix culpa!*

Quarto ostenditur nobis in passione precium animae nostrae. Non enim sapientiam Dei tam caro precio eam emisset, nisi esset preciosissima margarita.

Quinto ostenditur in monte Calvario exemplar et idea quatuor virtutum: charitatis, patientiae, obedientiae, humilitatis. Et sicut oculis exterioribus nihil deformius Christo crucifixo, ita oculis interioribus nihil pulchrius. Vident enim oculi interiores maiorem splendorum virtutum in Christo transfigurato in cruce, quam viderint oculi exteriores in Christo transfigurato in monte Thabor.

Sexto: invenit sapientia Dei per hanc passionem modum quo homo sumat libenter amarissimam sed necessariam medicinam. Morbus communis humani generis est concupiscentia honorum, divitiarum, commodorum. Medicina necessaria sed amarissima est humiliatio, patientia, mortificatio, contemptus visibilium. Per haec enim itur ad veram gloriam.

Haec medicina amarissima erat antea, sed posteaquam Dei filius venit in mundum, et nudus inter latrones crucifigi voluit, facta est dulcissima, ut avidissime quaeratur. Hinc cu-

211–220 Quarto... Thabor. *apim.*

221 6° *cB*: 4° *la.*

223–224 concupiscentia... commodorum *cB*: superbia et desiderium gloriae *la.*

currerunt tam multi ad solitudines, ad religiones, ad martyria. Non est vile, quod facit Rex. Sed cur homines nunc id non faciunt? Quia non considerant. Ideo enim Dominus ait *Ioan. 14, 6: *Ego sum via, veritas et vita*, ut intelligeremus, non coniungi viam cum vita, id est medium cum fine, mediatorem cum glorificatore, nisi mediante veritate, i. e. mediante consideratione et cognitione tantorum mysteriorum. Qui enim ista considerat, illuminatur et accenditur, atque ita intrat in viam imitationis Christi, et pervenit ad vitam aeternam cum Christo.

DOMINICA PALMARUM

De laude Dei et Regno Christi

APUG 384 f. 471*r* *26 mart. 1600

In hoc evangelio *Matth. 21, 1-9 declaratur Regnum Christi et tributum, quod a populo suo exigit. Christus ab initio conceptionis fuit Rex et Sacerdos maximus, quod utrumque significat nomen Messiae sive Christi. Unde dicebant Angeli *Luc. 2, 10: *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus*. Sed hodie potissimum Regem se declarare voluit, et quasi possessionem Regni accipere: sicut post quinque dies declaravit se sacerdotem, et sacrificium obtulit completivum omnium veterum sacrificiorum et inchoativum novi sacrificii, quod ad finem usque mundi durabit. Non solum autem se Regem declaravit, sed etiam qualitatem Regni sui ostendit.

231-239 sed cur... Christo *add. B. postea.*

238 Sequitur fol. 464*r* vacuum; in fol. 464*v* habetur modulus musicus, de quo vide A. BERNIER, *Un Card. humaniste*, p. 286.

7-9 Angeli... Dominus *cB*: Magi: Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum *la.*

* * *

Regem se ostendisse notum est, tum ex prophetia *Zachariae* cap. 9, 9, quam Matthaeus et Ioannes Evangelistae 21, 5 et 12, 15 allegant pro hodierna actione: *Ecce Rex tuus venit tibi, *iustus et salvator*; tum ex eo quod turbae clamabant: *Benedictus qui venit Rex *Israel;* tum ex acclamatione **Matth.* 21, 9: *Osanna filio David,* quae significat: Salva obsecro filium David, quomodo dicitur: Vivat rex, et in *Apocalypsi* 19, 1: *Salus Deo nostro.*

Quale autem sit Regnum suum indicavit verbo apud *Ioannem* 18, 36: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Regnum enim Christi non est eiusdem speciei cum regnis mundi, sed longe nobilius et divinius. 1° Regna huius mundi sunt ab hominibus, quia populi eligunt regem. At Christus non fuit electus ab hominibus, sed immediate a Deo: *Ego autem,* inquit *Psalmo* 2, 6, *constitutus sum rex ab eo;* et in hoc evangelio: *Benedictus qui venit rex in nomine Domini,* i. e. auctoritate solius Dei. Et ideo *Ioannis* 6, 15 (f. 471*v*) cum turbae regem eum facere voluerunt, abscondit se, ne videretur rex factus ab hominibus more aliorum. 2° Alii reges cum occupant regnum, expellunt alium regem. Non enim corona capit duos, ut dixit Alexander Magnus Dario. At Christi regnum non destruit alia regna, sed perficit, nec tollit alios reges, sed regit. Recte dixit ille:

Hostis Herodes impie
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat caelestia.

Et ideo potissimum dixit Dominus Pilato **Ioan.* 18, 36: *Regnum meum non est de hoc mundo,* ne ille putaret per Christi regnum destruendum regnum Romanorum. Et in evan-

38-42 Sedulius, *Hymn.* 30: *ML* 19, 76; redactio nova in *Brev. Rom.*, reformato sub Urb. VIII, in Epiph. ad Vesp.: « Crudelis Herodes, Deum Regem venire quid times » etc.

gelio *Matthaei* 22, 21 post ingressum hunc regium in Hierusalem interrogatus, an liceret censum dari Caesari? respondit, dandum esse. Ex quo apparet regnum Christi non tollere alia regna.

3° Reges mundi non regunt nisi homines, nec habent in potestate nisi corpora. At Christus rex non solum corpora, sed etiam animas habet in potestate. Quod ostendit in hoc evangelio, tum movendo dominos asinae et pulli, ut non resisterent Apostolis abducentibus; tum movendo turbas, ut in ipsa Hierosolyma non timerent acclamare Christo ut regi, cum id esset severissime prohibitum a principibus Iudaeorum; tum movendo principes et Pharisaeos, ut non auderent Christo nocere, cum publice in ipsa urbe Hierosolyma se ut regem gereret, cum tamen eum quaererent ad mortem. Nec solum corda hominum Christus regit, sed etiam bestias et res inanimes. Nam equitavit pullum asinae, in quo nemo sederat. Quod Evangelistae notant, ut indicent, nutu Christi in momento domitum. (f. 472*r*) Item movit corda et linguas puerorum ad clamandum sapienter, et potuisset facere ut lapides clamarent, si pueri tacuissent.

4° Reges mundi multis egent militibus, armis, equis, tormentis bellicis, pecuniis, ut regnare possint: Christus domuit orbem, ut dicit Augustinus, non ferro, sed ligno; et ligno non percutiendo, sed patiendo. Nova bella elegit Dominus. Et ideo hodie simul cum possessione regni legitur passio, ut intelligamus, quo instrumento Christus regni possessionem de manu hostium eripuerit, et sibi vindicarit. Arma Christi fuerunt patientia, humilitas, obedientia et charitas, quae in tota Christi vita, sed in passione potissimum apparuerunt, ut diximus in sermone proximo. Sed qualitates regis Christi optime describuntur in illis verbis *Zachariae* 9, 9: *Exulta satis*

73 charitas: *sBe* quae significantur in quattuor extremitatibus crucis: nam longitudo est patientia, latitudo charitas, sublimitas oboedientia, profundum humilitas.

67-68 Aug., *Serm.* 51, 1, 2: *ML* 38, 334.

75 in sermone proximo: cf. supra p. 236.

vel (*Ioan. 12, 15) *Noli timere filia Sion. Ecce rex tuus venit tibi iustus et Salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae.*

Ut rex sit perfecte bonus, debet esse utilis et non gravis populo, ut est pater cum filiis. Hoc enim interest inter regem et tyrannum ex Philosopho, quod rex quaerit populi utilitatem, tyrannus suam. Nam aliqui reges sunt inutiles et graves, quia exigunt tributa et vectigalia, et tamen non administrant iustitiam, nec curant abundantiam, nec defendunt ab exulibus et hostibus. Alii sunt utiles et graves, qui vigilant, defendunt, etc.; sed volunt magna tributa, et quicquid est boni in civitate, sive horti, sive vineae, sive palatia, volunt pro se. At Christus est rex optimus, (f. 472*v*) qui utilissimus est et nullo modo gravis. Ideo dicitur: *Exulta* et *noli timere filia Sion*. « Exulta », quia rex tuus erit utilissimus. « Noli timere », quia non erit gravis. Utilitas declaratur in illis vocibus: *Iustus et salvator*: iustus in gubernando suos, salvator in defendendo ab hostibus. Quod non sit gravis, declaratur in illis: *Ipse pauper et sedens super pullum filium asinae*. Nam gravem populo regem facit avaritia, qua non satiatur pecuniis, et ideo imponit semper nova pedagia.

Christus rex est 1° iustissimus tum in praemiando, tum in puniendo. In praemiando, quia remunerat omnia bona opera, etiam levissima, ut patet ex illo *Matth. 10, 42: *Si quis dederit calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem*. Item etiam oblita vel incognita ei qui fecit, *Matth. 6, 4: *Pater qui videt in abscondito reddet tibi*. Item utilia ipsis facientibus, ut patet de oratione, qua petimus a Deo multa bona. Ipse enim non solum dat quod petimus, sed etiam remunerat. Quis umquam dives remuneravit pauperes, quia petierunt eleemosinam? Quis rex remunerat eos, qui pe-

96 pauper *cB*: mansuetus *la*.

97 regem facit: *sBe* vel superbia et arrogantia, unde non audent ei appropinquare vel

83 Aristot., *Eth. Nic.* VIII 10 (12), 2, p. 1160.

98 Pedagium est vectigal pro transitu viae vel pontis.

tunt audientiam? Quis medicus remunerat eos, qui ad se veniunt curandi? Remunerat liberalissime. Nam si Romanis ob morales virtutes dedit imperium amplissimum, ut dicit Augustinus in *De Civitate Dei,* quid dabit amicis suis ob virtutes divinas? Denique remunerat fidelissime. In mundo multi serviunt, et non remunerantur, vel quia ipsi moriuntur ante remunerationem, vel quia moritur Dominus eorum, vel quia calumniis delatorum amittunt gratiam principis. At nihil horum hic timendum est.

Est etiam iustissimus in puniendo, quia scit omnia peccata, et scit legitime, quia per testem conscientiam, quae valet plus quam mille testes, *scrutatur renes et corda,* **Psalm.* 7, 10. Item singulorum pecca(f. 473*r*)torum pondus perfecte penetrat, et ideo perfecte punit. Nos habemus stateras dolosas, ideo parvi facimus peccata. At Deus quia novit totam malitiam peccati, punit venialia morte corporali, et mortalia etiam levissima morte aeterna. Exemplum **III Reg.* 13, 11-32, de veniali in illo propheta Samariae, quem Deus tradidit leoni. Et fecit illi in hoc magnam gratiam, ne puniret gravius in purgatorio. De mortali levi patet ex illo **Matth.* 5, 22: *Qui dixerit fratri suo: fatue, reus erit gehennae ignis.* Si ista Deus sic punit, cogita quid fit in gravioribus. Adde quod virga huius regis est *virga ferrea,* quae non potest flecti vel frangi, imo *sicut vasa figuli* confringit omnia quae percutit, quia nihil ei potest resistere, *Psalm.* 2, 9 etc.

Est praeterea rex iste salvator, quia liberat populum suum ab hostibus, ita ut securissime sub illo vivere possimus. Salvare proprie significat eripere ab imminenti periculo. Qui ducitur ad mortem, et ab aliquo superveniente liberatur, dicitur proprie salvari. *Salva nos,* inquiunt discipuli **Matth.* 8, 25: *perimus.* Nos omnes propter Adae peccatum eramus damnati ad mortem aeternam, et iam unum pedem in inferno habent quotquot sunt in peccato mortali; sed si ad vexillum huius regis confugiant vel per baptismum vel per veram

111-112 AUG., *De civ. Dei* V 15-16: *ML* 41, 160.

poenitentiam, continuo salvantur a periculo mortis aeternae, et possunt, si volunt, re ipsa illam effugere. Hoc beneficium nemo melius intelligit, quam ii qui sunt liberati a periculo mortis temporalis. (f. 473*v*)

Denique rex noster non est gravis populo suo, quia pauper est non necessitate, sed voluntate, i. e. vult esse pauper, et adeo pauper, ut in praecipua sua solemnitate et ingressu regio ad capiendam possessionem regni pro omnibus curribus et equis et mulis, sarcinis onustis, solum voluerit asellum, et eum commodato acceptum. Certe qui tantum delectatur paupertate, non est periculum ne gravet populum tributis, neque auferat vineas et oliveta, etc. Voluit autem esse ita pauper, tum quia non indigebat divitiis ad subiiciendum devotioni suae totum mundum, tum ut nos doceret non esse necessarias divitias, ut simus magni in curia huius regis.

* * *

Sed videamus quod tributum sibi reddi velit hic rex. Explicatur in evangelio, cum dicitur: *Benedictus qui venit, *in nomine Domini.* Tributum est laus. Vult laudari, **Psalm.* 49, 14: *Immola Deo sacrificium laudis;* **Psalm.* 33, 2: *Semper laus eius in ore meo;* **Psalm.* 150, 6: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Est autem hoc tributum nobis maxime utile et iucundum, ut hinc etiam videas, quomodo rex non sit gravis populo suo. Est utile, quia pro hac laude vult nobis reddere maximum praemium. Et est iucundum, quando fit ex corde, quia nascitur ex cognitione pulchritudinis Dei et operum eius. Quomodo si rex vellet pro tributo, ut singulis mensibus spectares pulcherrimum spectaculum, quod ipse tibi exhiberet. Omnia opera Dei pulcherrima sunt, **Gen.* 1, 31: *Vidit cuncta quae fecerat, et erant valde bona;* **Deut.* 32, 4: *Dei perfecta sunt opera;* **Psalm.* 110, 2: *Magna opera Domini; exquisita in omnes voluntates* (f. 474*r*) *eius.* Accipe quodlibet opus Dei, ut florem, herbam, animal, hominem, et videbis nihil posse addi vel minui, quin deformetur. Unde Gale-

175-176 GALEN., *De usu part.* III, 10, p. 236-237.

nus in libro *de usu partium* considerata structura humana obstupuit, et dixit magis honorari Deum ex laude, quae oritur ex consideratione tanti operis, quam ex omnibus sacrificiis.

Sic etiam providentia Dei in mundo regendo non potest esse pulchrior. Nam etiamsi nobis videantur aliqua non bene fieri: tamen providentia Dei optima est, sed nobis non apparet, quia non videmus totum ordinem rerum, sed partem tantum. Exemplum sancti Augustini de carmine pulcherrimo, si totum audiatur; secus si tantum audias dimidias voces. Item exemplum de pavimento historiato, sed magna ex parte cooperto. Iam igitur qui sunt in coelo beati, semper vident pulchritudinem Dei et operum eius, et ideo tali spectaculo fruentes semper laudant Deum. Imo cessant ibi omnia alia opera, et solum intenditur laudationi. **Psalm.* 83, 5: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* At nos debemus saltem adhibere lucernam fidei, et credere omnia opera Dei esse bona et habere optimas rationes, et ideo in omnibus eum laudare, et dicere cum propheta **Psalm.* 33, 2: *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Sunt autem duo genera hominum, qui fraudant Deum hoc tributo. Primi sunt, qui volunt ipsi etiam laudari, et sic furantur tributum Dei, et isti sunt plurimi, etiam ex iis qui videntur boni. (f. 474*v*) Unde sanctus Franciscus nihil magis timebat, quam ne forte furaretur gloriam Dei, et dicebat peccatorem posse facere omnia opera iustorum, posse orare, ieiunare, eleemosinam dare, peregrinari, imo etiam convertere homines, et facere miracula; sed non posse fidelem esse Domino suo, quia semper peccator quaerit se ipsum, et non pure gloriam Dei. Et ideo magna coniectura est, quod homo sit verus

---

184 Aug., *De vera relig.* 22, 42-43: *ML* 34, 140; *Confess.* IV 10, 15: *ML* 32, 699.

186 Aug., *De ordine* I 1, 2: *ML* 32, 979, ubi de pavimento. Cf. *Cont. Lovan.* de tribul., serm. 2 part. 1.

199 Bonav., *Vita S. Franc.* cap. 6.

Dei amicus et iustus, si sincere non quaerat nisi ut laudetur Deus.

At, inquies, cur non debet etiam homo laudari, si bene agit? Debet laudari, sed ab eo qui bene novit opera eius, qualia sint, nimirum a Deo. Homines enim non norunt et ideo decipiunt nos, et implent vana gloria, cum nos laudare volunt. At in die iudicii *laus erit unicuique a Deo,* *1 *Cor.* 4, 5; ut etiam nunc cum animae ad coelum ascendunt, laudantur a Deo; et illa est vera et solida laus, de qua dicit Dominus reprehendens Iudaeos, *Ioan.* 5, 44: *Gloriam quae ab invicem est accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis.* O qualis erit gloria, coram toto mundo laudari a Deo. Illa laus non decipiet nec inflabit, sed vera gloria animam replebit.

Alii sunt, qui non reddunt tributum laudis, nisi cum prosperantur; alias autem maledicunt et blasphemant Deum, quo peccato nullum est maius (f. 475*r*) neque irrationabilius. Quod sit maximum docet sanctus Thomas 2. 2, q. 13 et alii theologi, quia est contra fidem et charitatem simul. Quod sit irrationabilissimum, patet. Nam quaero, cur blasphemas Deum aut sanctos? Nullum hic est lucrum, nulla delectatio, nulla dignitas. At est magna voluptas, sfogare la collera, ut dicit quodam loco Homerus! Sed cur contra Deum et sanctos irasceris? Quia Deus non facit tibi, quod tu velles, non iuvat dum ludis, etc. At num Deus debet esse socius peccati tui? Et quid tibi debet Deus, praesertim cum sis eius inimicus? Quis irascitur inimico, si ab eo non iuvatur? Cur non magis irasceris, et satias bilem contra verum inimicum tuum, qui tibi est causa omnium malorum, nimirum contra peccatum? Nam: *miseros facit populos peccatum,* **Prov.* 14, 34.

221 est maius: *sBe* quod patet primo, quia hoc est exercitium inferni, sicut laus est exercitium paradisi; 2° quia blasphemans non habet aliam rationem blasphemandi, nisi quia Deus non facit quod ipse vellet, quasi debeat Deus esse socius et adiutor malorum operum.

---

226 Cf. Homer., *Ilias* XVIII 108-110. « *Sfogare la collera* » i. e. *iram erumpere.*

Sed si haec non movent, moveat poena. Nam Deus iussit Mosi *Levit.* 24, 15, ut blasphemos a toto populo lapidari faceret; et sanctus Gregorius libro 4 *Dialog.* refert de puero quinquenni rapto a daemone de sinu patris et portato in infernum, quod de nullo alio peccato legitur. Sed si omnibus turpe est blasphemare, maxime Christianis. Et tamen nulli magis blasphemant. Nam Maumethani non blasphemant suum falsum prophetam. Apud Christianos nulli minus deberent blasphemare quam Itali et praecipue Romani, quos Deus prae omnibus dilexit, quos primos illuminavit, apud quos sedem regni sui posuit, ita ut semper aliquo modo Roma sit caput mundi. Et tamen nulli magis blasphemant quam Itali. Inundatio anni superioris facta in ipsa nocte solemnissima Natalis Domini videtur interdictum divinum fuisse. Nam maxima pars urbis non audivit sacrum, iusto Dei iudicio.

DOMINICA RESURRECTIONIS

*APUG 384 f. 476r *2 apr. 1600

Ecclesia in evangelio hodierno et totius octavae conatur stabilire fidem resurrectionis Domini, quia hic est articulus maxime difficilis, cum sit res sine ullo exemplo et prorsus inaudita, ut mortuus per se resurgat. Et hinc pendent fere omnes articuli, qui ad Christum pertinent. Nam credita resurrectione facile est credere nativitatem, passionem, ascensionem, etc. Et ideo Apostoli nihil saepius praedicabant, quam resurrectionem, ut patet ex *Actis Apostolorum*. Nos igitur conformantes nos tempori, 1° ostendemus, quomodo in evangelio probetur resurrectio Christi. 2°, quomodo nos possimus pertingere ad eandem gloriosam resurrectionem.

---

237 Greg. M., *Dial.* IV cap. 18: *ML* 77, 349.

* * *

Igitur probatur resurrectio in evangelio 1° testimonio adversariorum; 2° Angelorum; 3° Apostolorum; 4° Prophetarum; 5° Dei ipsius.

Adversarii munierunt sepulchrum publico sigillo et custodiis militum; et ne fieret error, divina providentia fecit, ut in eo sepulchro nemo alius umquam sepultus esset, et ut clauderetur aditus sepulchri ingenti lapide, qui nonnisi magna vi revolvi poterat. Itaque potuerunt certi esse, corpus non fuisse ab aliquo homine sublatum, et tamen ibi non esse. Vel si putaverunt sublatum, (f. 476*v*) cur non inquisierunt in Apostolos? Cur non punierunt custodes?

Sed videamus testimonium angelicum. Secundo igitur loco tres angeli sancti, unus sedens super lapidem, duo intra sepulchrum, testati sunt Christum resurrexisse. Hoc testimonium maximum est, quia Angeli vident corpus et animam, nec falli aut fallere possunt.

Tertio Apostoli et discipuli usque ad 500 viderunt Christum post resurrectionem, audierunt loquentem, viderunt ambulantem, comedentem, tetigerunt aliqui manus et pedes, denique viderunt in coelum propria virtute ascendentem.

Quarto Prophetae multis modis hoc praedixerunt, ut ipse Dominus asseruit loquens cum duobus euntibus in Emmaus, **Luc.* 24, 25-27. Inter alios locos ille est praecipuus, quem Apostolus Petrus *Act.* 2, 27 et Paulus *Act.* 13, 35 citarunt ex *Psalmo* 15: *Non derelinques animam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ostendisti mihi vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo.* Homines mortui non sciunt viam vitae, i. e. uniendi animam cum corpore, quia requiritur dispositio, etc. David enim vidit corruptionem, et proinde non de se, sed de Christo hoc praedixit.

Quinto denique Deus ipse infinitis miraculis hanc veritatem confirmavit; ut patuit de claudo, quem Petrus sanavit, *Act.* 3, 1-11. Nam erat claudus a nativitate, et ita claudus, ut

[34] Cf. *Deut.* 18, 15; *Psalm.* 21; *Is.* 53.

non posset ullo modo incedere, sed baiularetur ab aliis. Hunc Petrus testatus est sanatum integre in testimonium resurrectionis. Et postea plurima similia facta sunt, etiam per umbram Petri. (f. 477*r*)

* * *

Stabilito hoc articulo erigimur in spem vivam maximi boni, sicut dicit sanctus Petrus I, 1, 3: *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi*. Nam Christus non eguit pro se resurrectione, sed resurrexit ut esset nostrum caput, et spem certam daret omnibus membris gloriosae resurrectionis et vitae perpetuae, qui est finis summe desideratus ab omnibus rebus. Nihil enim magis appetunt res omnes, quam perpetuare suum esse, ut videmus etiam in elementis et plantis. Et quia animalia non possunt perpetuari in individuo, ideo natura indidit omnibus summum amorem erga prolem, ut saltem perpetuentur in specie. Videmus gallinam supra vires pugnare contra vulpes, milvos et alios hostes pro pullis suis. Nos igitur habentes spem perpetuandi vitam felicissimam in individuo, quid facere deberemus? Mira caecitas. Animalia irrationalia pugnant supra vires, ut perpetuentur in specie: et nos ne pro viribus quidem pugnare volumus pro vita vere aeterna et felicissima, etiam in individuo.

Ut ad hanc gloriosam resurrectionem perveniamus, tria media invenio in Scripturis. Primum est *ad Rom.* 8, 11; *Qui suscitavit Iesum, suscitabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis*. Christus resurrexit, quia corpus eius erat templum divinitatis. Noluit enim Deus pati, ut templum suum diu maneret dirutum; ideo reaedificavit illud. Sic etiam, si (f. 477*v*) corpora nostra sint templa Dei, Deus reaedificabit illa. Si non sint templa Dei sed stabula bestiarum, Deus excitabit illa in carceres spirituum damnatorum. Itaque necesse est, ut corpora nostra sint templa Dei, iuxta illud Apostoli, 1 *Cor.* 6, 19: *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti? Glorificate et portate Deum in corpore vestro*. Quomodo corpus est templum Dei? Et quomodo Deus habitat in corpore nostro? Templum Dei est domus

dicata actionibus sacris, orationi, laudi Dei, sacrificiis. Qui utuntur membris suis ad peccandum, eorum corpora sunt stabula bestiarum; qui utuntur ad finem bonum moralem, ut philosophi, eorum corpora sunt domus civiles; qui utuntur ad gloriam Dei, ad orandum, ad laudandum Deum, ad obediendum Deo, quod est genus sacrificii optimi, eorum corpora sunt templa. Et si velis, potes in omnibus rebus obedire Deo. Nam Deus iubet, ut sustentes corpus, comedas, bibas, dormias, etc. Signum autem, utrum ista facias ut obedias Deo, est, quando non excedis mensuram. Nam cum excedis, non obedis Deo, sed cupiditati tuae. Hoc est, quod dicit Apostolus *1 *Cor.* 10, 31: *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Domini facite.*

Porro Deus dicitur habitare in corpore ut in templo, non quia in illo contineatur, cum sit immensus, sed quia, ut ipse dicit in II *Paralipom.* 7, 15, sunt oculi eius, et aures eius, et cor ipsius in templo, i. e. semper respicit et cogitat illud templum, ut providentia singulari illud custodiat, (f. 478*r*) et exaudiat qui orant in eo. Omnia enim membra etiam inanima orant Deum, quatenus indigent eius misericordia, et ipse cognoscit eius indigentiam. *Sitivit,* inquit David **Psalm.* 62, 2: *in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Nam caro habet plurimos defectus, et unum praecipuum, qui est mortalitas. Per hunc defectum sitit misericordiam Dei, et hoc sitire est clamare ad aures Dei, et Deus exaudit, quando est templum eius, et ideo resuscitat ad vitam immortalem. Hoc est ergo quod dicit Apostolus **Rom.* 8, 11: *Suscitabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.*

Secundum medium est prima resurrectio. Nam ut dicitur in *Apocalypsi* cap. 20. 6: *Qui habet partem in resurrectione prima, in illum mors secunda non habet potestatem.* Prima mors est mors peccati, secunda mors est mors aeterna, ut dicitur cap. 2° *Apocalypsis* v. 14: *Stagnum ignis et sulphuris est mors secunda.* Sic resurrectio prima est iustificatio, resurrectio secunda est resurrectio gloriosa. Una est medium ne-

cessarium ad alterum. Nam *quos iustificavit, hos et magnificavit, *Rom.* 8, 30.

Dat Apostolus signum in epistola *ad Coloss.* 3, 1-2, ut quisque cognoscat, an vere resurrexerit resurrectione prima. *Si consurrexistis*, inquit, *cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* Sicut enim qui mortuus est et sepultus, non cogitat nec quaerit exire extra sepulchrum, nec videre, audire, loqui, manducare, ambulare, etc.; sed si forte reviviscat, (f. 478*v*) impossibile est, ut non cogitet et cupiat removere a se terram, qua obrutus est, et evadere ad auram, videre solem, etc.: ita qui mortuus est in peccato, non mirum est, si non curet caelestia; at qui incipit vivere vitam caelestem, impossibile est, ut non cupiat a se removere terram, et exire ad purissimum aërem, videre lucem increatam, gustare panem angelorum, etc.

Gratia Dei est flamma caelestis. At quae flamma, si vera sit, non continuo conatur sursum tendere? Vita nova iustificatorum est amor Dei. At amor est inclinatio et pondus in rem amatam. Quare impossibile est, ut homo vere iustificatus non quaerat et sapiat, i. e. magni faciat quae sunt sursum. Hoc enim loco *sapite* non est saporem habere, sed iudicare sapienter et prudenter. Est enim graece φρονεῖτε.

Atque hoc significat mysterium Paschae secundum Augustinum in *epist.* 119. Expectamus enim ad Pascha celebrandum tria tempora, primo aequinoctium, secundo lunam quartam decimam, tertio diem Dominicum. Primum et tertium mysterium sunt clara. Nam expectamus aequinoctium, quia ibi incipit renovatio anni. Unde dicitur ille primus mensis et mensis novorum et primum ver. Decuit autem, ut Pascha, in quo fit renovatio spiritualis, et inchoata est in corpore Christi renovatio corporalis, fiat in renovatione anni. Item clarum est expectari diem dominicum, quia tali die Christus resurrexit, et elegit eum diem, quia est octavus et sequitur post sextum

140 Aug., *Epist.* 55, 2, 3: *ML* 33, 205.

et septimum. Sicut enim initio mundi Deus sexto die fecit opus (f. 479 *r* marg.) praestantissimum, id est hominem, et in sabbato quievit: ita Christus sexta die fecit opus summi laboris et excellentiae, et sabbato quievit in sepulchro, et die octavo surrexit gloriosus.

At tertium mysterium est magis obscurum, sed tamen pulcherrimum. Pro quo sciendum est, quod (f. 478*v* medio) luna semper est pro media parte lucida, pro media obscura. Quando est coniuncta cum sole, est lucida in media parte superiore; cum incipit separari a sole, incipit obscurari superius et illuminari inferius, donec opponatur soli, et tunc est tota lucida inferius, et tenebrosa superius; sed cum iterum redit ad solem, incipit illuminari superius, obscurari inferius, donec iterum coniungatur cum sole, et sit tota lucida superius, tenebrosa inferius. (f. 479*r*)

Sol est Deus — *Iacob.* 1, 17: *Pater luminum* —; luna homo. Initio conditionis homo coniunctus cum Deo lucebat ex parte superiori, quia sapiebat circa Deum, negligebat inferiora; per peccatum coepit separari a Deo, donec venit ad oppositionem, et tunc fuit genus humanum prudentissimum quoad humana, sed tenebrosum quoad divina. Per Christi passionem et resurrectionem incipit homo iterum redire ad solem et illuminari superius, donec veniat ad perfectam coniunctionem in gloria. Expectamus igitur ad Pascha celebrandum, ut luna incipiat post oppositionem redire ad solem, et illuminari superius, hoc est: *quaerere et sapere quae sursum sunt, non quae super terram, Col.* 3, 1. Videat igitur quisque sua desideria et cogitationes et quid magni faciat; et inde colliget, an fecerit Pascha et resurrexerit spiritualiter, ut inde speret certo resurrectionem corporalem gloriosam.

Tertium medium est, ut homo crucifigatur. *Philipp.* 3, 10: *Configuratus morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem, quae est ex mortuis.* Vera sententia! B. Paulus ita desiderabat gloriam resurrectionis, ut quaereret omnem viam, quae

167 conditionis *corr.*: canditionis *cod.*

ad illam ducit; et quia sciebat, Christum per crucem invenisse gloriam resurrectionis, ideo dicit: Ego configurari nitor morti Christi, id est: assimilari crucifixo, quoad possum, (f. 479*v*) si forte per hanc viam occurram gloriae resurrectionis. Si Paulus vas electionis, etc., ita laborabat, ut occurreret resurrectioni, et adhuc dicebat sub dubio: *si quo modo occurram,* quid nos facere oporteret? Configurari crucifixo, est ita ligari et constringi timore Domini, ut quodammodo non possimus extendere membra ad ullum peccatum. *Confige timore tuo carnes meas,* ait Propheta *Psalm.* 118, 120. Oportet configere spinis caput, comprimendo cogitationes malas timore Domini; configere pedes clavis, comprimendo affectus eodem timore; configere manus clavis, comprimendo opera eodem timore. Qui enim timet iudicia Dei, et videt quam facile est amittere gratiam Dei et omne bonum, et quam facile post amissam gratiam non iterum habere donum poenitentiae, certe ita constringitur, ut videatur non posse peccare. Nam si timor humanus impedit opera turpia in foro, quomodo non impediret etiam cogitationes et affectus timor Dei omnia prospicientis, si vere is timor in nobis esset.

Durum est et amarum ita crucifigi, et pugnare contra tentationes et concupiscentias. Sed haec est via ad veram quietem et gloriam. Tres dies habuit Christus in terris praecipuos: diem crucis, feria sexta; diem requiei, sabbato: diem gloriae, Dominica. Primus brevissimus, trium horarum; secundus longior, triginta trium horarum; tertius aeternus. Ita nobis necesse est habere diem crucis in hac vita, diem quietis post mortem, diem gloriae post iudicium. Sed qui volunt in hoc mundo diem quietis et gloriae, habebunt in alio diem crucis perpetuum.

SECTIO TERTIA

SERMONES HABITI TEMPORE ADVENTUS ET NATIVITATIS

ANNI 1600

SUPER «MISSUS EST ANGELUS» SER. I

---

*DOMINICA PRIMA ADVENTUS

Sermo Primus super Missus est Angelus

APUG 385a f. 302*r* *3 dec. 1600

Consideranda in hac legatione: primo tempus legationis; secundo persona mittens; 3° persona ad quam mittitur; 4° persona quae mittitur; 5° negocium. (f. 305*r*)

* * *

Quo ad primum. Solent scriptores semper initio describere tempus, ut patet *Isaiae* 1, 1, *Hierem.* 1, 1-3, *Ezech.* 1, 1-4, et sic in caeteris Prophetis. Item *Luc.* 1, 5: *Fuit in diebus Herodis Regis,* et cap. 2, 1: *Exiit edictum a Cesare Augusto *ut describeretur universus orbis;* et cap. 3, 1: *Anno quinto decimo *imperii Tiberii. Caesaris.* Ita nunc incipit 1, 26: *In mense autem sexto missus est.* Notat per haec verba primo

6 negocium: *nB* Vide de primo in ultima pagina.

tempus elapsum a conceptione Ioannis Baptistae. Ubi est illud mysterium, quod Ioannes concipitur, quando omnia arescunt, folia cadunt, fructus finiuntur, etc.; Christus concipitur quando omnia nascuntur, virent, florent, etc. (f. 305*v*)

Ioannes significat legem, quae finiebatur, et omnes ceremoniae, sacrificia, figurae arescebant; Christus significat evangelium, quod viret, etc. Item Ioannes nascitur, quando dies decrescere incipiunt; Christus, quando incipiunt crescere. Ioannes significat hominem veterem, Christus hominem novum, etc. Unde magno mysterio Christus et Ioannes sibi diviserunt quattuor dies principales totius anni.

Sed praeterea sicut in mense sexto accidit haec legatio, ita etiam in sexta mundi aetate, quae est etiam ultima. Sicut enim mundus sex diebus factus est, et postea fuit quies Sabbati, ita sex aetatibus durabit mundus in motu, postea erit quies aeterna. Prima aetas quasi infantia fuit ab Adamo usque ad Noe; secunda quasi pueritia a Noe usque ad Abraham; tertia quasi adolescentia ab Abraham ad Moysem; quarta quasi iuventus a Moyse ad David; quinta quasi virilitas a Davide usque ad Christum; sexta quasi senectus a Christo usque ad finem. Unde Paulus vocat plenitudinem temporis, **Gal.* 4, 4: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum,* quia nimirum venit ultima aetas. Et sanctus Ioannes **I Ep.* 2, 18 vocat ultimam horam: *Novissima hora est.* Et in epistola hodierna, **Rom.* 13, 11: *Hora est iam nos de somno surgere; nox praecessit, dies appropinquavit;* quia ultima hora, de qua Ioannes, non est ultima diei, sed ultima noctis, quia tempus totum huius mundi est nocturnum respectu seculi venturi.

Quare tamdiu exspectavit Christus? 1° quia voluit Deus intelligi magnitudinem morbi humani, qui non potuit curari nec per rationem naturalem, nec per philosophos, nec per patriarchos, nec per prophetas, etc.; 2° quia voluit intelligi magnitudinem huius mysterii; ideo voluit prius figurari et promitti multis et variis modis. Exemplum de adventu magni Regis, quem praecedunt multi cursores, nuncii, iumenta onusta supellectili, etc. Cogita quantus est, quem continuo prae-

cesserunt famuli et iumenta onusta per quinque millia annorum. (f. 302*r*)

* * *

Quo ad secundum. Persona mittens est Deus: *Missus*, inquit, *est Angelus Gabriel a Deo*. Quid sit Deus, quis explicabit? Possumus venari tribus modis, 1° a nominibus; 2° a creaturis; 3° a Scripturis. Nomen Dei italicum et latinum a graeco veniunt. Graecum impositum a sapientibus Θεός significat tria ex Theodoreto *serm.* 3 *ad Graecos* et Ioanne Damasceno *de fide orthodoxa*. Dicitur enim θεός a θεωρεῖν i. e. videre, θέειν i. e. currere, αἴθειν i. e. ardere, et sunt conformia nominibus hebraicis. Nam unum ex nominibus Dei, teste Hieronymo in *epistola ad Marcellam de nominibus Dei*, est Eljion i. e. altissimus. Qui enim est in loco magis alto, plura videt quam qui est in loco humiliore. Unde altissimus omnia videt. Unde Paulus *Hebr.* 4, 13: *Omnia nuda sunt et aperta oculis eius*. Itaque Deus habet hoc proprium, ut omnia videat, quod nulli creaturae convenit. Nam homines plura non vident quam vident. Angeli multa non vident, ut futura libera, et ut cogitationes et voluntates humanas. Deus autem omnia videt, *2 *Par.* 6, 30: *Tu solus nosti omnia corda filiorum hominum*. Est enim oculus Dei infinitae subtilitatis. Ideo penetrat inscrutabile cor hominis; imo etiam videt futura libera, quae nos ipsi non videmus, ut patet de negatione Petri. **Psalm.* 138, 4-6: *Omnes vias meas praevidisti, et intellexisti cogitationes meas de longe. Mirabilis facta est scientia tua ex me; *confortata est et non potero ad eam.*

Nec solum Deus omnia videt, sed velocissime currit, ubi videt opus esse. Non solum habet oculos ubique, sed etiam manus. Praevenit omnia (f. 302*v*) sua velocitate, etiam ventos etiam fulgura. Non est sicut aliquis, qui videt ex turri aliquem occidi ab alio, sed non potest in tempore adesse ut iuvet, vel

---

[57] Theodor., *De cur. Graec. aff.* III: *MG* 83, 864; Ioan. Damasc., *De fide* orth. I 9: *MG* 94, 837.

[60] Hieron., *Epist.* 25: *ML* 22, 429.

qui videt in littore naufragium navis, sed non potest currere ad illam iuvandam. Conforme est nomini Dei in hac significatione aliud hebraicum, id est Eloim, id est iudex, quia Deus non videt omnia ut ociosus contemplator, sed ut iudex, qui omnia examinat, discernit, probat, improbat, punit malos, praemiat bonos, proinde omnibus rebus praesens adest. Sed quia nos non facile apprehendimus, quomodo Deus sit ubique totus, ideo dicitur nobis, quod velocissime currit, ut statim ubique adsit. Hinc Scriptura **Psalm.* 147, 15: *Velociter currit sermo eius,* id est mandatum eius. Nam Deus, ut operetur, non eget instrumentis vel manibus, sed solo verbo **Psalm.* 32, 9: *Ipse dixit et facta sunt.* **Sap.* 7, 24: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia,* i. e. vincit omnia celeritate. Et hoc est etiam proprium Dei, ita currere velociter, ut praeveniat omnes eventus.

Nec solum Deus videt omnia et adest omnibus, sed etiam potest omnia impedire vel promovere efficacissime. Nos enim saepe praevidemus mala imminentia, et celeriter adsumus, sed non valemus resistere. At Deus omnibus potest resistere, et nemo illi. Ideo dicitur ardere, quia nihil habemus efficacius (f. 303*r*) igne. Unde etiam dicitur in Scriptura **Deut.* 4, 24: *Deus noster ignis consumens est.* Et conformia sunt tria nomina hebraica: adonai i. e. dominus, el i. e. fortis, et sadai i. e. sufficientissimus ad omnia. Et hoc quoque est proprium solius Dei, nimirum omnia posse, ut proprium et absolutum rerum omnium dominum.

Habemus ergo ex nominibus Dei, Deum omnia scire, ubique esse, et omnia posse. Sed est aliud nomen Dei ignotum Graecis, a Deo revelatum Mosi amicissimo suo, quod vocatur ineffabile, quod recentiores vocant: Jeova. Hoc nomen significat Deum esse fontem totius esse. Res creatae sunt hoc aut illud, Deus est ipsum esse comprehendens quicquid boni est in omnibus rebus, et infinite plura. Hinc apparet, quanta sit felicitas amicorum Dei, qui habent amicum, qui semper eos videt, etiam cum ipsi dormiunt, et velocissime accurrit ad eos,

81 navis *add.*

et potest ab omni malo defendere; et praeterea continet in se et praesto est communicare illis omnia bona. Quam vane et stulte currunt et laborant homines, ut inveniant bona parva, cum possint in Deo omnia simul habere: vitam, lucem, pulchritudinem, dulcedinem, divitias, honores, quietem, etc.

Alia via inveniendi Deum est creatura. Nam in ipsa sunt impressa vestigia creatoris; et quaedam creaturae sunt imagines creatoris. Unde Apostolus **Rom.* 1, 20: *Invisibilia Dei* (f. 303*v*) *per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* Cogita magnitudinem terrae cum omnibus, quae in ea sunt: metallis, plantis, animalibus; aquas cum omnibus piscibus; aërem cum omnibus avibus; caelos cum omnibus stellis; et praeterea homines omnes cum omni sapientia et potentia et gloria ipsorum; et postea adde omnes Angelos, qui sicut sunt in altiori loco, ita superant homines multitudine, sapientia, potentia, gloria.

Haec omnia, quae uno vocabulo dicuntur *Mundus*, non semper fuerunt. Nam Scriptura dicit, non fuisse ante sex millia annorum; et idem patet ex historiis omnium gentium. Non enim exstat memoria in historiis gentium, nisi Nini et Beli, qui fuerunt temporibus Abrahae. Igitur facta sunt haec omnia; nec facta sunt a se, quia nihil potest facere se ipsum, cum quod facit, debeat esse; quod fit, debeat non esse: igitur facta sunt ab alio, qui non sit factus, sed semper fuerit. Illum dicimus Deum, qui necessario habet has conditiones: 1° ut semper fuerit; alioqui quaereremus, quis eum fecerit; 2° ut contineat virtute quicquid boni est in toto mundo; nam nemo dat quod non habet; 3° ut sit longe melior toto mundo, quia causa aequivoca est melior effectu; 4° ut sit infinitum bonum, fons omnis boni, a nullo pendens, unde (f. 304*r*) omnia pendeant. Et hoc, ut diximus, significat nomen Dei ineffabile.

Videamus nunc quid Scriptura dicat. Scriptura dicit **Esth.* 13, 10: *Tu enim fecisti caelum et terram, et quicquid mundi ambitu continetur.* Dicit **2 Mach.* 14, 35: *Dominus*

---

134 De Belo et Nino cf. Bellarm., *Chronol. brev.* ad annos mundi 1791 et 1849, ubi citantur Euseb., *Praep. Evang.* IX, 4: *MG* 21. 761 et Diod. Sicul., *Bibliotheca* II, 1.

universorum tu es. Dicit *Esth. 13, 9: *Non est qui tuae possit resistere voluntati.* Dicit *Psalm. 144, 3: *Magnitudinis eius non est finis;* 146, 5: *Sapientiae eius non est numerus.* Et alia id genus. Sed unum locum expendere volo, *Isaiae* 40, 12: *Quis mensus est pugillo aquas? Et caelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis terram?* Si quis posset omnia maria, lacus, flumina, continere in vola manus suae; qui caelorum immensam amplitudinem unico palmo adaequaret; qui volens scire pondus totius terrae, tribus digitis eam suspenderet: quantus esset! At hoc facit Deus non mole corporis, sed virtute. Parum est hoc; ideo addit Propheta *Isaia* 40, 15: *Ecce gentes quasi stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt.* Quid magis exiguum, vile, fragile, quam stilla situlae, quae minimo impulsu cadit et perit? At minori adhuc impetu movetur momentum staterae. Quando statera est in aequilibrio, minimus flatus sufficit eam inclinare. Huic igitur minimae rei et tam facile mobili, comparatur omnis sapientia et potentia omnium gentium respectu Dei.

Sed adhuc parum dixit, (f. 304*v*) ideo addit 40, 17: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei;* id est, non solum omnes gentes cum omni potentia et sapientia sua parum sunt, sed plane nullius sunt momenti apud Deum. Non magis laboraret Deus, ut resisteret toti mundo, si contra eum pugnaret, quam ut resisteret nihilo et inani. Haec non dicuntur ad extenuandam creaturam. Vere enim magna est moles terrae, magna amplitudo maris; magna altitudo caeli; maxima multitudo plantarum, animalium, stellarum; maxima potentia maris, ignis, ventorum; maxima pulchritudo stellarum; maximum ingenium hominum; maxima sapientia Angelorum. Et tamen tanta est eminentia Dei, ut haec omnia nihil plane sint in conspectu eius. Sicut dicitur *Iob. 25, 5: *Stellae non sunt mundae in conspectu eius;* et certe sunt mundissimae et lucidissimae, sed coram luce inaccessibili videntur immunditiae et tenebrae.

Ecce igitur quantus sit, qui mittit legationem ad terram pro pace, pro amicitia, pro affinitate contrahenda nobiscum.

Unde hoc? Quis movit Deum ad hoc? An timor, ne ei noceremus? at omnipotens est. An timor, ne (f. 305*r*) eum astutia vinceremus? at sapientissimus est. An egebat nostra opera? bonorum nostrorum non eget. An forte laeserat nos? nos potius offendimus eum. An rogavimus eum, vel alius pro nobis? at ne cogitavimus quidem de illo. Quid igitur? Movit eum charitas pura, quae est sine interesse; et abundantia misericordiae, quae moverat eum, ut nos crearet cum nihil essemus, ea movit ut recrearet et recrearet modo isto stupendo.

Unde nos discere debemus: 1° ut redamemus tantum amatorem; 2° ut imitemur eum, et exerceamus amorem istum purum erga proximos. Quis vile sibi existimabit, esse primum in quaerenda pace ab inimicis, si hoc fecit Deus? Et hoc praesertim tempore, quo commemoramus hanc Dei benignitatem, etc.

*DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

Sermo secundus super Missus est Angelus

APUG 385[a] f. 312*r* *10 dec. 1600

Dicendum de nuncio, qui est Angelus Gabriel. Ac primum de praestantia angelorum in genere, quod utile erit 1° ad cognoscendam magnitudinem huius legationis, 2° ad cognoscendum beneficium Dei ex Angelo custode; 3° quia in evangelio hodierno *Matth.* 11, 2-10 Ioannes Baptista vocatur Angelus: *Ecce ego mitto Angelum meum;* et Christus Ipse ab Isaia dicitur *magni consilii Angelus.* Unde ex notitia angelicae excellentiae cognoscemus excellentiam praecursoris et ipsius Christi. Sed alio et alio modo. Nam praecursor magnus agnoscitur, quia similis fuit maioribus: Christus autem, quia maior est tam magnis.

2 Angelus *add.* 10 *Isaiae* 9, 6 graece.

* * *

Angeli igitur sunt naturae spirituales mediae inter Deum et homines. *Minuisti eum paulo minus ab angelis, Psalm.* 8, 6; id est natura humana est paulo inferior natura angelica: et ratio est, quia Angeli sunt naturae spirituales perfectae; neque indigent corpore ad suas operationes. Natura humana habet unam partem spiritualem, sed imperfectam, et ideo indiget alia parte. Itaque homo est partim angelus, partim bestia; partim aureus partim terrenus; angelus est aureus totus. Angeli sunt numero plures, in loco altiori, prius creati, prius beatificati, potentiores, sapientiores, meliores (f. 312*v*) naturaliter hominibus. Unde ab Ambrosio dicuntur flores universitatis. Sed ex pictura corporali intelligemus aliquid de eorum proprietatibus. Pinguntur angeli, non quod ipsi habeant corpora, sed tum quia ita apparere solent in corpore assumpto ex aëre, tum ad exprimendam eorum naturam per similitudines, quomodo pinguntur virtutes. Itaque pinguntur ut iuvenes pulcherrimi, cum oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedibus; et adduntur alae, quia Scriptura dicit **Isaiae* 6, 2 Seraphim habere sex alas; *3 *Reg.* 6, 27 Cherubim quatuor alas, et *Daniel* ait, cap. 9, 21: *Ecce vir Gabriel cito volans venit ad me.* Et Moses ac Salomon super arcam posuerunt Cherubim sculptos cum alis. Denique pinguntur succincti et induti sacro amictu cum stola diaconali. Pinguntur semper iuvenes, ut ostendatur, quod numquam senescunt, nec mutant naturam, cum sint incorruptibiles, qualis est etiam sol et astra, et erunt nostra corpora post resurrectionem. Nunc enim quotidie mutamur, etc. Pinguntur pulcherrimi ad significandam internam pulchritudinem. Ut enim corpora sunt pulchra, quae habent membra omnia, integra, proportionata, (f. 313*r*) cum suavi colore: ita spiritus sunt pulchri, quando habent iustitiam universalem, quae est quaedam mirabilis proportio omnium virtutum et lumen sapientiae, quod est loco coloris. Unde Deus

---

25 Ambros., *In Luc.* VII n. 126 coll. VIII n. 29: *ML* 15, 1751 et 1774.
35 De arca cf. *Exod.* 37, 7-9 et III *Reg.* 6, 23-35.

est infinitae pulchritudinis, quia est ipsa iustitia et sapientia infinita, et impossibile est videre Deum, et non rapi continuo in ardentissimum amorem eius. Angeli sancti sunt omnes pulcherrimi quia iustissimi, cum peccatum non fecerint nec peccare iam possint, et sint bene ordinati erga Deum, erga reliquos angelos, erga homines etc.; et quia sapientissimi, cum videant primam causam omnium rerum.

Pinguntur cum oculis semper apertis, quia numquam dormiunt, sed semper vigilant tum contemplando faciem Dei, tum custodiendo homines sibi commissos. Nam quod angeli sint custodes hominum singulorum, dicit Christus *Matth.* 18, 10: *Nolite contemnere unum ex his pusillis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Magnum beneficium, quomodo si princeps magnus detur a Rege in pedagogum pauperculi alicuius, *Act.* 12, 15 *Angelus eius est.* Magna ingratitudo nostra, quod tam raro recordemur Angeli, qui semper vigilat ad nostram custodiam. (f. 313*v*) Pinguntur cum auribus, quia semper sunt intenti *ad audiendam vocem sermonum Dei,* ut dicit *Ps.* 102, 20. Item quia semper audiunt orationes nostras, et eas deferunt ad Deum; *Tob.* 12, 12: *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Dicuntur ferre orationes nostras, quia eas iuvant intercessione sua, ut perveniant ad Deum, i. e. ut exaudiantur, quomodo proceres iuvant supplicationes pauperum apud Regem. Pinguntur cum naribus, quia discernunt optime vitia a virtutibus. Nasus enim est sensus discretionis. Saepe enim res putrefactae, quae non discernuntur visu neque tactu, statim discernuntur odoratu, unde dicuntur bonum nasum habere, qui pollent iudicio in discernendo. Homines saepe falluntur in iudicandis operibus et personis, quia non vident nisi *exteriora.* At angeli sancti non possunt falli. Sentiunt enim continuo odorem virtutis vel foetorem peccati. Pinguntur cum ore, quia loquuntur et comedunt ac bibunt. *Si linguis hominum loquar et angelorum,* I *Cor.* 13, 1. *Ego cibo et potu invisibili utor, Tob.* 12, 19. Loquuntur angeli, laudant Deum, canunt etc., sed non egent lingua neque aëre neque sylla(f. 314*r*)bis, nam

in momento significant id quod volunt. Comedunt autem et bibunt sapientiam. Hic enim est cibus spirituum, *Eccli* 15, 3: *Cibavit illum pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum.* Nobis aliud est panis, aliud vinum, aliud cura, aliud aqua, etc. Sed angelis id totum est sapientia, quia quo res est altior, eo plura continet. Sic Deo unum est omnia, id est essentia sua est illi cibus, potus, vestis, domus, divitiae, etc. Angeli pluribus indigent, sed multo paucioribus quam nos etc.; et cibus ille est dulcissimus, continuus, nec nauseam nec fastidium gignit, etc. Pinguntur cum brachiis et manibus, quia sunt potentissimi in operando. *Potentes virtute*, inquit *Psalmus* 102, 20. Potentia cernitur 1° in corporibus, quae assumunt. Nam condensare aerem, formare, figurare, colorare, ut omnino non discernantur a corporibus humanis vivis: summa requiritur potentia. Constat autem corpora assumpta ab angelis, quae apparuerunt Abrahae, Lot, Tobiae et aliis, non potuisse discerni ab humanis. 2° In raptu hominum celerrimo, ut quando angelus portavit Abacuc in Babylonem, Eliam in caelum, etc. 3° In occisione hominum, ut quando unus Angelus occidit statim 185000 de exercitu Senacherib, *2 Mach.* 15, 22. Et alius occidit omnia primogenita totius Aegypti, *Exod.* 12, 29. (f. 314v).

Pinguntur aliti, quia celerrime moventur. Nihil est corporale, quod ita celeriter moveatur, neque stellae neque venti neque fulgura. Nam sine medio transeunt de uno loco ad alium, ut scribit Gregorius Nyssenus lib. 1 *de anima* cap. 11 et S. Thomas. Unde etiamsi, quando Angelus custos est in summo caelo, longissime distet a nobis, tamen non est periculum, ne non adsit in tempore, quia videt clarissime nos et nostras miserias, et statim adest, quia non transit caelos et aërem, sed sine medio venit. Unde propter velocitatem comparantur a Da-

[88] De Habacuc cf. *Dan.* 14, 32-38, de Elia IV *Reg.* 2, 11; *Eccli* 48, 13; 1 *Mach.* 2, 58.

[89] Greg. Nyss., *De anima* I 11; ed. Basil. 1562, p. 497; Thom. Aq., *S. Theol.* I q. 53, a. 2.

vide ventis, propter potentiam igni. *Qui facit*, inquit, *Psalm.* 103. 4. *Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem.*

Pinguntur nudis et mundis pedibus, quia liberi sunt ab 132
omni affectione simulata et immunda et conversantur nobiscum, quomodo lumen transit per lutum et sordes, et non inquinatur. Falsum est, quod quidam veteres dixerunt, angelos amasse feminas, quia scriptum est in *Genesi* 6. 2: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae 'acceperunt* 133
sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Amant nos amore puro, sine ullo suo interesse. Quod etiam significant vestes albae, in quibus apparere solent, ut patet *Matt.* ultimo v. 5 et *Act.* 1. 10. cf. 315*r*. Pinguntur denique accincti, et 134
induti sacra stola, ut intelligamus eos esse expeditos ad obsequium Dei. Nihil enim est, quod eos retardet a promptissima oboedientia. Nos retardamur saepe vel ex corruptione nat. vel ex necessitatibus variis, quibus necesse habemus servire corpori et animae, vel ex tentationibus. Illi liberi sunt, nihil habent proprii negocii. Et hoc significat sacra stola, quod sunt 135
ministri sacri: quidquid enim faciunt, in honorem Dei faciunt.

* * *

Ex his habemus tria, quae diximus initio: nunc de Gabriele. Novem sunt ordines angelorum: unde etiam in Ecclesia novem sunt ordines ecclesiastici, numerando Episcopum et primam tonsuram. Gabriel ponitur a multis in secundo 136
ordine, i. e. inter Archangelos: ab aliis in primo, id est inter Seraphinos, quia aliqui, ut Dionysius, putant non mitti eos ex tribus infimis ordinibus: aliqui putant mitti ex omni ordine. Certum est, magnum quendam esse Gabrielem, et ei revelatum fuisse prae caeteris hoc maximum mysterium. Ipse 137
enim revelavit Danieli tempus adventus Messiae. *Dan.* 9. 20-27. Idem apparuit Zachariae et nunciavit ortum praecursoris

---

132 DIONYS. AREOP. *De coel. Hier.* cap. 7. 9 et 13: *MG* 3. 205. 209. 237. 300-308 coll. S. *Th.* I q. 112. a. 2 et cap. M. *Hom.* in *Ev.* II 34. 3. 12: *ML* 76. 1254.

Luc. 1, 19. Idem denique apparuit, et nunciavit B. Mariae hoc mysterium. (f. 315*v*)

Sed qua forma apparuit Virgini? Tribus modis potest videri angelus, in propria essentia, in imagine interiori, et in imagine exteriori. Primo modo non potest videri, nisi mente, et mente separata a corpore. Sic videbimus in patria. Secundo modo videtur in somnio, ut patet de sancto Ioseph: * *Matth.* 1, 20 et 2, 13: *Apparuit angelus in somnis Ioseph.* Neque ideo credendum est omnibus somniis, etc. Tertio modo videtur oculis corporis, ut patet de Abraham, Tobia, etc. Certum est, quod B. Virgini apparuit in imagine exteriori, id est in forma humana, sed cum splendore, ut intelligeretur esse Angelus, quomodo eos viderunt tres Mariae ad sepulchrum. Nam 1° Evangelista ait 1, 28: *Ingressus Angelus ad eam.* 2° In graeco habetur v. 29: *Quae cum « vidisset », turbata est.* Et in responsorio: *Expavescit Virgo de lumine.* 3° Decebat, ut Virgo esset certissima de nuncio. Certiora sunt, quae videntur oculis et audiuntur auribus, etc. 4° Apparuerat Gabriel specie corporali Danieli et Zachariae; cur non Virgini? 5° Dicunt patres, quod angeli apparere solebant in forma humana ut honorarent naturam, quam sciebant Deum honoraturum honore summo in Incarnatione: at hoc maxime conveniebat eo tempore, quo nunciabatur ipsa Incarnatio.

Hic addi possunt aliqua de imitatione puritatis et obedientiae angelicae, cum simus futuri eorum cives.

*DOMINICA TERTIA ADVENTUS

Sermo tertius super Missus est Angelus.

APUG 385*a* f. 321*r* *17 dec. 1600

Nunc dicendum, quo missa sit legatio; et dicitur **Luc.* 1, 26: *Ad civitatem Galileae Nazaret, ad virginem desponsa-*

---

158 *Brev. Rom.* in festo Ann. B. M. V., 25 mart., ad lect. 1am.

*tam viro, *cui nomen erat Ioseph, de domo David; et nomen virginis Maria.* Hic dicemus omnia, quae in toto hoc evangelio habentur de B. Virgine. Habentur quatuor: nomen, status, virtutes et patria.

* * *

Nomen est Maria, quod est hebraicum *Miriam*. Significat stillam maris, et potest etiam significare stellam seu luminare maris. Nam *mar* significat stillam, *maor* luminare, *iam* significat mare. Sine dubio nomen fuit impositum singulari providentia Dei, sicut plurimis aliis Sanctis in testamento veteri. Significat hoc nomen summam virginis humilitatem et exaltationem. Nam *Luc. 14, 11: *Qui se humiliat exaltabitur.* Quid erat virgo in oculis suis? Stilla maris. Nihil vilius terra et mari, quae sunt infima elementa, et unum globum faciunt. Sed adhuc vilior est una gutta maris quam granum unum terrae, quia fragilior, etc. Itaque non poterat inveniri res vilior, cui se B. Virgo comparare posset. At quo eam perduxit gratia Dei? Ut esset stella lucidissima, altissima, maior toto mari, et in quam intendant omnes nautae. Mare est genus humanum plenum confusione, amaritudine, mutabilitate. Sed omnes magni nautae post (f. 321*v*) Deum respiciunt hanc stellam; et quae in oculis suis erat infima creaturarum, facta est prima creaturarum.

* * *

Status est, virgo coniugata. Voluit Deus, ut mater Messiae esset virgo et coniugata. Virgo, quoniam non decebat nasci Sanctum sanctorum nisi ex altissimo gradu sanctitatis; coniugata, quoniam debuit celari mysterium aliquo tempore, et interim consuli honori eius, ne putaretur fornicaria; 2° ut haberet solatium viri in tot laboribus; 3° quoniam voluit Deus hoc modo approbare statum virginum et coniugatarum, et solum repudiare statum meretricum, etc., et sic confundere haereticos, qui vel nuptias vel virginitatem damnabant. De

---

36–38 De sermone in Nat. B. M. V. cf. supra p. 158. De nobilitate S. Iosephi et Davidis vide vol. II serm. de Concept. immac.

nobilitate Iosephi et Davidis diximus in sermone de Natali B. Mariae.

Virtutes sunt plurimae et maximae. Primo dicitur ab Angelo *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres*. Dicitur plena gratia dupliciter: 1° quia habuit omnes effectus gratiae in summo gradu, et sic fuit gratiosissima, ut habetur in textu graeco. Duo sunt effectus gratiae: primus tollere peccatum, secundus facere opera meritoria. Gratia in utroque effectu habet suos gradus. Nam unus gradus est, delere peccatum; alius gradus maior, praevenire peccatum; (f. 322*r*) item unus gradus est, delere vel praevenire mortale; alius altior, delere vel praevenire etiam veniale; denique unus gradus est, praevenire aliqua, alius altior praevenire omnia. In aliis Sanctis fuit gratia paenitentiae, quae delevit peccata commissa, ut in Magdalena; in aliis gratia innocentiae, quae praevenit peccata mortalia, ut in Ioanne Baptista. Sed nullus habuit gratiam, quae praeveniret omnia peccata venialia, et multo minus originale, nisi Maria. Ideo gratiosissima fuit, et de ea potest dici **Cant.* 4, 7: *Et macula non est in te.*

Quod ad alterum effectum, habet etiam gratia suos gradus. Nam aliqui faciunt ex gratia plura opera meritoria, aliqui pauciora; aliqui maiora, aliqui minora; Maria fecit plurima, imo omnia eius opera libera fuere meritoria, fecit etiam maxima, quod patet ex praemio, quod fuit summum, cum sit exaltata super choros angelorum, et praemium respondet merito. Fuit igitur plenissima gratia.

Secundo datur gratia maior vel minor in ordine ad officia. Elisabeth dicta est plena Spiritu Santo, **Luc.* 1, 41; et etiam Zacharias plenus Spiritu Sancto, *Luc.* 1, 67; Apostoli pleni Spiritu Sancto, *Act.* 2, 4; Stephanus plenus gratia, *Act.* 7, 55. Sed Elizabeth et Zacharias dicti sunt pleni Spiritu Sancto in ordine ad cognoscendum mysterium incarnationis, id est habuerunt gratiam sufficientem ad cognoscendum illud mysterium. Apostoli (f. 322*r*) fuerunt pleni in ordine ad prae-

---

48 text. graec.: κεχαριτωμένη.

dicandum omnibus linguis, ad cognoscenda omnia mysteria, ad facienda miracula, denique ad mundum convertendum, et haec fuit maior gratia. Stephanus fuit plenus in ordine ad martyrium sustinendum primus omnium, etc. Itaque omnes fuerunt pleni, quia habuerunt totam gratiam, quae erat necessaria ad illud officium; et tamen gratia erat inaequalis. Maria fuit plena in ordine ad officium summum, id est, ut esset digna mater Dei, ideo gratia eius fuit maxima.

Hinc colligimus, quod Maria vere fuerit humillima, et omnino vacua omnis vanitatis. Nam ad recipiendam multam gratiam, requiritur, ut vas sit magnum et vacuum: Vas, in quo recipitur gratia, est humilitas. *Iac. 4, 6: *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam.* *Psalm. 103, 10: *Inter medium montium fluent aquae. Facite fossas et fossas,* inquit Eliseus *IV *Reg.* 3, 16. Cogita, quanta fuerit Mariae humilitas, quae tantam habuit gratiam. Pari ratione vas debet esse vacuum vanitate, amore mundi, ut possit impleri amore Dei. *Psalm.* 61, 9: *Effundite coram illo corda vestra.* Magna stultitia hominum, quod velint magno labore emere aquam sordidam, et ea cor suum implere, et non velint gratis accipere vinum et lac et balsamum preciosissimum, quod nobis Deus offert. (f. 323r).

Dominus tecum. Hic aperitur fons superiorum gratiarum. Unde enim habuit B. Virgo tot gratias? Non a sua potentia, neque a suis meritis: sed quia, ut Angelus dixit, *invenit gratiam coram Domino,* i. e. complacuit Domino illam eligere prae omnibus aliis. Nos enim amamus ea, quae bona sunt, et illa eligimus; at Deus amando et eligendo facit bona. Fuit igitur Dominus cum Maria, illam eligens et amans antequam esset, praeveniens gratia, ne in peccatum originale incideret, ornans illam donis, et deinde semper est cum illa conservans thesaurum suum. Exemplum de arbore plantata iuxta rivas aquarum, quae ideo numquam siccatur, semper viret et fructus facit, etc.

Benedicta tu in mulieribus. Hic attingit in particulari supremam gratiam maternitatis Dei; quam ut B. Virgo facilius

crederet, ideo praemisit, quod sit plena gratia et Dominus cum illa. *Benedicta in mulieribus* dicitur, quia electa inter omnes mulieres ad hoc maximum opus concipiendi et pariendi Deum. Quod illa agnoscens ait: *Beatam me dicent omnes generationes.* Ex hac benedictione natae sunt illae aliae benedictiones, quod careat duobus malis, quorum alterum omnes mulieres habent, nimirum orbitate et dolore partus. Item quod habeat duo bona, quorum altero omnes mulieres carent, nimirum florem virginitatis et fructum prolis. Denique, quia benedictio Dei in Scripturis significat (f. 323*v*) fecunditatem, **Gen.* 1, 22: *Benedixit eis, et ait: crescite et multiplicamini.* B. Virgo est super omnes benedicta, quia peperit filium, qui plus valet infinitis filiis, et quia per illum facta est *mater omnium viventium,* ut Epiphanius probat. Hunc enim titulum habuit Eva in figura Mariae, **Gen.* 3, 20.

Quarta virtus Mariae habetur in illis verbis: *Turbata est.* Nam iustus cum laudatur in facie, flagellatur in corde. Non agnoscens in se tot laudes, non gavisa est, ut faciunt superbi, sed turbata est, ut faciunt humiles. Quinta in illis: *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Hic apparet maxima prudentia. Nam etiamsi non agnosceret in se eas laudes, tamen non audebat suspicari Angelum mentiri. Ideo suspendebat iudicium, et examinabat. Apparet etiam modestia. Scriptum est enim **Eccli.* 32, 10: *Adolescens loquere in causa tua vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsio tua.* Sexta in illis, *Quomodo potest fieri istud?* quod esset incredulitatis. Sed petiit modum, quo debebat impleri divinum mandatum, cum ipsa haberet votum virginitatis. Ultima in illis: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* Hic ostenditur fides et spes, charitas, humilitas, obedientia. (f. 324*r*) Nam credidit posse fieri, ut virgo pareret, quod numquam factum fuerat. **Luc.* 1, 45: *Beata, quae credidisti.* Speravit, in se id implendum, et quia spes excitat desiderium, oravit ut fieret: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Et quia oratio talis animae

120 EPIPHAN., *Adv. haer.* 78, 18; *MG* 42, 728.

contemni non poterat, sine mora factum est. Amavit, imo exarsit in amorem tanti benefactoris, ut apparet ex Cantico *Luc. 1, 46: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Denique humilem obedientiam exhibuit cum ait: *Ecce ancilla Domini.* Nam etiamsi se indignam tanta gratia existimabat, tamen sciebat, Deum nihil a nobis magis quaerere quam obedientiam; ideo non excusavit, sed simpliciter obtulit se promptam, etc. Hoc deberent imitari omnes, qui vocantur ad magna officia, nimirum fugere duo extrema, et conservare humilitatem et obedientiam. Ex humilitate vera nullo pacto se ingerere, nec per se nec per alium, non quaerere, non desiderare, non cogitare altiora, contentum esse humili et securo statu. Nam vere ille magnus est, qui magnus est coram Deo, id est humilis et amans; sed quando constat clare Deum velle, ut quis in altiori gradu illi serviat, non obedire non humilitas, sed superbia esset. *Ecce ancilla Domini.* Non dixit humilis Virgo: Nolo esse mater Dei; nimium est hoc, etc.; sed: *Ecce ancilla Domini, *fiat mihi secundum verbum tuum.* (f. 324*v*)

* * *

Quo missa est legatio? *Ad civitatem Galileae, cui nomen Nazaret.* Quare hoc? 1° quia Deus in omnibus rebus suis eligit humilia. Galilea contemnebatur a Iudaeis, *Ioan. 7, 52: *Scrutare Scripturas, et vide quia a Galilaea propheta non surgit.* Et Natanael, *Ioan. 1, 46: *A Nazaret potest aliquid boni esse*? Et in ipsa Nazaret non elegit Deus magnum palatium, sed domunculam exiguam. Quam tamen Deus postea honoravit, ut conservaret integram tot seculis, et manibus angelorum transferret, etc. 2° quia in Galilaea habitabant gentiles cum Iudaeis, unde dicebatur Galilaea gentium. Ideo Salvator, qui veniebat pro salute omnium, voluit concipi in Galilaea. 3° quia voluit Deus occultare mysterium superbis, et manifestare humilibus, sicut dixit *Matth. 11, 25: *Confiteor tibi pater, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et rursum *Ioan. 9, 39: *Ego in iudicium veni, ut qui non vi-*

175 *dent videant, et qui vident caeci fiant.* Scripturae docebant Messiam nasciturum in Betlehem civitate David, et Regem futurum, quae sunt vere impleta, et nota iis, qui humiliter discere volebant; tamen concipi voluit in Nazaret et dici Galilaeus et Nazarenus, ut superbi Pharisaei non intelligerent, etc.

IN NATALI DOMINI

Super epistolam « Apparuit »

APUG 384 f. 139*r* *25 dec. 1600

Epistola hodierna **Tit.* 2, 11, declarat effectum primarium
5 adventus Domini in hunc mundum. Sunt autem verba huius lectionis plena mellis et saccari spiritualis: et tam utilia, ut Paulus ipse iubeat haec proponi a praedicatoribus. *Haec,* inquit 2, 15, *loquere et exhortare.* Et Ecclesia illi obediens non semel hanc lectionem proposuit. Summa est, quod in natali
10 Domini manifestavit Deus amorem suum erga homines, et simul docuit nos, quomodo debeamus Deum diligere et ad regnum eius pervenire. *Apparuit,* inquit, *gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, *ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus*
15 *in hoc saeculo.* Dicam igitur 1° quid sit ista gratia; 2° quomodo apparuit omnibus hominibus; 3° quomodo nos perfecte instruxit.

* * *

Gratia duo significat: 1° amorem purum, quia talis amor gratis impenditur, estque primum donum et radix omnium

---

5–13 Sunt autem... nos etc. *cB*: quare Verbum voluit fieri caro, et Filius Dei aeternus voluit nasci in tempore, et nasci cum tot incommodis in hieme, noctu, in spelunca? Ut Deus nobis *ostenderet amorem suum, et sic nos erudiret et traheret ad regnum suum. Venit igitur Dei Filius in mundum; hodie comparuit coram oculis mortalium; et impletum est quod Paulus ait: Apparuit gratia etc. *la.*

donorum. Hinc Spiritus Sanctus dicitur proprie donum, donum Dei altissimi, etc., et effudit hoc donum, quia est amor spiratus, etc.: 2° dona omnia, quae ex amore promanant, et sic gratia Dei primo modo est in Deo, secundo modo est in nobis. Unde dicitur B. Virgo **Luc.* 1, 28 *gratia plena;* et sanctus Stephanus **Act.* 7, 55 *plenus gratia,* et Paulus de se **1 Cor.* 15, 10: *Gratia eius in me vacua non fuit.* Et **1 Tim.* 4, 14: *Noli negligere gratiam Dei, quae data est tibi per impositionem manuum mearum.* Sic dicitur gratia: fides, spes, charitas, et illuminatio, protectio, etc. (f.139*v*)

Hic accipitur primo modo, ut patet ex verbis illis in eadem epistola: *Apparuit benignitas et humanitas,* graece φιλανθρωπία, i. e. amor erga homines. Deus enim diligit homines magis quam omnes inferiores creaturas, quas propter illos condidit. Diligit etiam magis quam angelos aliquo modo. Sicut pater diligit magis tenere filium aegrotum quam sanum: ita Deus compatitur infirmitati et miseriae, in quam incidimus ex invidia diaboli, et ostendit hac de causa maiorem in nos dilectionem, et ad maiorem gratiam et gloriam hac occasione hominem extulit per mysterium incarnationis.

Haec autem maxima benevolentia hodie apparuit. Nunc enim primum apparet, quod Deus magis diligat hominem quam angelum. **Hebr.* 2, 16: *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Praeterea apparuit haec maxima gratia ex incarnatione tamquam ex beneficio insolito, et quod nemo possit negare proficisci ex amore erga homines. Nam beneficia naturalia sunt tam ordinaria, ut a multis non considerentur, nec Deo proprie tribuantur, ut patet etiam apud Christianos: at hoc beneficium tam insolitum, tam novum, tam magnum cogit, (f. 140*r*) ut advertamus, etc. Item dicitur apparuisse ex nativitate amor Dei, quia reliqua attributa vi-

29 protectio etc.: *sBe* 3° dicitur gratia recognitio et testificatio accepti beneficii: unde dicimus: habere gratias, agere gratias etc.

34 aliquo modo: *sBe* Nam etiamsi Angeli sunt natura nobiliores, tamen homo continet eminenter totum mundum, cum contineat spiritum et corpus, etc. Praeterea

dentur potius obscurata. Nam exinanivit semetipsum: potentia videtur obscurata, quia factus est debilis; sapientia, quia factus est infans; dominium, quia accepit formam servi; bonitas, quia in similitudinem carnis peccati; beatitudo, quia plenus miseriis: ut quo magis ista obscurata sunt, eo magis amor apparuit.

Denique amor cognoscitur tribus modis: verbis, beneficiis, laboribus. Ex verbis credimus nos amari, ex beneficiis videmus nos amari; sed ex laboribus, cum videlicet amans patitur aliquid pro amato, palpamus nos amari, nec ullum dubium remanet. Deus igitur ante dicebat se amare; item beneficiis ostendebat. At nunc pati coepit multa incommoda pro nobis, unde apparet evidentissime, quod nos ardentissime amet. Antea dicebant homines de Deo *Iob. 22, 14: *Circa cardines coeli ambulat, nec nostra considerat;* at nunc, cum in stabulo conspiciatur propter nos, quis dicere potest, quod non amet nos? (f. 139*v*-marg.).

* * *

Deus non erat expertus, quanta sit miseria esse in tenebris; at nunc nasci voluit in horrore mediae noctis. Non erat expertus inopiam, et quid sit in itinere non invenire hospitium: at nunc propter nos voluit nasci in stabulo, non inveniens hospitium. Non erat expertus famem et sitim et frigus: at nunc ista omnia pati voluit. Non erat expertus quid sit indigere nutrice et baiulo et fasciis, etc. Apparuit ergo gratia Dei. Quid enim clamant stabulum, praesepe, tenebrae, fasciae, fames, sitis, frigus, nisi: *Apparuit gratia Dei*? (f. 140*r* medio).

Sic igitur apparuit gratia Dei; et hic est sensus literalis. Potest autem et aliter exponi mystice, quod nunc apparuerit precium gratiae Dei, i. e. quanti faciendum sit esse in gratia Dei. Multi enim tam parvi hoc faciunt, ut libenter perdant gratiam Dei pro quocumque bono creato. At nunc apparet gratia i. e. cognoscitur eius valor, cum videamus Deum ipsum de coelo descendisse, ut eam nobis recuperaret. Si puer daret gemmam pro uno pomo, existimans vitrum esse; et pater eius venderet omnia sua ut eam recuperaret, nonne cognosceret

filius precium eius? At nunc Pater noster dedit omnia sua, et ipsam vitam et sanguinem pro gratia recuperanda. (f. 140*v*).

Apparuit autem gratia ista *omnibus hominibus*, quia omnes eam cognoscere possunt, si volunt, cum Deus miserit nuncios ad omnes provincias, et miserit cum literis et sigillis authenticis, id est cum verbo Dei et miraculis. Antea *notus erat in Iudaea Deus, *Psalm.* 75, 2, et apud gentiles pauci quidam magno ingenio discurrentes, invenerunt unum esse verum Deum qui haberet providentiam omnium rerum. At nunc doctis, indoctis, nobilibus, vilibus, viris, feminis, pueris notum est. Nunc enim *in omnem terram exivit sonus eorum, *Rom.* 10, 18, et *vidit omnis caro salutare Dei, *Luc.* 3, 6. In cuius rei signum voluit Christus mox agnosci ab aliquibus de omni genere: a Iudaeis pastoribus; a magis gentilibus; a sacerdotibus, ut Zacharia; et laicis, ut Iosepho; a virginibus, ut Maria; viduis, ut Anna; coniugatis, ut Elisabetha; denique a senibus, ut Simeone; ab infantibus, ut Ioanne Baptista.

Nec mirum si apparere debuit omnibus hominibus, quod erat necessarium omnibus hominibus. Id significat prophetia *Aggaei* 2, 8: *Movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus*. Dicitur *desideratus a gentibus*, non quod illum desiderarent, quem ignorabant, sed quia morbus universalis omnium gentium talem medicum desiderabat. Quomodo dicimus, quod terra arida desiderat pluviam, et opera imperfecta desiderant suam perfectionem. (f. 141*r*)

* * *

At quid nobis prodest ista gratia Dei manifesta? *Erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria sobrie, iuste et pie vivamus in hoc seculo.* Ad hoc apparuit gratia Dei, ut nos erudiret. Quomodo erudit gratia? Efficacissime, quia beneficium acceptum docet, quid agere debeamus erga donatorem. Sed quid nos docuit? Quid? Num cognoscere naturam caeli et stellarum cursum et similia? Venit magister Deus, ut nos doceret res utilissimas et doceret gratis, imo daret mercedem auditoribus, et tamen paucissimi discere volunt.

Duo sunt fontes omnium malorum, *impietas et secularia desideria,* i. e. non agnoscere et non amare verum summum bonum; et aestimare magni atque amare pro summo bono res parvas et transeuntes. Ex primo oriuntur idololatriae, haereses, magiae, blasphemiae, periuria, sacrilegia, contemptus religionis, etc. Ex secundo oriuntur superbia, ambitio, avaritia, luxuria, iniustitiae omnes et omnes impudicitiae. Docet autem nos Deus, haec omnia non solum declinare, sed horrere ac fugere et odisse. Hoc enim significat verbum *abnegare,* ut expendit Chrysostomus. Exemplum de servo, qui abnegat dominum, i. e. rebellat ei. Non enim audet amplius coram eo comparere, sed fugit longissime.

Sed non sufficit fugere haec vitia, ideo docet nos Deus amplecti virtutes contrarias: *sobrie, iuste et pie vivere.* Sobrie quo ad nos, iuste quo (f. 141*v*) ad proximum, et pie quo ad Deum. Nos ipsos nimium amamus, ideo docemur sobrii esse erga nos; proximum amamus nunc parum nunc nimis, ideo docemur iusti esse; Deum nimis parum amamus, nec possumus illi reddere aequale, ideo iubemur pii esse, i. e. affectu filiali maximo. Quomodo nos haec docet gratia Dei, quae apparuit? Docet exemplo Verbi incarnati. Hodie enim Verbum incarnatum in praesepi quasi in cathedra docet primo fugere et horrere omnia peccata, quia cum peccato numquam pacem habere voluit. Ideo assumpsit miserias nostras, sed absque peccato. Ideo nasci voluit ex virgine, sine peccato originali, in specie innocentissimi infantis, et tota vita peccatum persequutus est. Secundo docuit *sobrietatem* et *fugere saecularia desideria,* quia accepit de hoc mundo quanto minus potuit. Hoc enim signum est, quod non modo non amabat delicias, sed horrebat.

Et quidem facile est et non mirum, carere rebus tempo-

135-139 Nos ipsos ... maximo. *cB*: Multi enim vellent simul amare Deum et saecularia desideria, vel neutrum. At perfecta vita est odisse illa, et amare ista. *Ia.*

---

129 Chrysost., *In Tit.* cap. 2, hom. 5, 1: *MG* 62, 689; *In Matth.* hom. 55, 1: *MG* 58, 542.

ralibus, cum quis non potest eas habere: at Christus poterat totum mundum habere, si voluisset. Noluit autem, ut nos doceret eum contemnere. Si quis venderet falsas gemmas, et multos deciperet, et postea veniret peritissimus aurifex, et diceret esse falsas, certe crederetur ei. Ita etc. Intelligebat et intelligi volebat, res temporales, cibum, potum, vestes, domos, famulos, agros, pecunias et similia non esse finem, sed media, et quasi medicamenta nostrae infirmitatis; unde in resurrectione, cum corpora erunt sanissima, ista omnia relinquentur. Proinde esse capienda in hoc mundo, quomodo capiuntur medicamenta, i. e. quanto minus sufficit. Docet etiam iustitiam, nam voluit in utero matris venire ad reddendum censum Caesari, quamvis non teneretur, nisi opinione hominum. Voluit nasci in spelunca potius quam deturbare aliquem de domo vel hospitio. Et in tota eius vita *non inventus est dolus in ore eius,* *1 *Petr.* 2, 22. Denique adeo dilexit iustitiam, ut voluerit totum sanguinem profundere, ut nostro debito iuste satisfaceret. (f. 142*r*)

Quid dicam de pietate? Pietas est affectus, quem debet pater filio, et filius patri, affectus vehemens, tener, liber, non servilis, etc. Christus in carne docuit hoc, quia erga Patrem suum et erga nos filios suos hunc affectum ostendit. Quare nascitur in stabulo cum tot incommodis? Ut obediat Patri, quia videbat hoc Patri placere: *Quae placita,* inquit *Joan.* 8, 29, *sunt ei facio semper.* Videbat hoc in gloriam Dei Patris tendere, unde hoc viso canunt angeli *Luc.* 2, 14: *Gloria in excelsis Deo.* Ostendit etiam pietatem erga nos filios suos, quia pro nostra utilitate ista omnia libenter patiebatur.

Magna persuasio est haec, nisi aures claudamus. Deus noster, qui bonorum nostrorum non eget, ita pius est erga nos, ita nos amat; et nos erimus impii erga illum? Pii afficiuntur erga patrem, erga patriam caelestem, et nihil suavius illis est in peregrinatione, quam loqui de illis. Et tamen nunc homines toto die fabulantur, detrahunt, etc., et de Deo ne recor-

181-188 pii... onera etc. *apim.*
188 Deus *add.*

dantur quidem. Item pii afficiuntur erga omnia sacra, non sunt cogendi ad orationem, ad laudes Dei, ad conciones, etc.; omnia videntur eis brevia. At nunc omnia videntur longa et molesta, quasi onera, etc. Deus horret delicias, horret iniustitiam, horret secularia desideria, et nos ista amabimus?

Et tamen quam pauci discunt hanc doctrinam? Quis est, qui non habeat secularia desideria? Et tamen ipsum nomen deberet sufficere ad persuadendum fugam talium desideriorum. Si quis vellet retinere flumen, stultus esset: nam si ab una parte obstruas, ab alia erumpit. Conantur avari retinere pecunias, faciunt illis aggeres per usuras; ita ambitiosi honores; voluptarii voluptates. Sed flumen debet fluere: venit mors, et omnes aggeres rumpit, etc. Si igitur res ipsa, quam desideramus, vere temporalis est, id est fugiens et volans velocissime cum tempore, quomodo digna est, ut ab anima capace bonorum aeternorum ametur? praesertim cum eius amor impediat consequutionem aeternorum. (f. 142*v*)

Ideo subditur: *Exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei.* Non vult Deus, ut careamus desiderio rerum temporalium et nihil desideremus, sed vult nos evacuare cor a desiderio rerum inanium, ut illud impleamus desiderio rerum solidarum. Vult igitur ut exspectemus beatam spem, i. e. summam beatitudinem speratam. Sed quia non potest exprimi magnitudo illius rei, ideo dixit in genere beatam spem. Vult etiam, ut simus nunc conformes Christo humili et pauperi, ut simus illi conformes in adventu gloriae, et ideo desideremus et exspectemus adventum gloriae, i. e. adventum gloriosum. Et addit: *magni Dei,* quia tunc plane cognoscetur magnitudo Dei. Nunc enim a multis contemnitur, blasphematur, et multis dormire vel impotens videtur. At in illa die tanta erit gloria eius, et tam perspicua, ut totus mundus simul genua flexurus sit, iuxta illud **Rom.* 14, 11: *Vivo ego, quia mihi flectetur omne genu.* Quid faceres, quid dares tunc, si posses amicus eius inveniri? Id nunc facite, et tunc securus eris.

193–197 si quis... rumpit etc. *apim.*

IN DIE CIRCUMCISIONIS

Super Epistolam *Apparuit*

*APUG 384 f. 231*r* *1 ian. 1601

Hodie incipit novus annus, et incipit in nomine Domini, quia hodie impositum est *nomen, quod est super omne nomen* *Philipp. 2, 9. Dicam de causa, unde meruit hoc nomen peculiarem reverentiam, et simul explicabo reliquum epistolae, quam in Natali exponere coepimus, quia eadem epistola hodie legitur.

* * *

Hoc igitur nomen *Iesus* merito honoratur singulari reverentia, 1° quia Paulus hoc docet dicens *Philipp. 2, 10: *In nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum.* Itaque etiamsi rationem aliam non haberemus, sufficeret autoritas Pauli, per quem Spiritus Sanctus loquebatur. 2° quia est nomen proprium Domini nostri. Reliqua enim omnia sunt communia, ut propheta, rex, sacerdos, imo nomen Christi, *Psalm. 104, 15: *Nolite tangere Christos meos,* et nomen Dei, *Psalm.* 81, 6: *Ego dixi Dii estis.* 3° quia exprimit omnia beneficia eius, unde hoc nomen audientes recordamur non solum Christi, sed et beneficiorum eius. Nam si consideres hoc nomen hebraice, habes unum beneficium; si graece, habes aliud; si consideras numerum literarum, aliud; si figuram, qua pingitur, aliud. Et haec omnia habentur in reliqua parte epistolae, nimirum in illis verbis *Tit. 2, 14: *Qui tradidit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* (f. 231*v*)

Primum beneficium est liberatio a damnatione perpetua. Hanc significat nomen Iesu hebraice. Significat enim Salva-

[1] Redactionem novam huius sermonis vide in vol. IV super Epist. in Nat. Dom., 25 dec. 1602. Cf. supra p. 157.

torem, ut notum est. Ita exposuit Angelus *Matth.* 1, 21: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum *a peccatis eorum.* Et *Luc.* 2, 11 Angelus ad pastores: *Natus est vobis hodie Salvator.* Salvare proprie est liberare a morte impendente, ut cum quis ducitur ad supplicium, si quis eum liberet, dicitur eum salvasse. Sic Apostoli in mari **Matth.* 8,25: *Domine salva nos; perimus.* Nos omnes propter peccatum Adae et reliqua adiuncta tria mala incurrimus: 1° Reatum mortis aeternae, **Rom.* 6, 23: *Stipendium peccati mors.* 2° Maculam et deformitatem interiorem: *Facti sumus sicut immundi omnes nos, *et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae, et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos,* inquit *Isaias* 64, 6. 3° Debilitatem in bene operando. Nam **2 Cor.* 3, 5: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis,* id est privati gratia Dei.

Salvatio propriissime pertinet ad primum, et de hoc loquitur Paulus cum ait 2, 14: *Ut nos redimeret ab omni iniquitate,* id est soluto precio sanguinis sui satisfaceret pro nobis, et sic impediret, ne descenderemus in mortem aeternam, ad quam iam damnati eramus. Quantum est hoc beneficium! Certe si illud bene ponderaremus, summa reverentia inclinaremur ad hoc nomen, quod nobis repraesentat hoc beneficium. (f. 232*r*) Cogita quid sit mors aeterna, et certo crede, quod iam eras ad illam iuste damnatus et illi vicinissimus, ut est vicinus morti, qui iam est in scalis patibuli: et tunc intelliges magnitudinem huius beneficii. Qui desperatus est a medicis, et tamen industria alicuius sanatus, quanti facit hoc beneficium! Et tamen liberatur a morte in quam iterum incidet; proinde differt mortem, non evadit. Tamen maximi facit hoc beneficium, quia scit, mortem esse summum malum temporale. Unde nos tam parvi aestimamus salvationem a morte aeterna? Quia non intelligimus et vix credimus esse id quod est. Esse tamen docet Scriptura Sancta. Docent etiam visiones plurimae apud Gregorium, Bedam et alios.

---

63 Greg. M., *Dial.* IV cap. 52 sqq: *ML* 77, 413; Beda, *Hist. Eccl.* V 12: *ML* 95, 247.

Secundum beneficium colligitur ex nomine Iesu graece. Nam ut Epiphanius et alii tradunt, hoc nomen secundum graecam etimologiam significat medicum. Et verissime Christus est medicus, ut ipse dixit, cum murmurarent aliqui, quod ipse versaretur cum peccatoribus: *Non opus est,* inquit *Matth.* 9. 12, *medico iis, qui bene valent.* Non solum nos Christus salvat a morte futura, sed etiam a morbo praesenti. Peccatum est morbus, si consideremus duo illa mala, maculam et debilitatem. Deformitas enim peccati est sicut deformitas aegroti, quae coniuncta est cum debilitate. Et de his (f. 232*v*) dicit Paulus, *Tit.* 2, 14: *Et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum;* id est sanaret a morbo peccati, et sic de pallido et deformi faceret pulchrum, et de infirmo ad bene operandum faceret fortem operatorem bonorum operum. Vis videre imaginem spiritualis aegroti, id est peccatoris? Respice laborantem ardentissima febri. Ille iacet in lecto ociosus, deformis macie et ariditate, debilis ut non possit ambulare, imo nec stare. Amisit gustum omnium solidorum ciborum et ipsius etiam vini. Solum sitit aquam, eam solam cogitat, eam loquitur, eam quaerit, eam somniat; nec tamen datur ei ad satietatem. Vere miser est, qui talis est, cum negligat omnes delectationes, et solum cupiat rem vilissimam, quam sani vix dignantur aspicere. Talis est peccator deformis coram Deo, debilis ad bona opera, sine gustu boni aeterni, et totus occupatus in rebus vilissimis et transitoriis, quas ad satietatem habere non potest, nec eas tenere, quia transeunt, sicut ipsa etiam vita transit. Unde qui sani sunt, ut erat Christus, et Ioannes Baptista, eas contemnunt, etc. Ab hoc morbo non liberat nisi Christus. Philosophi conati sunt remedia adhibere, sed nihil profecerunt, quia morbus oritur ex natura corrup(f. 233*r*)ta. Ideo solus naturae auctor eum tollere potest. At cum Christus gratiam suam infundit, continuo sanamur, mundamur, roboramur, gustamus bona solida, contemnimus aquas transeuntes. Et non solum possumus bene

---

65 EPIPHAN., *Adv. haer.* 29, 4: *MG* 41, 397.

operari, sed efficimur *sectatores bonorum operum*, id est professores et artifices bonorum operum.

O si intelligerent Christiani professionem suam. Professio Christiani propria non est philosophia, medicina, iuris prudentia, militia, agricultura, pictura, etc. Ista sunt communia cum gentilibus, cum Iudaeis, cum haereticis. At propria est professio bonorum operum. Et sicut si dicas pictori: « Fac mihi calceos », respondebit: « Non est mea professio »: ita deberet Christianus suadenti falsum testimonium, fraudem, adulterium, respondere: « Non scio, non possum, non est mea professio, etc. ». Dixit Poeta de Romanis: Alii erunt sculptores, oratores, astrologi, sed:

> *Tu regere imperio populos, Romane, memento.*
> *Hae tibi erunt artes.*

Ita de Christiano dici potest: faciant alii quicquid volunt, excellant in aliis rebus, tu Christiane memento tibi subiicere omnia terrena. Hae tuae sint artes: bona opera facere, non declinare a recto. (f. 233*v*)

Tertium beneficium colligitur ex numero, qui ex literis consurgit. Nam Hebraei et Graeci loco notarum numericarum habent literas. Ex nomine Iesu colligitur numerus 888. Unde in primo libro *Carminum Sybillinorum* habemus, quod Sybilla Cumana sexcentis annis ante Christi adventum praedixit, nomen Salvatoris esse 888. Et contra sanctus Ioannes scribit in *Apocalypsi* 13, 18, nomen Antichristi futurum 666. Mysterium horum nominum notat Beda in *Commentario Lucae*. Numerus senarius in Scripturis est numerus laboris, septenarius quietis, octonarius beatitudinis. Unde Christus sexto die passus est, septimo requievit, octavo resurrexit in gloria. Antichristus habet numerum senarium, quia finis et fructus doctrinae eius est labor et dolor; Christus habet octonarium, quia finis et

---

109-111 Virgil., *Aen.* VI. 852.
116-123 De numeris 666 et 888 cf. *Controv. de R. Pont.* III 10.
119 Geffcken, *Or. Syb.* I 327 sqq., p. 21-22.
123 Beda, *In Luc.* I: *ML* 92, 238.

fructus doctrinae Christi est *beata spes, quam expectamus*, ut in hac epistola Paulus dixit. Et triplicantur numeri ad significandam trinam dimensionem. Nam labor et dolor impiorum erit longus in aeternum, latus amplectens omnia mala, et profundus id est purus et solidus sine ulla admixtione bonorum. Similiter dic de bonis. (f. 234*r*)

Quartum beneficium omnium maximum colligitur ex figura, qua pingitur hoc nomen. Pingitur enim cum cruce in medio ad significandum, quod reliqua beneficia nobis Christus contulit per crucem. Unde Paulus ait **Tit.* 2, 14: *Qui dedit semetipsum pro nobis*. Poterat Deus nos liberare ab inferno, condonando simpliciter poenam. Poterat curare a morbo peccati, et dare gloriam solo nutu voluntatis. Sed ut ostenderet gratiam et amorem erga homines, voluit dare semetipsum, et pati ac mori, et hoc modo nobis illa beneficia conferre. Tulit autem crucem ab initio conceptionis, quia cognovit carcerem in quo erat inclusus, et obtulit Patri pro nobis. Item in stabulo cognovit poenam, quam ibi patiebatur, quam alii infantes non cognoscunt, et offerebat Patri pro nobis.

Ista beneficia quattuor deberent esse nobis quattuor clavi, qui nos tenerent, ne in peccata rueremus, et quattuor stimuli, qui incitarent ad omnia bona, etc. (f. 234*v*)

SECTIO QUARTA

SERMONES HABITI TEMPORE ADVENTUS ET NATIVITATIS

ANNI prob. 1606

SUPER « MISSUS EST ANGELUS » SER. II

---

*DOMINICA PRIMA ADVENTUS

Sermo primus super: Missus est

*APUG 385a f. 298r *prob. 3 dec. 1606

Adventus et Quadragesima sunt tempora celebriora totius anni, quia in illo Incarnatio, in hac passio Domini recolitur. Intendo igitur in hoc adventu declarare mysterium incarnationis, non verbis meis, sed verbis Dei: semper enim praedicari debet verbum Dei: declarando evangelium *Missus est*. Sed antea dicam in summa, postea declarabo singula verba.

* * *

Summa est legatio, qualis numquam fuit neque erit. Nam legationum magnitudo pendet a quattuor capitibus; a mittente, a misso, ad quem mittitur, et a negocio.

Hic mittens est Deus. Quid est Deus? Quo nihil maius cogitari potest, a quo pendet auctoritas, vita et mors omnium

regum terrae. Unum locum solum consideremus, *Isaiae* 40, 12: *Quis mensus est pugillo aquas? Et caelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis terram?* His verbis docet Isaias per metaphoram, Deum tam magnum esse, quantus esset homo, qui in vola continere posset omnia maria, lacus, flumina, etc., et palmo uno totum caelum adaequaret; et tribus digitis terram non solum teneret, sed etiam elevaret. Et quia hoc parum est, et videtur solum (f. 298*v*) ad corporalia pertinere, addit: *Ecce gentes, quasi stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt.* Nihil vilius fragiliusve stilla situlae, quae mox cadit et perit. Nihil levius momento staterae, quod levissimo flatu impellitur. Tales sunt omnes gentes, id est omnis potentia, sapientia, divitiae, gloria omnium hominum respectu Dei. Sed adhuc parum dixit. Ideo addit: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt.* Nimium, inquit, dixi comparans omnes gentes guttae situlae, debui comparare nihilo. Tam facile enim Deus potest resistere omnibus gentibus, quam facile nos resistimus nihilo.

Neque dicuntur haec ad extenuandam magnitudinem creaturarum. Vere enim magna est terra, magnum mare, amplissimum caelum, magna multitudo stellarum, magna vis ignis, ventorum, maris; magna pulchritudo solis et lunae, magnum ingenium hominum, maxima sapientia angelorum. Sed respectu Dei haec nihil sunt. *Stellae non sunt mundae in conspectu eius* **Iob.* 25, 5. O quanta est securitas amicorum Dei, qui talem habent protectorem: quanta caecitas peccatorum, qui talem volunt habere inimicum!

Qui mittitur angelus est. Quid est angelus? Nobilissima omnium creaturarum. *Flos mundi* (f. 299*r*) vocatur ab Ambrosio. Caelum habet pro palatio; potentiam talem, ut unus angelus uno impetu occiderit centum octoginta millia Assyriorum *2 *Mach.* 15, 22; sapientiam talem, ut semper videat primam causam omnium rerum; bonitatem talem, ut numquam

---

48 Ambros., *In Luc.* VII n. 126: *ML* 15, 1751. Cf. supra p. 259.

peccaverit, et iam peccare non possit. Denique felicissima est creatura, et de sua felicitate in aeternum secura.

Ad quem mittitur, est Virgo Maria, quae etiamsi per naturam est minor angelis, tamen per gratiam est maior omnibus angelis, et iam tunc erat electa ad hanc gloriam. Ex magnitudine angelorum potest cogitari magnitudo Virginis.

Negocium est Incarnatio Verbi, id est matrimonium Verbi cum natura humana. Maior sponsus cogitari non potest; sponsa, quae est natura humana Christi, excellit omnem creatam magnitudinem; copula est inseparabilis et ineffabilis, etc. Finis huius matrimonii fuit pax, non unius regni cum alio, sed totius terrae cum toto caelo, omnium hominum praesentium, praeteritorum et futurorum cum Deo et angelis. Ideo nato Christo cantatum est *Luc. 2, 14: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus.* Et quid nobis prodest ista pax? Liberat a morte aeterna, a servitute diaboli, et facit filios Dei et haeredes Regni. Itaque transfert de carcere, de triremi, de patibulo ad Regnum aeternum. (f. 299*v*)

* * *

Veniamus ad singula verba. *In mense autem sexto.* Solent Scripturae sanctae semper initio historiarum describere tempus, ut patet ex initiis omnium prophetarum; item ex ipso *Luca* 1, 5: *Fuit in diebus Herodis Regis;* cap. 3, 1: *Anno quinto decimo imperii Tiberii Caesaris, etc.* Ita nunc incipit 1, 26: *In mense autem sexto.* Illud *autem* continuat historiam conceptionis Filii Dei cum historia conceptionis Ioannis, quasi dicat: hactenus narravi modum et ordinem conceptionis Elisabeth sterilis; nunc autem maius quid, nimirum conceptionem Virginis aggredior, quae fuit sexto mense a conceptione Ioannis.

Hic est mirabile mysterium, quod Christus et Ioannes diviserunt sibi totum annum in quattuor partes aequales. Quis enim dicat casu accidisse, ut Ioannes conciperetur in aequinoctio autumni et nasceretur in solstitio aestatis; Christus conciperetur in aequinoctio veris et nasceretur in solstitio hiemis? Ioannes significat legem veterem, Christus Evange-

lium; et quia *lex et Prophetae usque ad Ioannem,* ideo ille concipitur quando fructus finiuntur, folia cadunt, omnia arescunt; contra, Christus concipitur, quando omnia virere et florere incipiunt. Item Ioannes significat veterem hominem, qui decrescere debet; (f. 300*r*) ideo nascitur, quando dies incipiunt minui. Christus significat hominem novum; ideo nascitur, quando dies incipiunt crescere, quia homo novus debet crescere de die in diem usque ad perfectam mensuram, quae erit in beatitudine.

Nec solum in mense sexto concipitur Christus, sed etiam in sexto die tum hebdomadae tum etiam mundi. Nam secundum literarum dominicalium calculum, eo anno quo Christus conceptus est, 25ª martii erat dies Veneris; sicut etiam 25ª decembris, qua natus est, erat dies dominica. Concipitur recte Christus sexta die, quia illa die factus fuit primus homo; in eadem debuit fieri secundus homo.

Fuit etiam in sexto die mundi, id est, in sexta aetate mundi. Sicut enim sex diebus factus est mundus, et postea fuit requies Sabbathi, ita mundus volvitur per sex aetates; postea erit quies aeterna. Nec tamen ideo scimus diem iudicii, nec possumus illam definire, quia non scimus, quamdiu durat haec aetas. Prima aetas coepit ab Adam, quasi infantia; secunda a Noe quasi pueritia; tertia ab Abraham quasi adolescentia; quarta a Mose, quasi iuventus; quinta a David, quasi virilitas; sexta a Christo, quasi senectus. Senectus enim non habet certum terminum, ut patet. (f. 300*v*)

Esse hanc ultimam aetatem docet Christus *'Matth.* 24, 34: *Non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant.* Docet Paulus *'Gal.* 4, 4: *At ubi venit plenitudo temporis, 'misit Deus Filium suum.* Et nos sumus, *'1 Cor.* 10, 11, *in quos fines seculorum devenerunt.* Docet Ioannes *'Ep.* 1, 2, 18: *Filioli novissima hora est.* Vocat horam, quia licet duret longo tempore, tamen est ultimum tempus, et brevissimum respectu aeternitatis. Et Paulus in hodierna epistola *'Rom.* 13, 11: *Hora est iam nos de somno surgere;* ubi declarat, horam novissimam Ioannis esse nocturnam, non diuturnam. *Nox processit, dies ap-*

propinquavit: ubi vocat diem vitam aeternam, noctem totum praesens tempus, ultimam horam noctis et quasi auroram hoc tempus gratiae.

Quare tamdiu expectavit Christus? 1° ut intelligeretur magnitudo morbi, quam nec philosophi, nec patriarchae, nec Prophetae, neque lex Mosis curare potuit; 2° ut ostenderet excellentiam huius mysterii, quod voluit ab initio mundi praedici et figurari mille modis. Exemplum de magno Principe, quem praecedunt multi nuntii, multi forerii, multa iumenta onusta supellectilibus. Cogita, quantus sit hic Rex, quem per tot millia annorum continuo praecesserunt nuncii, iumenta, etc.

Missus est Gabriel angelus. Non est certum, an iste Gabriel sit de secundo ordine infimae hierarchiae, an (f. 301*r*) de primo ordine primae hierarchiae, quia aliqui dicunt, non mitti nisi de ultima hierarchia. Parum refert, quia omnes angeli sunt magni, sed tamen probabile est, esse Gabrielem de primo ordine primae hierarchiae. Nam quod de omnibus ordinibus mittantur, videtur docere Paulus ad *Hebr.* I, 14: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis,* et loquitur de omnibus omnino, quia probat ex hac missione ministeriali Christum esse maiorem omnibus angelis, quia ille sedet in throno ut Dominus, isti mittuntur ut ministri. Isaias 6, 6 dicit ad se venisse unum de Seraphim, Ezechiel cap. 8-9 unum de Cherubim. Item Ecclesia honorat Michaelem ut principem angelorum, et tamen Michael saepe missus est. Missus autem est Gabriel, quia illi prae caeteris revelatum est hoc mysterium. Ipse enim revelavit Danieli tempus adventus Christi, **Dan.* 9, 21; et Zachariae annunciavit nativitatem Praecursoris, **Luc.* 1, 19.

Missus est, non quomodo mittuntur homines, qui discedunt ab eo qui eos mittit. *Angeli enim semper vident faciem Patris,* **Matth.* 18, 10; et sic per activam vitam non interrumpunt contemplationem. Sic debent conari omnes praelati, qui

---

126 forerii; ital. forieri; gall. fourriers: i. e. praenuntii.

141-142 Cf. festa S. Michaelis 8 mai et 29 sept. cum *Missa et Officio; litan. Omn. SS.; Confiteor,* cet.

in terris habent officium angelorum. Sic Apostoli dicebant *Act. 6, 4: *Nos orationi et verbo instantes erimus.* Tunc praelatus operando non desinit videre faciem Dei, quando intentio semper est in Deo. (f. 301*v*) Sed quare mittit Deus angelos, cum ipse sit ubique? Certe Reges terrae non mittunt legatos ad eos, qui sibi praesentes sunt. Mittit Deus angelos, quia vult servari ordinem inter creaturas, ut maior instruat minorem. Sic angelos inferiores per superiores illuminat. Sic plebem per parochum, parochum per Episcopum, Episcopum per Papam. Sic Paulum misit ad Ananiam, sic Cornelium ad Petrum, eunuchum ad Philippum. Unde etiam viri docti debent ire ad conciones, quia Deus vult instruere et inflammare per illas, etc.

A Deo. Deus habet multa nomina, sed hoc loco istud fuit convenientissimum; quia teste Theodoreto, serm. 3 *ad Graecos,* et Damasceno lib. 1 *de fide,* nomen Dei deducitur a tribus verbis, quorum unum significat videre, alterum currere, tertium ardere. Deus omnia videt, etiam quae angeli non vident, ut futura. Et nunc dicitur Deus, id est videns, quia ab aeterno vidit bonum, quod poterat eruere ex peccato Adae: alioqui illud peccatum non permisisset, nimirum vidit illa occasione se facturum hoc magnum bonum toti mundo. Dicitur etiam currens quia non videt res ut ociosus spectator, sed accurrit ad subveniendum, *Psalm. 147, 15: *Velociter currit sermo eius.* Cucurrit autem velocissime, quia statim primo peccato commisso praeparavit remedium. Unde dicitur *Ap. 13, 8: *Agnus occisus ab origine mundi.* Denique Deus est ignis (f. 385r) ardens, *Deut. 4, 24: *Deus noster ignis consumens est,* quia non solum videt et accurrit, sed est summae efficaciae, et nihil ei resistere potest. Est etiam ignis ardens propter nimiam charitatem, quae in hoc mysterio maxime apparuit. *Ioan. 3, 16: *Sic enim Deus dilexit mundum, *ut Filium suum Unigenitum*

160-161 Cf. *Act. Ap.* 9, 10-19 de Paulo; cap. 10 de Cornelio; 8, 26-40 de eunucho.

165 Theodor., *De cur. Graec. aff.* III: *MG* 83, 864.

166 Ioh. Damasc., *De fide orth.* I 9: *MG* 94, 837.

168 Angeli non vident futura: i. e. futura libera. Cf. infra p. 254.

daret. Et haec flamma deberet nos accendere ad redamandum super omnia alia beneficia. Amor enim gignit amorem, sicut ignis accendit ignem. Multum nos movere debent ad amandum Deum tot eius beneficia, sed multo magis amor purus, quo ille dat. Quid enim movit Deum, ut nos crearet, ut redimeret, ut glorificaret? Nihil omnino, nisi amor eius. Nam non tenebatur, non egebat nobis, non timebat nos, non saltem eum rogavimus, etc.

Magna coniectura capi potest ex hoc nomine Dei, an simus filii Dei. Nam si pater ignis est, et filii debent esse ignei; si patria nostra est caelum empireum, et illud est nostrum elementum, debemus semper sursum tendere desiderio. Si nutrimur igne caelesti, id est corpore Domini, debemus ignem spirare, et alios accendere. Quisque tangat cor suum. Nam si invenerit glaciem, signum mortis est, etc. Et si invenit calorem carnalem, ille est calor febrilis ex igne inferni proveniens, etc. Et sicut ex eo (f. 385*v*) quod Deus est ignis ardens, debemus accendi ad amorem: ita ex eo quod est currens et succurrens, debemus animari ad fiduciam, securi ac certi quod nullum malum ad nos accedet, quod non praeveniatur a Deo, et proinde nihil nobis nocebit, si amici eius erimus.

Denique ex eo quod Deus omnia videt, etiam intimas cogitationes, debemus excitare in nobis timorem sanctum. Certe enim si dum cogitas aliquod malum, crederes tuam cogitationem a me videri, certe desisteres. At quid ego sum? Peccator similis tui, qui te damnare non possum. Et tamen erubesceres, si a me videri crederes: quid igitur fieret, si crederes, te a Deo videri, a quo pendet salus tua? Scribit Cyrillus lib. 9 *in Iulianum*, Deum pingi solere oculum super sceptrum, quia omnia videt, et punire ac praemiare potest. Vere hoc sufficeret ad perfectionem, si in corde haberemus hunc oculum Dei scep-

---

210 CYRILL. ALEX., *In Iulian.* IX: *MG* 76, 960, ubi de hieroglyphis aegyptiacis.

tro innitentem. *Ambula,* inquit Deus Abrahamo *Gen. 17, 1, *coram me, et esto perfectus,* quasi dicat: Ambula coram me, et eris perfectus.

*DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

Sermo secundus super: Missus est

APUG 385a f. 306*r* *prob. 10 dec. 1606

In civitatem Galileae, cui nomen Nazaret, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo David, et nomen virginis Maria.

Describit Evangelista diligentissime quo angelus missus fuerit. Missus fuit, inquit, in provinciam Galileae; in civitatem Galileae Nazaret; in domum quandam, ubi erat Virgo; et ea Virgo erat desponsata viro, nomine Ioseph, etc. Deus ordinarie eligit humilia: *Infirma mundi et contemptibilia,* inquit Apostolus *1 *Cor.* 1, 28, *elegit Deus.* Galilea erat provincia vilis et despecta, **Ioan.* 7, 52: *Scrutare Scripturas, quia a Galilaea Propheta non surgit.* Nulli inde prodierant Principes, nulli Prophetae, nulli magni viri. Nazaret quoque erat civitas vilis in ea provincia, unde dicit Nathanael **Ioan.* 1, 46: *A Nazaret potest aliquid boni esse*? Domus Virginis erat domuncula paupercula, ut hodie etiam conspicitur. Ipsa Virgo quamvis ex regia progenie, tamen redacta ad inopiam nupserat fabro. (f. 306*v*)

Quare hoc? 1° ut humilitatem nos doceret, et contemptum rerum sublimium in oculis hominum, ut amore visibilium liberati, quasi velo quodam ab oculis sublato invisibilia, quae vera et aeterna bona sunt, intelligamus et appetamus; 2° ut ostendat virtutem suam. *Nam virtus Dei in infirmitate perfici-*

15 magni viri: *sBe* et habitabatur ex parte a gentibus, unde dicebatur Galilaea gentium, et inde magis

25 Cf. 2 *Cor.* 12, 9, ubi in nonnullis cod. graec.: « virtus mea ».

tur. Si instrumenta essent aptissima, pars gloriae daretur instrumentis; nunc autem tota Dei est; 3° ut mysterium maximum occultaretur superbis et sapientibus in oculis propriis, et revelaretur parvulis. Superbi Pharisaei, scientes Messiam de Betlehem venturum secundum prophetiam *Michaeae* 5, 2, audito Christum esse Galileum et Nazarenum, quia sapientissimos se putabant, non sunt dignati ulterius quaerere, et sic infideles permanserunt; sed humiles discere cupientes cognoverunt illum in Betlehem natum, etc. **Matth.* 11, 25: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti haec a sapientibus *et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et **Ioan.* 9, 39: *Ego in iudicium in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.*

Sed quamvis Deus eligat vilia, tamen ea non relinquit vilia, sed exaltat. Vide quam exaltavit nomen patriae, ut etiam gloriosus de caelo apparens dixerit *Act.* 22, 8: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* (f. 307*r*) Domunculam autem conservavit, per manus Angelorum transtulit, toti mundo honorabilem reddidit, cum palatia Salomonis, Herodis, Neronis et similia omnia eversa iaceant. De Virgine quid dicemus, cum ex sponsa fabri lignarii sit facta mater Dei, regina mundi? Itaque qui sunt sapienter ambitiosi, sciant veram viam esse humilitatem.

Ad virginem desponsatam viro. Rectissime ad Virginem mittitur angelus, quia virginitas virtus est angelica; et maxime ad Virginem Mariam, quae erat angelus terrestris, sine ulla peccati macula, plena sapientia et gratia, mittitur angelus caelestis. Voluit Deus matrem suam esse virginem et desponsatam, imo et coniugatam. 1° ut occultaretur mysterium. Debebat enim tempore congruo et modo congruo manifestari per praecursorem. 2° ut consuleretur honori Virginis, ne putaretur fornicaria. 3° ut haberet testem pudicitiae et adiutorem in itineribus et laboribus. 4° ut approbaret statum virginum sive continentium, et coniugatorum, et solum damnaret statum

---

27-29 Cf. *Matth.* 11, 25 et *Luc.* 10, 21.

concubinarum et meretricum, contra haereticos, qui vel nuptias, vel continentiam damnant. Debuit tamen esse virgo, et virgo perpetua, et per votum dicata Deo, quia non decebat Sanctum sanctorum nasci, nisi ex altissimo gradu sanctitatis. Tales sunt virgines Deo per votum obligatae, quia *cogitant quae Domini sunt, ut sint sanctae corpore et spiritu,* ˚1 *Cor.* 7, 34. (f. 307*v*)

Cui nomen erat Ioseph. Sanctus Ioseph sine dubio unus est ex maximis viris, ad quod credendum satis est, quod sit electus divinitus in coniugem B. Virginis. Nam matrimonium hoc factum est omnino a Deo, et proinde optimo modo, quo debuit fieri. Quando autem matrimonia bene fiunt, sunt aequales aut fere aequales sponsus et sponsa, ut unus sit dignus altero. Quod si Ioseph fuit dignus coniux B. Virgine, cogita quantae fuerit perfectionis. Sine dubio fidelissimus, castissimus et prudentissimus fuit. Additur autem *de domo David,* ut sciremus, Christum descendisse ex David iuxta prophetias, non solum ex parte matris verae et naturalis, sed etiam ex parte patris putativi.

Cum Evangelista ponit nomen proprium, significat, notandam esse eius etymologiam. Nam in Testamento Veteri nomina ponebantur mysteriis plena, praesertim quae divinitus imponebantur. Ioseph significat *crescens,* et impletum est in Ioseph patriarcha, quia ille solus inter omnes filios Iacob fecit duas tribus, Ephraim et Manasse, alii unam tantum. In nostro Ioseph impletur etiam significatio nominis. Nam magnitudo domus David semper decrevit usque ad Ioseph; in illo autem coepit crescere, et crevit usque ad summum caelum, cum habuerit coniugem Reginam caeli, et dictus sit pater Dei.

Et nomen Virginis Maria. Nomen Virginis sine dubio fuit impositum divinitus, ut nomen Ioannis et aliorum multorum. Significat autem in lingua hebraica stillam maris. Nam *Mar* significat stillam, *iam* mare; inde *Mariam* stilla maris. Potest etiam significare *stellam,* seu luminare maris, quia *Maor* significat luminare. Significat igitur hoc nomen summam (f. 308*r*) Virginis humilitatem et exaltationem. In oculis suis

erat stilla maris, qua nihil vilius. Et si mare est genus humanum, stilla maris est vilissima et minima particula generis humani: sed in oculis Dei erat luminare magnum, et sic exaltata est usque ad caelum, ut sit maior, sublimior, lucidior toto mari, et omnes magni nautae in eam respiciant, ut ad portum perveniant.

Et ingressus angelus ad eam dixit. Angeli tribus modis videri possunt: in sua substantia, in imagine interiori, et in corpore assumpto. Primo modo videntur solo intellectu, 2° modo per imaginationem in somnis, 3° per oculum corporalem. Primo modo videntur solum in patria. Et haec est magna nostra miseria, quod cives nostros et socios, imo etiam paedagogos, videre non possumus prout sunt. Secundo modo vidit Sanctus Ioseph, **Matth.* 1, 20: *Apparuit angelus in somnis Ioseph.* Viderunt etiam alii multi, sed non ideo credendum est omnibus somniis, etc. Vide *Ecclesiasticum* cap. 34, 1-7 et Gregorium lib. 4 *Dialogorum* cap. 48 et 49, ubi ponit exemplum cuiusdam observatoris somniorum, qui somniavit, se longissimam vitam habiturum, et ideo avarissimus factus congregabat pecunias; et repente obiit omnia relinquens. Tertio modo viderunt etiam multi, ut Abraham, Loth, Tobias, Daniel, pastores, Mariae tres, et alii. Et est haec mirabilis potentia et sapientia angelorum, quod corpora ex aëre ita forment et colorent, ut omnino homines videantur. Hoc tertio modo vidit eum B. Virgo; nam hoc significat: *Ingressus est,* nimirum per ianuam more humano (f. 308*v*) et illud: *quae cum vidisset,* ut habet textus graecus, vel *cum audivisset,* ut habet latinus. Nam utrumque est verum, et ex utroque colligitur apparitio corporalis. Et praeterea debuit Virgo esse certissima de hoc mysterio. Sunt autem certiora quae videntur, quam quae sola

122-124 vel cum... corporalis *cB*: sed cum splendore maiore, ut cognosceretur esse angelus: quomodo apparuit tribus Mariis; unde: Expavescit virgo de lumine. *la.*

111 Greg. M., *Dial.* IV 48-49: *ML* 77, 410-411.
116 Cf. *Gen.* 18, 2; 19, 1; *Tob.* cap. 12; *Dan.* 9, 20; *Luc.* 2, 9-14.
122 *Luc.* 1, 29: codices graec., ubi ἰδοῦσα, cf. *N. T.* in ed. A. Merk.

imaginatione cognoscuntur. Scribunt Patres, angelos assumere solitos formam humanam, ut honorarent eam naturam, quam a Deo honorandam per incarnationem sciebant. Nunc igitur maxime decuit, ut angelus Gabriel appareret in forma humana, quando nunciaturus erat ipsam incarnationem. Denique idem Gabriel apparuit visibiliter Danieli et Zachariae, cur non B. Virgini?

Ingressus igitur angelus primo eam salutat dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Illud *Ave* posset etiam ex graeco verti *Gaude*; et sensus bonus esset, quia sine dubio gaudium magnum illi nunciavit; sed tamen melius redditur *Ave,* ut sit salutatio. Nam Evangelista paulo post ait: *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* Itaque salutat illam cum maximo encomio *gratia plena;* et rursus replicat salutem *Dominus tecum* cum alio encomio *Benedicta tu in mulieribus.*

Cum dicit *Ave,* non est intelligendum, quod optaverit illi salutem, quasi esset periculum, ne non esset salva. Nam etiam Deo dicimus **Apoc.* 7, 10: *Salus Deo nostro.* Sed salutatio exprimit gaudium de salute si adsit, et desiderium bonum, ut conservetur si adsit, et detur si non adsit. Est enim signum amicitiae. Ideo excommunicatis non dicitur *Ave,* quia (f. 309*r*) nolumus cum illis amicitiam sive conversationem.

Gratia plena. Tres sunt effectus gratiae; prior tollere peccata; 2° facere pulchram et gratam Deo animam; 3° dare vires bene operandi, et precium operibus, ut fiant digna vitae aeternae praemio. Exemplum de alchimia, quae vertit aes in aurum. In omnibus B. Maria excelluit; ideo fuit gratiosissima, ut habetur in graeco, et plena gratia, ut in latino, et est idem sensus. In primo effectu sunt plures gradus, nam unus est

---

126-127 Bellarm., *Comm. in S. Th.* I q. 51, a. 2: *Opp. NN.* 234 f. 161*r*: « Ut Augustinus lib. III de Trinitate cap. 26 [docet], omnes apparitiones angelorum in veteri Testamento significabant Christi apparitionem in carne ». Cf. *ML* 42, 885.

135 Ave: graece χαῖρε.

154 Graece *Luc.* 1, 28: κεχαριτωμένη.

delere peccatum commissum, alius altior praevenire ne committatur. Item unus est delere vel praevenire mortale, alius delere vel praevenire venialia. Denique unus praevenire aliqua, alius praevenire omnia. In aliis sanctis fuit gratia poenitentiae delens peccata commissa, ut in Petro, Paulo, Magdalena; in aliis gratia innocentiae praeveniens mortalia, ut in Hieremia, Ioanne Baptista, et aliis: at in nulla praeterquam in B. Virgine fuit gratia praeveniens omnia peccata. Et ideo fuit plena gratia quo ad hunc effectum, et de illa recte dicitur: *Tota pulchra es, et macula non est in te,* **Cant.* 4, 7. Secundus effectus gratiae est addere pulchritudinem. Unde gratia non lavat maculas, quomodo aqua simplex, sed quomodo aqua odorata, etc., vel resarcit scissuras non simplici filo, sed auro. Fuit B. Virgo plena omnibus virtutibus et donis, etc. In 3° effectu sunt etiam gradus, nam alii faciunt plura opera meritoria, alii pauciora; alii minora, alii maiora. B. Virgo in omnibus fuit excellens, quia omnia ipsius opera erant meritoria, et summe meritoria, quia ex maxima charitate prodibant, ut patet ex praemio. (f. 309*v*)

At, inquies, Elizabeth dicitur *repleta Spiritu sancto,* et similiter Zacharias *Luc.* 1, 41 et 67. Apostoli *repleti sunt Spiritu sancto, Act.* 2, 4. Stephanus dicitur *plenus gratia, Act.* 6, 8. Ita est, sed isti dicuntur pleni in ordine ad suum officium, non simpliciter; id est Zacharias et Elisabeth repleti sunt Spiritu sancto, id est habuerunt gratiam Spiritus sancti sufficientem ad cognoscendum et testificandum mysterium incarnationis. Apostoli fuerunt pleni in ordine ad praedicandum variis linguis, facienda miracula, convertendum mundum. Stephanus fuit plenus in ordine ad martyrium suscipiendum primus omnium. Omnes fuerunt pleni, et tamen gratia erat inaequalis, quia vasa erant inaequalia. At B. Virgo fuit plena in ordine ad summum officium, ut esset mater Dei, Regina omnium sanctorum et angelorum; et ideo habuit maiorem capacitatem, et ideo fuit plena gratia magis quam caeteri.

Dominus tecum. Est alterum encomium, quo declaratur fons et origo omnium gratiarum supra dictarum. Unde enim illa omnia oriuntur? Ex amicitia Dei, quia Deus illi semper fuit propinquus per benevolentiam singularem, influens illi dona, et ea semper conservans. Quomodo rivus (f. 310*r*) aquarum dat plantae vicinae humorem ad faciendos fructus et maturandos, et ut folia non decidant, sicut dicitur in primo *Psalmo* v. 3. Vere enim B. Maria est illa arbor posita iuxta rivum aquae viventis, quae retinet semper folia, id est honorem virginitatis; et facit fructum singularem tempore suo, et omnia eius opera ad maturitatem pervenerunt.

Benedicta tu in mulieribus. Est aliud encomium magis particulare, insinuans a longe gloriam maternitatis Dei; quam ut facilius crederet, praemisit illam esse gratia plenam. Benedicta in mulieribus est electa prae omnibus ad officium maximum concipiendi et pariendi Dei filium. Quod illa non ignorans dixit **Luc.* 1, 48: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ex hoc dono nata sunt illa, ut careret duobus malis, quorum alterum habent omnes mulieres: dolore partus et orbitate; item haberet duo bona, quorum altero omnes aliae carent: fructum prolis una et florem virginitatis. Denique benedictio in Scripturis significat fecunditatem; *Benedixit,* inquit **Gen.* 1, 22, *et ait: crescite et multiplicamini.* B. Virgo fuit benedicta in mulieribus, quia fecundissima prae omnibus, quia peperit filium infinitae (f. 310*v*) virtutis, qui est infinitorum filiorum instar. Et praeterea per illum facta est *mater omnium viventium,* **Gen.* 3, 20, qui, ut Epiphanius docet, fuit titulus Evae, ut Mariam figurabat.

190-200 Est alterum... pervenerunt. *cB*: Est repetitio salutationis. Sic enim solebant salutare Hebraei, ut patet de Gedeone: « Dominus tecum, inquit angelus ». Et Booz ad messores: « Dominus vobiscum ». Et Ecclesia in Missa et in Officio frequenter salutat: « Dominus vobiscum ». Sicut « Salve » vel « Ave » significant desiderium de salute eius, quem salutamus: sic « Dominus tecum » significat desiderium divinae benevolentiae erga eum quem salutamus. Haec enim est origo et custodia omnium bonorum. Optat igitur Angelus B. Virgini, ut Dominus sit cum illa, custodiens thesaurum gratiae, quem dedit *la.*

---

216 EPIPHAN., *Haer.* 78, 18: *MG* 42, 728.

Si quis velit visitari ab angelo, debet esse in cubiculo, id est, aliquando colligere se et attendere sibi et Deo, et si velit impleri gratia, debet imitari Virginem, quae erat humilissima et vacua omni vanitate. Vas enim in quo recipitur gratia, est humilitas: Deus enim, **Iac.* 4, 6, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quo maior humilitas, eo vas est capacius. Quid mirum si parum aut nihil gratiae habeamus, cum tam superbi simus? Deberemus valles esse, et omnes conamur montes esse, sursum ascendere, etc. Vera humilitas rara est avis, ideo rara etiam gratia. Deinde vas, si non sit vacuum, certe impleri non potest. Maria vacua erat omni vanitate, omni amore mundi, ideo plena gratia. Quis nostrum non habet cor plenum aliqua vanitate? Unus ambitione, alius avaritia, alius luxuria, alius curiositate vestium, alius curiositate sciendi vana, alius ludo alearum, alius gula, etc. Magna stultitia! Deus offert aurum, modo lutum effundamus; offert balsamum, modo aquam effundamus; et nolumus. Ille gratis donare vult preciosissima, et nos malumus magno labore et sudore emere vilia. Quasi tempus hoc habeamus ad nugas, et non potius ad peccata deflenda; quasi non simus in exilio inter hostes; quasi mors non instet. (f. 311*r*)

Adde, quod res vanae replent quidem cor, sed est ac si non repleant. Semper enim cor inquietum est, circuit, non satiatur, et proinde non vere impletur. At gratia vere implet et quietat. Quid enim est gratia, nisi amicitia Dei omnipotentis, ditissimi, amabilissimi? *Optimum est gratia stabilire cor,* inquit Paulus **Hebr.* 13, 9, id est, nihil melius, quam acquirere Dei amicitiam, quae vere implet et stabilit et quietat, implet intellectum lumine, affectum pace. Haec est aqua, quam si quis biberit, non sitiet in aeternum. Utinam aliqui experiri vellent, quam bonum sit quaerere solum Deum.

*DOMINICA TERTIA ADVENTUS

Sermo tertius super: Missus est.

APUG 385a fol. 316*r* *prob. 17 dec. 1606

Explicavimus salutationem angeli: nunc antequam videamus reliqua, solvam unum dubium, cur videlicet omnes praedicatores dicant initio hanc salutationem. Ratio esse videtur, quia Verbum Dei, quod antea erat invisibile, ipsa B. Virgo salutata ab angelo fecit illud visibile et palpabile. Ideo eam salutant, ut ipsa intercedente fiat verbum Dei in ore ipsorum visibile et palpabile, ut facillime intelligatur. Item quia concionator habet officium angelicum; et sicut angelus Gabriel missus est ad Mariam, ita concionator mittitur ad Ecclesiam, id est ad plebem christianam, quae est *virgo uni viro desponsata,* ut dicit Apostolus *2 *Cor.* 11, 2. Ideo concionator salutat Virginem eamque rogat, ut sicut salutatio angeli fuit in illa ita efficax, ut conciperet et pareret filium Dei: ita ipsa intercedente, sit efficax concio, et faciat in animis auditorum concipi Christum per bonum desiderium, et nasci per bona opera, et tandem vocari Iesum per adoptionem salutis. Haec de dubio.

* * *

Quae cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio, Luc. 1, 29. (f. 316*v*) Bene dicit Ambrosius sanctae Mariae vitam sufficere ad omnes homines docendos. Habemus in his verbis plures virtutes quam sint ipsa verba. Audito Angelo turbata est Maria, id est timuit. Unde Angelus ei dicit: *Noli timere.* Timuit autem 1° ob reve-

4–21 Explicavimus... salutatio *expuncta a Bellarmino.* Cf. tamen *Conc. Lov.* serm. II super « Missus est » part. II in initio.

12 Mariam: *sBe* ut per eius verba conciperet filium Dei

13–14 quae est... Apostolus *cB*: ut per eius verba concipiat Christum per fidem et charitatem. *la.*

22 Cf. Ambros., *De virginibus* II 3: *ML* 16, 223. Cf. *Cont. Lov.*: super *Missus est* III in exordio.

rentiam et splendorem Angeli. Quod enim quidam dicunt, illam timuisse, quia vidit intrantem ad se pulcherrimum iuvenem in cubiculo, et salutantem ita affectuose; non mihi videtur probabile, quia Angelus sanctus bene sciebat ex tali forma posse ingeri malam suspicionem. Ideo intravit quidem in forma iuvenili, sed cum splendore et maiestate, ut cognosceretur esse angelus. Quamvis autem Maria esset maior angelo quo ad electionem et gratiam, tamen erat minor quo ad gloriam praesentem, quia erat mortalis et nondum beata. Ideo timuit in adventu angeli beati et gloriosi. Unde etiam ait Ecclesia: *Expavescit Virgo de lumine.* Et solitum est omnibus timere in adventu angeli, ut patet de Daniele, de tribus Mariis, de pastoribus et aliis. 2° timuit ob zelum virginitatis, non quod malum suspicaretur de angelo, sed quia audivit, se nominari benedictam inter omnes mulieres, et sciebat benedictionem in Scriptura significare fecunditatem. Deus ad Abraham **Gen.* 22, 17: *Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli.* Et rursum **Gen.* 17, 16: *Benedicam uxori tuae, et dabo tibi ex illa filium.* Item de Ismaele **Gen.* 17, 20: *Benedicam ei, et augebo, et multiplicabo eum valde.* Et de primis hominibus **Gen.* 1, 27: *Masculum et feminam fecit eos, et benedixit eis et ait: crescite et multiplicamini.*

Tamen non ita timuit, ut amiserit constantiam; (f. 317*r*) nihil fecit, nihil dixit indecens. Daniel cecidit pronus prae timore; quasi mortuus, **Dan.* 8, 18. Tobias et filius similiter ceciderunt quando cognoverunt Raphaelem non esse hominem, sed angelum, **Tob.* 12, 22. Tres Mariae, teste *Marco* 16, 8, viso angelo fugerunt confestim: *invaserat enim eas timor.* At Maria non fugit, non cadit, sed constantissimo animo examinat apud se verba angeli. Conferamus Mariam cum Eva et cum Zacharia, ut videamus eius perfectam virtutem. Eva vidit serpentem loquentem sibi voce humana et persuadentem non credere Deo, et se futuram similem Deo: et non timuit, nec consideravit, sed statim assensa est. Unde pro hac audacia et

---

[36] *Brev. Rom.*: in festo Ann. B. M. V., 25 mart., resp. ad lect. 1am.

levitate punita est, ut cum dolore pareret, abortus saepe faceret, et virum timeret ut dominum. Zacharias in altero extremo ita oppressus fuit terrore, ut cum angelus ei promitteret filium, quem petierat, nomine Dei, ex uxore sterili: ille perturbatus, et extra se positus non cogitavit omnia Deo possibilia, angelum non posse mentiri, saepe alias steriles et vetulas Dei potestate peperisse: ideo prorupit in verba incredulitatis, et punitus est, ut fieret mutus. At Maria via regia incessit, non fuit audax nec temeraria ut Eva, neque timore oppressa est ut Zacharias; turbata est quantum oportuit, et constantiam retinuit ut oportuit. (f. 317*v*)

Nec solum reverentiam et constantiam, sed etiam prudentiam ostendit. Nihil enim prudentius in re dubia, quam silere et cogitare. *Audi tacens,* inquit Sapiens **Eccli* 32, 9; et sanctus *Iacobus* 1, 19: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Cogitabat, qualis esset salutatio, id est, quis eam diceret, quo fine diceret, cur illo tempore, cum ipsa esset adhuc puella, cur eo loco sine testibus, etc. Sed inprimis hic ostenditur humilitas, virtus propria Christi et matris eius. Audit se laudari ab angelo veridico, ut gratia plenam et benedictam in mulieribus, et non solum non gaudet, sed turbatur. Iustus cum laudatur in ore, flagellatur in corde. Et **Prov.* 27, 21: *Sicut probatur aurum in fornace, sic iustus in ore laudantis.* Nam nisi sit homo perfecte humilis, ut nihil plane habeat superbiae, non potest resistere laudibus, quin aliquantulum infletur.

Tres sunt gradus humilitatis: primus incipientium, agnoscere propriam miseriam et se ipsum despicere. Secundus proficientium, optare ab aliis cognosci et despici pro merito: laudes odisse, reprehensores amare. Tertius perfectorum, qui cum sint vere pleni Dei donis, tamen se in ultimo loco ponunt, et gaudent omnibus postponi, quia non considerant sua bona ut propria, sed ut a Deo gratis data; ideo nulli se praeponunt, quia credunt, quod si alii haberent ea dona, essent Deo magis grati. Sunt instar arboris, quae quo plura habet

poma, eo (f. 318*v*) magis ad terram inclinatur. In hoc gradu fuit B. Virgo, sed pene sola. Erat vere gratia plena, vere benedicta in mulieribus, sed ita hoc in se non agnoscebat, ut miraretur sibi dici, et turbaretur. Pauci sunt in primo illo gradu. Si enim vere agnosceremus turpitudinem peccati, non possemus per unam horam nos ipsos tolerare, et tamen toleramus per annos, et laeti sumus, etc. In secundo multo sunt pauciores; nam etiamsi aliquando conscientia teste sumus avari vel gulosi vel indevoti, etc., tamen nolumus haberi, nolumus dici; et si quis dicat, irascimur et verbum verissimum non possumus digerere. Et si forte aliquando conamur tolerare reprehensiones vel reiicere laudes; si quis intus in corde aspiceret, inveniret ibi maiorem superbiam, qua patimur reprehensiones, ne videamur superbi. Quid? Quod in ipsa confessione sacramentali aliquando se accusant homines graviter, et si confessarius videatur credere, et inde admonere, tum conantur extenuare peccata. Iam si pauci sunt in primo gradu, si pauciores in secundo, quot erunt in tertio? Pene nulli. Et tamen, ut Augustinus monet in lib. *de sancta Virginitate* cap. 31, necessarium est, ut mensura humilitatis sit secundum mensuram magnitudinis, iuxta illud **Eccli* 3, 20: *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus*. Alioqui homo doctus, dives, nobilis, in dignitate constitutus, si careat magna humilitate, erit sicut domus (f. 318*v*) alta sine fundamento, arbor magna sine radicibus, candela lucens, quae dum aliis prodest, se ipsa destruit; aqua, quae lavat alios, et ipsa immunda redditur.

* * *

Sequitur: *Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria. Invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies *filium.* 1° Angelus confortat Virginem. 2° Exponit illi nuncium. Ait igitur: *Ne ti-*

123-124 1° Angelus... nuncium. *cB*: Tribus de causis Maria turbata est: 1° timore angelici splendoris, 2° propter verba « gratia plena »,

113 Aug., *De sancta virg.* 31: ML 40, 413.

meas Maria; nec solum dixit, sed etiam fecit. Habent enim angeli bonam virtutem confortandi. Unde cum Daniel cecidisset semimortuus, et prae nimio terrore dissoluti essent nervi, ut nec digitum attollere posset, angelus Gabriel dixit, **Dan.* 10, 19: *Noli timere Daniel,* et ille erectus: *Confortasti,* inquit, *me Domine.* Scribit Athanasius in *vita Sancti Antonii* ex doctrina eiusdem Antonii hoc esse discrimen inter bonos et malos angelos, quod illi terrere possunt et confortare, isti solum terrere, licet initio gaudium adferant, etc.

Invenisti enim gratiam apud Deum; id est, ne mireris, quod te dixerim plenam gratiae; non dixi, ut te deciperem, quasi hoc tribuens meritis tuis: sed dixi, quia a Deo ista omnia habes, et cum ita sit, non est quod timeas ullum, cum sis gratissima Omnipotenti. (f. 319*r*) Sciendum est, tribus modis aliquid inveniri: 1° casu, ut cum quis invenit thesaurum, quem non quaerebat; 2° ex intentione, ut cum negociator quaerens bonas margaritas, invenit unam preciosissimam, vel pastor invenit ovem perditam magno labore quaesitam. 3° medio quodam modo, partim casu, partim ex intentione, ut cum famulus non intendit exaltari a domino suo, sed contentus stipendio suo intendit servire quam diligentissime; inde autem fit, ut dominus videns eius diligentiam et prudentiam, eum exaltet ad maiores gradus. Iste quasi casu invenit illum maiorem gradum, quia de eo non cogitabat; et tamen aliquo modo ex intentione, quia intendit media, quae ducunt ad illum finem. Et hoc est optimum genus ambiendi, unde etiam ille ethnicus dixit: *Ambite virtutibus, non fautoribus.*

Primo modo invenitur gratia electionis aeternae, nam ideo dicitur *sors* a B. Paulo *Coloss.* 1, 12: *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Et *Ephes.* 1, 11: *In quo nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum*

3° propter illa « benedicta in mulieribus ». Angelus eodem ordine 1° removet illi timorem, 2° reddit causam, cur dixerit « gratia plena », 3° cur dixerit « benedicta in mulieribus ». *la.*

---

130 Athanas., *Vita S. Antonii* 36-37: *MG* 26, 896-897.

150 Plautus, *Amphitr.* 78.

eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. Prima etiam gratia vocationis datur non quaerentibus. Praevenimur enim a Deo. Nam ipse prior diligit nos, *Rom. 10, 20: *Inventus sum a non* (f. 319v) *quaerentibus me; palam apparui his, qui me non interrogabant.* Et in hoc genere gratiae B. Virgo fuit praecipua, quae invenit gratiam, quam non quaesierat, quia non solum fuit electa ante mundi constitutionem ad summam gloriam: sed etiam fuit praeventa in ipsa creatione animae suae, et fuit ei infusa maxima gratia, etc.

Secundo modo invenitur augmentum gratiae, et vita aeterna. Haec enim quaeri debet. *Matth. 6, 33: *Quaerite primum regnum Dei* *et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis;* et *Matth. 7, 8: *Qui quaerit, invenit.* Nec solum quaeri debet gratia ista, sed etiam currere oportet, et certare. *2 *Tim.* 2, 5: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* *1 *Cor.* 9, 24: *Sic currite, ut comprehendatis.* Et hoc modo B. Virgo invenit gratiam, quam quaerebat, quia ad nihil aliud anhelabat, nisi ad crescendum in amore Dei, et hoc semper magis et magis obtinebat.

Tertio modo propriissime invenit gratiam apud Deum. Nam B. Virgo non intendebat fieri Mater Dei, nec Regina Angelorum, imo (f. *319br) se indignissimam tali gratia iudicasset: et tamen ita perfecte vixit, ut se dignam reddiderit tam magno honore. Sic enim dicit Ecclesia: *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur,* et Sanctus Ambrosius lib. 1 *de Off.* cap. 18 dignam eam, quae ad tale munus eligeretur, astruit. Sic plurimi sancti non intendebant donum habere prophetiae vel sanitatum vel revelationum, neque fieri Episcopi aut summi Pontifices, tamen dum perfecte vivere et humillimi esse studuerunt, ad illas gratias gratis datas pervenerunt.

Sed nobis praecipue studendum est, ut secundo modo inveniamus gratiam. Illa enim quae vere facit bonum et beatum,

181 eam *add.*

---

180 AMBROS., *De off.* I 18, 69: *ML* 16, 48. Secundum S. Ambrosium est verecundia Virginis, quae eam munere dignam adstruit.

et cum auxilio Dei potest a nobis quaeri et acquiri. Hoc significat parabola de negociatore quaerente bonas margaritas *Matth. 13, 45. Negociator prudens non manet domi, neque emit ea quae deferuntur ante portam. Scit enim non deferri, nisi vilia quaedam, quae superfuerunt in foro, olera, pisces, veteres pannos, etc. Nam res preciosae non deferuntur ante portam, sed manent (f. *319^{b}v) reconditae in officinis longinquarum regionum. Illi manent domi et emunt quae deferuntur ante portam, qui appetunt quae transeunt per sensus, id est temporalia bona, et in illis consumunt suas pecunias. Et quid sunt haec, nisi res vilissimae et rancidae, quae superfuerunt aliis, qui eis usi sunt antea et postea eas reliquerunt? At boni negociatores egrediuntur domum sensuum, et discurrunt mente, etiam supra caelum, et quaerunt res vere preciosas. Ita Paulus *2 *Cor.* 4, 18: *Non contemplamur quae videntur,* oculis corporis videlicet, *sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt, quae non videntur aeterna.* Et quid sunt haec? Una margarita preciosissima, id est: amicitia Dei, in qua omnia bona continentur. Hoc est illud unum, de quo Dominus *Luc. 10, 42: *Porro unum est necessarium.* Sed hac inventa, oportet omnia vendere, et eam emere, id est omnia negligere, ut haec teneatur et possideatur, etc.

* * *

Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus. Haec est iam ipsa legatio, in qua declaratur filius ex (f. 320*r*) ipsa nasciturus, qui sit futurus salvator populi, et Rex eiusdem populi in aeternum. Haec est tota legatio, quam exponemus diligentius in sequentibus. Nunc breviter aliquid dicemus de primis verbis.

Quid opus fuit tam minute distinguere conceptum, et conceptum in utero, partum, nomen? Non sufficiebat dicere: Habebis filium? Voluit Spiritus Sanctus per angelum et per evangelistam confutare praecipuos haereticos, antequam orirentur. Nam quia daemon semel ex invidia genus humanum in exitium impulerat; deinde nato et passo Christo vidit re-

medium tale a Deo adhibitum, ut homines possent ad maiorem gloriam ascendere: conatus est per multos haeresiarchas persuadere hominibus, Christum non esse verum Deum, aut non esse verum hominem. Hoc enim est fundamentum totius salutis. Ideo Deus haec praevidens per Ioannem clarissime docuit, Christum esse Verbum aeternum, Deum verum, per quem facta sunt omnia, etc. Per Lucam apertissime docet, esse verum hominem conceptum in utero ex sanguine Virginis, et natum per viam partus sicut caeteri veri homines, sine dolore quidem matris, et conservato signaculo virginitatis. (f. 320*v*) Idem praedixerat *Isaias* 7, 14: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Angelus iisdem verbis utitur, sed in secunda persona. Emmanuel et Iesus idem significat: nam Emmanuel est: nobiscum Deus, id est, Deus homo inter homines. Et Iesus Salvator absolute et universalis non potuit esse, nisi Deus homo; quia non fuit Christus salvator particularis, ut Samson, Gedeon, Ioseph; sed fuit Salvator universalis, quia non est salvator unius populi, sed *Salvator omnium hominum,* inquit Apostolus *1 *Tim.* 4, 10, quia nemo salvatur nisi per illum. **Act.* 4, 12: *Non est aliud nomen, in quo oporteat nos salvos fieri.* Item salvat ab omni malo, non ab ullo vel altero, ut alii salvatores, ut Ioseph a fame, etc. Nam salvat a gehenna, in qua est paena omnium generum, et privatio omnium bonorum.

Expende, quanti fiat liberatio a morbo temporali imminente et conservatio vitae temporalis, ut inde intelligatur beneficium Christi. Denique fuit Salvator universalis, quia sustulit in se omnia peccata totius mundi, **Ioan.* 1, 29: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* et passus est, ac si illa omnia commisisset.

Cur igitur non salvantur omnes? Quia nolunt esse ex membris, nam *ipse est Salvator corporis sui,* inquit Apostolus **Eph.* 5, 23. Ad hoc necesse concipere verum propositum; parere exequutionem: et perseverare usque ad octavum diem,

237-238 quia non... sed fuit *cB*: ut ex uno pati, ex altero sufficienter satisfaceret. Est autem Christus (*sic!*) *la.*

ut imponatur nomen salutis. Multi numquam concipiunt vere; alii concipiunt sed abortiuntur, quia difficilius est exequi. Alii non perseverant, etc. Idem docet parabola seminantis in quatuor partes terrae.

IN DIE NATALI

Sermo quartus super: Missus est

*APUG 385a f. 325r *prob. 25 dec. 1606

De verbis sequentibus: *Ecce concipies, et paries filium, Luc.* 1, 31. Hodie exponemus primam partem legationis Angelicae, quae continet conceptionem et partum Virginis: in die Circumcisionis alteram partem, quae est de nomine infantis: in die Epiphaniae ultimam, quae est de Regno ipsius.

Ingrediemur hodie anima in speluncam Salvatoris, tamquam in templum sacratissimum, imo tamquam in caelum plenum choris angelorum. Hodie enim impletum est quod dixit Apostolus *Hebr.* 1, 6: *Et cum introducit primogenitum in orbem terrae dicit: Adorent eum omnes angeli Dei.* Ingredi autem debemus cum timore et reverentia dicentes cum Propheta *Psalm.* 5, 8: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Ibi autem constituti considerabimus mirabilia, quae in infante illo angeli etiam obstupescunt. Sunt autem tria: corpus novo modo formatum; animum novo splendore fulgentem, divinitatem ineffabili ratione corpori et animae illi coniunctam.

* * *

Quo ad primum, corpus Christi secundum omnes causas est novum et admirandum, ut merito dixerit Hieremias 31, 22: *Novum creavit Dominus super terram;* et Ecclesia in oratione:

---

23 *Missale Rom.*: orat. ad 3am Missam in Nativ. Dom.

Nova per carnem nativitas; et Apostolus **Eph.* 4, 24: *Induite novum hominem.* Causa efficiens fuit solus Deus. Alia corpora fiunt a Deo per secundas causas, hoc per se solum fecit. Et hoc significavit angelus, cum dixit: *Spiritus* (f. 325*v*) *Sanctus superveniet in te.* Dixerat Virgo: Quomodo fiet, ut concipiam, cum virum non cognoscam? Respondit angelus: Non opus erit opera viri, quia sine viro Spiritus Sanctus formabit corpus in tuo utero.

Dicitur autem *Superveniet in te,* non quod Spiritus Sanctus moveatur de loco ad locum, cum sit ubique, **Psalm.* 138, 7: *Quo ibo a Spiritu tuo*? sed quia Deus dicitur venire, quando per novum effectum declarat praesentiam suam. Et dicitur *supervenit,* non autem *venit,* quia voluit alludere ad modum adventus visibilis; quando enim Spiritus Sanctus visibiliter apparet, semper de caelo videtur descendere super homines, ut patet de specie columbae super Christum, et de specie ignis super discipulos. Sicut etiam *Obumbrabit tibi* fuit allusio ad visibilem adventum *in nube lucida, *Matth.* 17, 5.

Tribuitur hoc opus Spiritui Sancto, quia est opus charitatis. Nam alioqui fuit totius Trinitatis, cuius opera ad extra sunt indivisa. Nec tamen dicitur Spiritus Pater Christi, quia non genuit corpus eius de sua substantia, sed formavit ex terra more opificis: tamen sicut opifices opera quaedam communia faciunt per discipulos et famulos; quaedam eximia per se solos, ita Deus, etc. Unde colligitur, fuisse prae corporibus omnibus nobilissimum et Deo charissimum, quia semper fuerunt meliora quae Deus per se fecit, ut omnes dicunt de Adamo et Eva, de vino facto a Christo ex aqua **Ioan.* 2, 10: *Servasti bonum vinum usque huc,* etc.; de oculis caeci nati; de corporibus nostris in resurrectione, in quibus nullus erit defectus. **Deut.* 32, 4: *Dei enim perfecta sunt opera.* Unde etiam dicitur **Psalm.* 44, 3: *Speciosus forma prae filiis hominum.* Et sicut omnes amant opera sua propria magis quam alia, ita Deo corpus illud carissimum fuit. Haec est igitur prima novitas, cui

---

53–54 Cf. *Ioan.* 9, 1-8; 1 *Cor.* 15, 35-58.

est annexa alia, quod quia Deus non eget tempore ad opera sua facienda, ita corpus hoc non fuit formatum paulatim per dies 40, sed totum simul in momento, ut dicit Basilius in *hom. de Natali;* sicut etiam in (f. 326*r*) partu, sine parturitione et dolore statim fuit extra uterum. Exemplum de primis herbis et plantis, quae sine semine, sine sole, sine pluvia, sine cultura terrae, sine spacio temporis, ad mandatum Dei statim exorta sunt.

Quare secunda novitas est ex parte causae finalis; nam corpus hoc fuit formatum ad finem altissimum, ut esset hospitium animae nobilioris, sapientioris et potentioris, quam sint omnes angeli; imo ut sit non solum templum divinitatis, ut sunt omnes iusti homines, sed ut sit sanctum sanctorum, ubi proprie erat arca Dei et oraculum; imo ut sit corpus ipsius Dei, id est instrumentum coniunctum, quomodo nobis est manus, per quod operaretur miracula et ipsam gratiam, etc. Unde dicit Apostolus **Col.* 2, 9: quod in Christo *habitabat plenitudo divinitatis corporaliter,* i. e. non participabat divinitatem, nec erat ibi divinitas per effectus, sed vere et proprie erat unitum corpus illud divinitati, etc. Hinc apparet, quale fuerit corpus illud. Nam pro magnitudine habitatoris aedificantur domus, pro rustico tugurium, pro opifice domuncula, pro cive domus, pro principe palatium, pro Rege regia domus. Pro Deo quid? Quam domum aedificabitis mihi? Est igitur corpus omni honore dignissimum, ad cuius plantas propinquare Seraphini gaudent, ut ait Cyprianus in *serm. de Ascensione.* Hinc apparet, quam graviter peccent, qui corpus hoc in Sacramento contentum, vel non dignantur accipere vel indigne accipiunt. Qui, teste Apostolo *1 *Cor.* 11, 29, *sibi iudicium manducant,* id est, condemnationem. (f. 326*v*)

Tertia novitas est ex parte materiae. Factum enim est

89 Tertia *corr.*: secunda *cod.*

---

60 Basil., *In S. Christi generat.* 4: *MG* 31, 1465.
84 Cyprian. = Arn. Bonev., *De ascensione*: *ML* 189, 1669.

corpus hoc ex purissimo sanguine immaculatae Virginis, quae est novitas singularis, quae nec antea, nec postea contigit. Ideo Isaias 7, 14 hoc dat pro maximo signo: *Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Et angelus ut ostenderet, nunc esse impletam prophetiam utitur iisdem verbis: *Ecce concipies, et paries filium.* Et ad hoc persuadendum utitur exemplo sterilis et vetulae Elisabethae, quae iam Dei virtute conceperat. Quamvis enim minus miraculum videatur dare conceptum sterili et vetulae quam virgini, tamen utrumque est miraculum, et utrumque est impossibile naturaliter. Et ideo angelus: *Apud Deum non erit impossibile omne verbum.* Hebraei dicunt nomen *virgo* in hebraeo esse nomen, quod significat puellam, et allegant locum ex *Proverbiis,* ubi dicitur 30, 19: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus non invenio: viam aquilae in caelo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentula.* Sed excaecati sunt. Nam quod signum esset puellam concipere et parere, nisi maneat virgo? Nomen autem illud עַלְמָא significat puellam, sed clausam domi et custoditam, ut solent virgines nobiles, ut dicit Hieronymus, et nusquam in Scriptura accipitur pro corrupta, imo in loco *Proverbiorum* non loquitur Salomon de puella corrupta, ut Iudaei somniant, sed est prophetia nativitatis Domini. Dicit enim difficile esse invenire viam per quam aquila volat, et coluber incedit super petram, et navis in mari, quia non relinquunt vestigium; sed multo mirabilius esse, et naturaliter ininvestigabile, quomodo vir transeat per virginem, id est virgo pariat, et maneat vere et proprie virgo. (f. 327*r*)

117 virgo: *sBe* Hic notandum, errasse imperatorem illum, qui dicebat B. Virginem similem esse marsupio, quod magni fit, dum est plenum auro, vacuum autem contemnitur. At B. Virgo non habuit Christum in utero ut marsupium, sed ut vere mater, quia concepit et peperit; et ideo semper est honoranda ut Mater Dei. Quomodo Salomon honoravit matrem, ponens illi thronum a dextris suis, etc.

109 HIERON., *In Isaiam* lib. III, cap. 7, 14: *ML* 24, 110.

Quarta novitas sumitur ex parte formae, quae est complexio et temperamentum. Fuit enim corpus Christi ita perfecte temperatum, ut nullum habuerit defectum, et numquam aegrotaverit, etiamsi plurimos labores sustinuerit, et integras noctes vigilaret, et oraret in montibus sub die. Dices, quare Christus noluit assumere morbos, qui sunt utiles ad merendum? Christus non assumpsit morbos, quia morbi vel oriuntur ex defectu geniturae, vel ex victu inordinato: at non decebat, Deum auctorem huius corporis deficere in eo formando, nec decebat Christum excedere in victu, etc. Ad patientiam satis fuerunt dolores extrinsecus illati.

* * *

Venio nunc ad animam. Creavit Deus animam Christi novo modo. Nam caeterae animae mox creatae et infusae in corpus contrahunt peccatum originale, et ignorantiam, concupiscentiam, difficultatem bene operandi, propensionem ad malum. Ista enim haereditant ex (f. 327*v*) Adamo, quia mox ut anima infunditur corpori generato cum concupiscentia carnali, incipit ille homo esse filius Adami, etc. At Christi anima nihil horum habuit, sed mox creata fuit plena gratia, et sapientia, et omnibus virtutibus, imo etiam beatitudine essentiali: et quidem gratia fuit in eo summa, quia ut dicit Ioannes Baptista **Ioan.* 3, 34: *Non dedit illi Pater Spiritum ad mensuram:* et Ioannes Evangelista 1, 14: *Vidimus eum plenum gratiae et veritatis.* Habuit gratiam, ut fontem unde omnes alii haurirent, **Ioan.* 1, 16: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sapientiam quoque habuit summam, et statim. Sunt enim in eo, **Col.* 2, 3, *omnes thesauri scientiae et sapientiae Dei.* Nos discimus paulatim cum difficultate magna et cum erroribus. Exemplum de vase angusti et obliqui oris: et oris plani et latissimi: vel exemplum scriptionis et impressionis. Denique beatitudinem habuit, cum tamen esset passibilis et mortalis. Christo enim ut vero Filio Dei debebantur omnia dona, sed

118 Quarta *corr.*: Tertia *cod.*

128 illati: *sBe* Quomodo etiam non assumpsit peccatum, nec ignorantiam

non accepit nisi illa, quae erant compatibilia cum officio Redemptoris. Unde non accepit dotes corporis gloriosi, quia impediebant passionem, conversationem cum hominibus, exempla humilitatis, etc. Neque e contrario accepit peccatum vel ignorantiam aut concupiscentiam, quia venit tollere peccata mundi; ideo debuit venire cum contrario, id est cum innocentia et gratia, et non cum peccato vel iis, quae ad peccatum inducunt, ut sunt ignorantia et (f. 328*r*) concupiscentia. Fuit igitur anima Christi ab ipsa sua creatione perfectissima, et superior omnibus angelis.

* * *

Sed tertium mysterium, i. e. unio animae et corporis ad personam Verbi, est omnium altissimum. Nam non est difficile intelligere, quod Deus omnipotens formet corpus humanum sine auxilio secundarum causarum, quodque creet animam plenam omnibus donis; at quod Verbum aeternum sine ulla sua mutatione uniat sibi naturam humanam ita insolubili et arcto nodo, ut incipiat vere esse homo, et possit dici vere filius virginis, conceptus, natus, etc.: hoc est vere mirandum, insolitum, numquam factum. Et ideo angelus dixit: *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Nam virtus altissimi est Verbum aeternum, Filius altissimi, de quo dicitur **Hebr.* 1, 3: *Qui portat omnia verbo virtutis suae;* et **Ioan.* 12, 38: *Brachium Domini, cui revelatum est?* Et *1 *Cor.* 1, 24: *Christum Dei virtutem et sapientiam *praedicamus.*

Haec ergo virtus altissimi descendit ad virginem, et in eius utero univit sibi naturam humanam. Ac ut intelligeremus, modum esse nobis incomprehensibilem, dicitur obumbrasse illam, i. e. in modum nubis eam cooperuisse, ut non miraremur, si non intelligimus. Sed sufficiat nobis scire ex hac obumbratione factum esse, ut *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, i. e. quod proles Mariae erit sanctissima; et iure vocabitur Filius Dei, quia erit virtus Dei incarnata. (f. 328*v*) Sed est hic aliud etiam mysterium. Dicitur Filius Dei in modum nubis obumbrasse et undique cooperuisse Virginem, ut

non putaremus Filium Dei inclusum in utero Mariae, ita ut nusquam alibi esset; quomodo accidit aliis infantibus. Erat enim intus et extra et ubique.

At cur, *Ioan. 1, 14, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*? Ut esset nobis *via, veritas et vita,* ut ipse ait *Ioan. 14, 6, via per exemplum, veritas per doctrinam, vita per meritum. Et quidem via fuit per exemplum triginta annis, veritas per doctrinam tribus annis, vita per meritum tribus horis. Praecipuum enim meritum fuit passio in Cruce. Ex quo intelligimus, facilius esse acquirere vitam, quod fit statim per Sacramenta; difficilius instrui et discere necessaria ad salutem; difficillimum exsequi et ambulare, ut notum est. Et ideo huc incumbendum totis viribus, etc. Praeterea Christus posuit se in ultimo et infimo loco, i. e. in stabulo: ut omnes possent, si vellent, illum imitari. Nam si elegisset vitam regum vel saltem divitum, multi non potuissent eum sequi: at vitam humilem et pauperem, saltem affectu, omnes possunt amplecti si volunt. Praeterea Christus docuit nos hoc exemplo, quanti sint facienda bona temporalia et bona aeterna: nam de temporalibus accepit quanto minus potuit, de aeternis quanto magis potuit: et pauperem, saltem affectu, omnes possunt omplecti si volunt. differre vel unam horam adeptionem horum bonorum. O quam male imitamur ducem nostrum, qui etc.; et tamen effecti consanguinei Christi.

*IN DIE CIRCUMCISIONIS

**Sermo quintus super: Missus est Angelus*

Deest in codicibus. *prob. 1 ian. 1607

*Super verba: *Et vocabis nomen eius IESUM*, Luc. 1, 31.

Cf. sermonem de nomine Iesu, supra pag. 276 et postea volumine quinto inter sermones de Evangelio anni 1604.

IN DIE EPIPHANIAE

Sermo sextus super: Missus est Angelus

*APUG 385a f. 329r *prob. 6 ian. 1607

Super verba: *Hic erit magnus* **et Filius altissimi vocabitur... et Regni eius non erit finis, Luc.* 1, 32. Restat ultima pars legationis, quae est de regno Messiae: et concordat cum festo Epiphaniae, quia hodie coepit manifestare suum regnum, **Matth.* 2, 2: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum*? Et coepit adorari a regibus; et quia non est rex terrae solum, sed etiam caeli, ideo servivit illi stella de caelo pro face. Itaque angelus Gabriel tria dicit, 1° in genere: *Hic erit magnus*. 2° de magnitudine eius, ut Deus: *Et Filius Altissimi vocabitur*. 3° de magnitudine, ut homo: *Et dabit ei Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.*

* * *

Hic erit magnus. Aliqui alii dicti sunt magni propter aliquam eminentiam, ut Alexander magnus propter magnum imperium, Pompeius magnus propter multos triumphos, Basilius magnus propter magnam doctrinam, Gregorius magnus propter magnam pietatem. At Christus dicitur magnus omnibus modis; magnus potentia, quia omnipotens; magnus sapientia, etc. Item Alexander fuit magnus rex, Pompeius magnus dux, Basilius magnus doctor, Gregorius magnus Papa: (f. 329*v*) at Christus magnus rex, magnus sacerdos, magnus propheta, et, quod excedit omnia, magnus Deus. *Expectantes*, inquit Paulus **Tit.* 2, 13, *beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi*. Nam reliqui dii aut sunt falsi et sic minimi, aut creati — **Psalm.* 81, 6: *Ego dixi: dii estis* — et sic parvi. Ipse autem est verus Deus, et ideo magnus Deus. **Psalm.* 76, 14: *Quis Deus magnus, sicut Deus noster*?

Denique res omnes creatae non possunt dici magnae, nisi comparatione. Mons est magnus respectu collis, et caelum respectu terrae; sed absolute nihil creatum est magnum, quia omne creatum est finitum, et nihil finitum magnum. Quod etiam Cicero cognovit loquens de tempore, quod negat diuturnum, cum habeat finem. Solus Deus est absolute magnus, quia *Psalm. 144, 3: *Magnitudinis eius non est finis;* *Psalm. 146, 5: *Sapientiae eius non est numerus;* durationis eius non est terminus, etc. *O Israel, quam magna est domus Dei,* inquit *Baruch* cap. 3, 24, *et ingens locus possessionis eius. Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus.* Domus Dei aeterna et possessio eius vera est essentia eius. Haec est magna sine fine, altissima propter excellentiam infinitam naturae, latissima propter innumerabiles perfectiones, longissima propter aeternam durationem. Christus igitur magnus erat futurus, quia magnus Deus, et magnus homo.

* * *

(f. 331*r*) *Et Filius Altissimi vocabitur.* Hic explicatur in particulari magnitudo eius divina, ac si dicat: non solum erit magnus, sed etiam cognoscetur magnus. Nam vocabitur Filius Dei Altissimi, ac per hoc cognoscetur, et habebitur Filius Dei. Ita videmus in evangelio vocatum Filium Dei a Ioanne Baptista, *Ioan. 1, 18: *Deum nemo vidit umquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et infra 1, 34: *Ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Ubi cum vocat unigenitum, distinguit a filiis Dei per adoptionem; et cum dicit illum esse in sinu Patris, ostendit illum esse eiusdem naturae cum Patre. Sic enim dicitur Filius in Patre, et Pater in Filio, etc. Sic postea Nathanael, Petrus, Martha dixerunt esse Filium Dei. Quod ipsi etiam daemones fatebantur. Postea totus mundus credidit et confessus est, et in die iudicii

---

36 Cf. Cicero, *De inventione* I 26.

58–60 Cf. *Ioan.* 10, 38; *Ioan.* 1, 49; *Matth.* 14, 33 et 16, 16; *Ioan.* 6, 69; *Ioan.* 11, 27; *Matth.* 8, 29.

ab omnibus omnino cognoscetur, et *Omne genu ei flectetur*, ut dicit Apostolus **Philipp.* 2, 10.

Porro Filius verus et naturalis Altissimi, necessario etiam ipse est Altissimus. Nam quorum una est natura, eorum eadem est altitudo. (f. 331*v*) Et hanc consequentiam bene intellexerunt Pharisaei. *Ioan.* 5, 18: *Quaerebant*, inquit, *illum interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo*, et Paulus *ad Philippenses* 2, 6: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Itaque Christus, quia Filius Altissimi, altissimus est. Quare est altissimus? 1° Quia naturae nobilitate omnia transcendit, Deus altissimus, quia actus purus, nihil habens potentiae passivae. 2° Quia sedet super omnes reges et iudices. Qui enim iudicant, sedent in throno sublimi, et quo sunt maiores, eo sedent altius. *Unus est*, inquit *Iacobus* 4, 12, *legislator et iudex, qui potest perdere et salvare.* Omnes alii iudices habent super se alios iudices, et possunt impediri in exequutione sententiae. Solus Deus sedet in altissima sede, quia iudicat omnes, et a nemine iudicatur; et potest omnium iudicum sententias irritare et impedire; ipse autem a nemine potest impediri, nullus ei resistere potest, etc. 3° Dicitur altissimus, quia non sedet, nisi in altissimis creaturis. *Ego*, inquit **Eccli* 24, 7, *in altissimis habito;* **Isaiae* 66, 1: *Caelum mihi sedes est.* (f. 332*r*) Altissimae creaturae sunt angeli et animae sanctae, quae non cogitant neque amant terrena. In his Deus sedet, non ut quiescat, sed ut eas quiescere faciat quiete inenarrabili. Deus enim in se semper est quietus et tranquillus: sed quo ad effectus cum quibusdam ostendit se ut regem terribilem et turbatum, et exercet iudicia tremenda damnans ad miserias aeternas vel temporales; cum aliis quibusdam ostendit se ut amicum, ut fratrem, ut sponsum, incredibili familiaritate utens; ut faciunt reges, quando deposito sceptro et relicto solio, cum familiaribus ludunt in cubiculo, etc.

71 Quare *corr.*: quid *cod.*
72 Quia *corr.*: qui *cod.*
75 maiores *corr.*: maior *cod.*

* * *

Et dabit ei Dominus Deus sedem David Patris eius. Hic narrat magnitudinem Christi, ut homo est, et dicit fore regem Israel, quomodo fuit David pater eius. Ubi sciendum est, hoc non intelligi proprie de regno temporali, quod habuit David. Nam illud regnum erat nimis parvum. et indignum* Christo. Erat enim regnum super unam parvam provinciam. Sic fuisset Christus unus de turba parvorum principum. At Scripturae dicunt Christum fore regem totius mundi. (f. 332*v*) *Psalm.* 2, 8: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Et *Psalm.* 71, 8 et 11: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrae. Et adorabunt eum omnes reges; omnes gentes servient ei.* Et Isaias in lectione, quae hodie legitur 60, 1-6, dicit, etiam reges maris et insularum remotarum munera oblaturos Christo, et in signum huius rei hodie reges alienigenae Christum adorant.

Praeterea si de regno proprio Davidis loqueretur angelus, falsum dixisset. Nam Christus noluit regnum illud, etiam cum turbae eum vellent eligere. Et de facto habuit illud regnum Herodes, ipso Christo vivente in terris, et postea Archelaus, postea Romani, postea Saraceni et nunc Turcae. Loquitur igitur angelus de regno figurato per regnum Davidis, quod est Ecclesia toto orbe diffusa. Exemplum de rege donante provinciam, et ostendente eam in tabula depictam.

Fuit autem regnum David figura regni Christi: 1° quia David fuit unctus rex a puero, et tamen nonnisi post multos labores pervenit ad regnum. 2° quia inchoavit regnum suum David cum hominibus (f. 330*r*) pauperibus, oppressis aere alieno, et amaro animo, qui tamen non grassabantur in silvis, ut hodie faciunt exules, sed defendebant se et alios, ut patet ex historia Abigail *1 *Reg.* cap. 25. Denique David semper habuit bella, sed filius eius Salomon summam pacem. Ita Christus, etc.

Et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis. Domus Iacob et regnum David sunt idem. Nam Da-

vid regnat super filios Iacob. Sed Scriptura variat nomina ad designanda nova mysteria. Dicitur Christus regnaturus in domo Iacob, licet revera regnare debeat etiam in domo Esau, et in toto mundo. Nam per Iacob intelliguntur electi, per Esau reprobi, *Rom. 9, 13: *Iacob dilexi, Esau odio habui.* Et quidem electos, ut etiam omnes bonos Christus regit per potentissimam gratiam, faciens illos sibi voluntarie subiectos, infundens timorem et charitatem, etc. Reprobos autem et omnes malos regit in virga ferrea puniens et refrenans, etc. Sed modus regnandi prior est proprius Christi, ideo illius tantum meminit angelus. Reliquit alterum modum, quia est communis omnibus regibus. (f. 330*v*)

Dicit etiam: *In domo Iacob,* quia erat additurus: *In aeternum.* Nam domus Iacob semper erit regnum Christi, domus Esau non semper. Nam illi dicuntur esse regnum, qui sunt cives; et participant privilegia regni et honores et officia, etc. Hostes autem capti et in carceribus detenti non dicuntur regnum, quia non participant bona regni.

Nunc igitur tam boni quam mali, tam reprobi quam electi sunt regnum Christi, quia omnes participant bona et officia et dignitates Ecclesiae tam laicas quam ecclesiasticas. At in die iudicii fiet separatio, et omnes mali eiicientur de regno Christi, i. e. de populo, de civitate, et tamquam hostes detrudentur in perpetuos carceres. Et sola domus Iacob erit regnum et populus ac civitas Dei in aeternum. Hoc significant illa *Matth. 21, 43: *Auferetur a vobis regnum Dei;* et *Luc. 19, 27: *Inimicos meos adducite, et occidite coram me,* etc. Signum, quod aliquis sit de domo Iacob est, si non solum sit de regno Christi exterius, sed etiam intra se habeat regnum Dei, quod est *iustitia, pax et gaudium in Spiritu Sancto, Rom.* 14, 17.

Nunc facile est acquirere partem in regno aeterno, postea difficillimum. Exemplum de populatoribus urbium, qui vendunt preciosissima vilissimo precio; quae alio tempore vix haberi possunt. Magna caecitas laborare et sudare pro transituris, et nolle gratis accipere aeterna.

SECTIO QUINTA

SERMONES DOMINICALES SPARSI

ANNI 1601

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM

Matth. 13, 31-35: *de grano sinapis*

*APUG 384 f. 352*r* *11 febr. 1601

In parabola de grano sinapis declarantur duae conditiones verbi Dei, et simul quem fructum facit tum in mundo, tum in qualibet anima. Conditiones sunt eae: 1ª, quod exterius est res exigua et vilis; 2ª, quod interius est virtuosissima. Et ideo comparatur grano sinapis, quod est aspectu minimum et contemptibile, sed est interius calidissimum, et crescit in arborem magnam. Neque moveat, quod non videtur verum, granum sinapis esse minimum omnium seminum, cum sint minora semina papaveris et rutae, etc. Nam Dominus loquitur de seminibus arborum, non herbarum.

* * *

Igitur verbum Dei exterius est vile, parvum, abiectum, quia caret ornatu verborum, subtilitate argumentorum et omni humano artificio, cum tamen debeat persuadere res difficillimas, ut Trinitatem, incarnationem, resurrectionem, euchari-

stiam, contemptum mundi, amorem inimicorum, tolerantiam iniuriarum, etc., et similia. Scriptura enim est simplex narratio: et Apostoli simpliciter praedicabant, ut patet ex Actis Apostolorum. Unde viri docti de saeculo contemnebant verbum Dei, ut patet de Areopagitis, qui Paulum irridebant; et de Galeno et Averroe, qui contemnebant Scripturam, quia nihil probat argumentis; et de ipso Augustino ante conversionem, qui, ut ipse dicit in (f. 352*v*) *Confessionibus,* contemnebat Scripturae simplicitatem.

Quare voluit Deus hanc simplicitatem tum in verbo scripto, tum in verbo praedicato? Propter tria, ut B. Paulus dicit 1 *Cor.* 1 et 2. Primo 1, 17: *Non in sapientia verbi,* inquit, *ut non evacuetur crux Christi.* Secundo 1, 29: *Ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Tertio 2, 5: *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Itaque tres sunt causae, una ex parte mysteriorum praedicandorum, altera ex parte praedicatorum, tertia ex parte eorum, quibus praedicatur. Nam si humanae sapientiae artificio praedicandum esset, deberent omitti et tegi quae ad ignominiam Crucis pertinent, et solum praedicari ea, quae pertinent ad gloriam, ut transfiguratio, miracula, etc.: non autem stabulum, asellus, crux, verbera, etc. Et praedicatores vane gloriarentur; et populi penderent a praedicatoribus, et illos admirarentur et non intelligerent fidem suam nasci ex illuminatione Dei, etc. Hinc apparet, eos, qui totum studium ponunt in polienda oratione et eruditione ostendenda, non praedicare verbum Dei, sed verba sua: et ideo non faciunt fructum, quem solet facere verbum Dei, sed quem facit verbum hominis, id est admirationem praedicantis.

* * *

Altera conditio est virtus mirabilis. Nam verbum ita simplex et ita simpliciter praedicatum totum mundum brevi convertit. Plato autem, Aris-(f.353*r*)toteles et similes sapientes

---

25 Aug., *Confess.* III 5: *ML* 32, 686.

mundi, ut scribit Theodoretus in libro *de Legibus,* scripserunt leges ornatissime et sapienter, magno artificio, et tamen non persuaserunt vicinis suis, nedum regnis longe positis. At verbum Dei simpliciter scriptum et simpliciter praedicatum germinavit primo fidem tamquam truncum arboris, deinde ex fide quasi ex trunco ramos operum heroicorum. Inde enim nata sunt martyria tot millium martyrum; inde tot libri sanctorum doctorum; inde solitudines perfectorum eremitarum; coenobia monachorum et virginum; ecclesiae, hospitalia, coemeteria eleemosynis principum exstructa. Et in his ramis quiescunt aves caeli, id est homines superbi, qui vel ambitione vel curiositate vel ingenio volabant per aërem nec poterant quiescere, tandem alis complicatis, dimisso volatu requieverunt in his ramis. Respice sanctum Iustinum, sanctum Cyprianum, sanctum Victorinum et alios homines doctissimos, qui quiescentes in exemplis sanctorum martyrum ipsi quoque martyres fieri meruerunt. Respice Arnobium, Augustinum et alium Victorinum, qui tumidam ob eloquentiam secularem non dignabantur legere sacros libros, et postea admirati maiestatem et sapientiam verbi Dei quieverunt in libris sanctis. Respice tot reges et principes, qui tandem quieverunt in monasteriis, etc. (f. 353*v*)

Ex parte singulorum hominum. Plurimi fidem habent, sed exiguam vel sopitam, quia nati inter Christianos quasi ex consuetudine credunt, et non proprie ex consideratione verbi Dei fidem acceperunt. Et ideo eorum fides non est sicut granum sinapis, quia non est nata ex grano sinapis, et vel est mortua vel sopita, et parum aut nihil operatur. At si inciperent homines christiani considerare mysteria fidei, et masticare granum sinapis, accenderetur in eis fides vivacissima, quae mirabilia faceret. Nam *Hebr.* 4, 12: *Sermo Dei est vivus et*

---

50 Theodor., *De Graec. aff. cur.* X de leg.: *MG* 83, 1048.

63–64 De S. Iustino, S. Cypriano, S. Victorino ep. Petaviensi cf. Hieron., *De vir. ill.* 74 et Bellarm., *De script. eccl.*

66–67 De Caio Mario Victorino Afro, rhetore, cf. August., *Conf.* VIII 2, 3-5: *ML* 32, 749.

penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens ad divisionem animae et spiritus. In multis ita conglutinatur spiritus cum anima, ut totus homo sit animalis: at verbum Dei penetrans ad imum cordis separat spiritum ab anima, et spiritus ita separatus manet in suo loco supra animam, et videt quae antea videre non poterat. Sicut ocularia viridia omnia ostendunt viridia, sed simplicia et pura vident omnia sicut sunt. Sint duo homines, unus animalis, alius spiritualis; ille iudicat temporalia magni momenti, de aeternis parum curat; iste e contrario. Unde hoc? Quia ille non videt res ut sunt, quia videt per ocularia carnis; iste videt ut sunt, quia spiritus eius est separatus et liber ab illis ocularibus. Quis (f. 354*r*) facit hoc? Verbum Dei consideratum et masticatum, quod excitavit fidem dormientem, et fides gignit timorem, amorem, opera etc. Si quis crederet dicenti esse thesaurum in suo horto, certe continuo inciperet desiderare, et iret ad fodiendum; et qui crederet domum ruituram, timeret et fugeret; ita qui vivaciter credunt coelum et infernum, desiderant, timent, etc. Exempla de sancto Francisco inspiciente imaginem crucifixi, et intime considerante passionem; et de sancta Maria Aegyptiaca. Sic fides in corde hominis radicata producit ramos variarum virtutum, patientiae, humilitatis, charitatis, castitatis, et inde prodeunt fructus operum stupendorum, in quibus quiescunt aves caeli, id est angeli sancti, etc.

* * *

Est etiam alius sensus huius parabolae literalis et valde utilis. (f. 354*v*) Semen regni caelorum est iustitia. Scriptum est enim **Rom.* 14, 17: *Regnum Dei est iustitia, pax et gau-*

106 utilis: *sBe* Regnum coelorum inchoatur in hoc mundo et perficitur in alio: sicut etiam infernus in hoc mundo inchoatur et in alio perficitur. In hoc mundo regnum coelorum est iuxta Apostolum iustitia, pax et gaudium in Spiritu Sancto. In alio est vita Dei. Utrumque est simile grano sinapis.

---

99 Bonav., *Vita S. Franc.* cap. 1 et cap. 13.

100 Sophron., *Vita S. Mariae Aegypt.*, cap. 16 sqq.: *ML* 73, 681; *Sur.* II 668.

dium in Spiritu Sancto. Itaque iustitia est semen, unde nascitur pax, et inde nascitur gaudium, in quo completur felicitas regni caelorum.

Iustitia est simillima grano sinapis. Ut enim granum sinapis est minimum omnium seminum, ita iustitia est iudicio vulgi res contemptibilis prae omnibus rebus. Nam ordinarie si quis debeat vel perdere honorem vel iustitiam, mavult perdere iustitiam ulciscendo se, etc. Item detrimentum pecuniae, dignitatis, voluptatis. Et contra, fiunt quotidie multa peccata ad haec adipiscenda vel augenda. Igitur pluris fiunt ista quam iustitia. Item plurimi homines omnia volunt habere bona, praeter se ipsos: v. g. meretrix vult bonam domum, bonam vineam, bonas vestes, bonas famulas, id est fideles et diligentes: se ipsam tantum non vult bonam. Idem dic de concubinario, de usurario, de adultero, etc. Ergo nihil vilius censetur iustitia. Nec solum est contemptibilis iustitia, sed etiam mordax, ut granum sinapis. (f. 355*r*) Nam, praesertim initio, est laboriosa. Sed postea tamen producit ramos plurimos et maximos omnium bonorum, opum, honoris, gloriae, potentiae, voluptatum, ita ut sit maior omnibus arboribus.

Primo producit pacem internam cum Deo et cum omnibus hominibus. Nam qui est iustus, omnes diligit, neminem laedit, et sic cum omnibus pacem habet. Nam odium est causa belli; amor est causa pacis. Et si forte vel a Deo castigetur, vel ab hominibus vexetur, non ideo turbatur nec rumpit pacem; quia scit ista sibi non nocere sed prodesse, cum sint materia patientiae; et scit non permitti a Deo, nisi ob suum bonum. Haec autem pax est maius bonum, quam omnia bona huius mundi, Sequitur enim ex pace gaudium, quod est conclusio omnis felicitatis. Unde dicitur **Matth.* 25, 21: *Intra in gaudium Domini tui;* nam gaudium est laetitia de adeptione boni amati et desiderati. Unde perfectum gaudium est, quando quis habet omnia, quae desiderat.

Hoc autem gaudium non habet, nisi iustus. Nam iniustus plurima desiderat, quae non potest habere, etc. (f. 355*v*) Iusti

115 Item *corr.*: idem *cod.*

autem in caelo habebunt omnia, quae desiderare poterunt, alioqui non essent beati. Ex adeptione autem tantorum bonorum orietur gaudium ineffabile. Sic enim vocat sanctus Petrus I 1, 8: *Videntes autem exultabitis laetitia inenarrabili et glorificata*. In his tantis gaudiis tamquam in ramis arboris requiescent aves caeli, quae sunt potentiae animae nostrae, spirituales et caelestes. Tunc primum vere quiescet intellectus, quia videbit causam omnium rerum. Nunc enim, etiamsi totum mundum et omnes eius partes intelligeret, non posset quiescere, imo magis accenderetur ad desiderium videndi causam mundi, etc. Tunc quiescet perfecte voluntas, quae nunc varia desiderat, et omnia paulo post nauseat, quia non implent eius appetitum. Tunc perfecte quiescet memoria, quae nunc fatigatur recipiendo et eiiciendo res varias. Tunc enim recipiet unum, quod semper manebit, etc. Tunc omnes sensus quiescent, quia replebuntur convenientibus obiectis. O qualis erit illa quies! *Psalm. 4, 9: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.*

DOMINICA SEPTUAGESIMAE

*Matth. 20, 1-16: *de praelatis et subditis*

*APUG 384 f. 609r *18 febr. 1601

In praesenti evangelio duo continentur: consolatio pro praelatis, significatis per operarios, et instructio pro subditis, significatis per vineam. Officium praelaterum succedentium Apostolis est dignum maxima compassione, si non considerentur accidentia, sed substantia. Posset enim definiri labor periculosus. Augustinus *epist.* 147 ad Valerium, dicit nihil esse facilius et laetius et hominibus acceptabilius episcopatu, si res perfunctorie agatur: sed nihil esse difficilius, laboriosius et periculosius, si agatur ut oportet. Similia habet Gregorius Nazianzenus in *Apologia*. Et Chrysostomus dicit tantum esse

9 Aug., *Epist.* 21, 1: *ML* 33, 88.
12-13 Greg. Naz., *Or.* 2 *Apolog.* 10: *MG* 35, 422.
13 Chrysost., *In Act. Ap.* hom. 3, 4: *MG* 60, 39.

periculum in episcopatu, ut ipse credat, paucos tales salvari. Quia tamen nihil est apud Deum beatius, ut idem Augustinus *loco citato* dicit, et patet ex Evangelio *Ioan. 21, 15-18: *Si diligis me, pasce oves meas*: ideo in parabola praesenti Dominus consolatur Apostolos et successores. Ac in summa duo dicit. Primo: Apostolos et eorum successores esse vocatos in ultima hora, et tamen remunerandos ante illos, qui sunt vocati prima hora. Sic erunt novissimi primi. Secundo, laboraturos brevissimo tempore, et accepturos non minus praemium, quam illos, qui longissimo tempore laborarunt. (f. 609*v*)

* * *

Vocati prima, tertia, sexta et nona hora secundum communem opinionem sunt patriarchae et prophetae, qui non receperunt mercedem, nisi post mortem Christi. At Apostoli vocati sunt hora undecima, quae est ultima. Unde Ioannes *1 *Ep.* 2, 18: *Novissima*, inquit, *hora est*. Et Paulus *1 *Cor.* 10, 11: *Nos*, inquit, *sumus, in quos fines seculorum devenerunt*. Et tamen coeperunt mercedem recipere, ipso Christo vivente. Nam Christus, ut Ioannes dicit *1 *Ep.* 5, 20, *est verus Deus et vita aeterna*. Habuerunt ergo denarium, sed involutum in sacculo: sicut etiam nos habemus, sed involutum in sacramento. Et quamvis perfecta merces sit visio divinitatis: tamen incredibilis thesaurus erat videre et audire Deum incarnatum. *Luc. 10, 23: *Beati oculi, qui vident, quae vos videtis*. Et nunc qui gustant divina, incredibilem laetitiam ex sacramento percipiunt. Sic igitur fuerunt novissimi primi.

Sed fuerunt etiam electi prae aliis vocatis, quia parvo tempore laborarunt, et non minorem mercedem habuerunt. Nam patriarchae et prophetae vixerunt longo tempore, et post mortem non cessarunt aliquo modo laborare tum desiderando adventum Christi, tum orando sollicite pro vivis, ut patet ex lib. (f. 610*r*) 2° *Macchabeorum* 2 de Hieremia. Itaque aliqui laborarunt aliquot millia annorum, alii saltem aliquot centurias annorum, cum tamen post mortem nihil sibi mererentur.

40 non minorem *cB*: maiorem *la*.

At Apostoli non laborarunt nisi paucos annos, et statim a morte ad vitam beatam pervenerunt. Unde Paulus *2 *Cor.* 4, 17 vocat suum laborem *momentaneum et levem.*

Acceperunt autem mercedem non minorem, et aliquo modo maiorem, quia eadem merces pro minore labore habet rationem maioris mercedis. At *Deus non est acceptor personarum,* ut Scripturae passim testantur, et *reddit unicuique secundum opera sua,* **Matth.* 16, 27: Quomodo ergo pro minore reddit eandem mercedem? Respondeo, Deum esse iustum, et nulli dare minus quam mereantur, sed simul esse liberalem, et quibusdam dare plus quam mereantur, et haec responsio est in Evangelio. Tamen sciendum est, hanc liberalitatem fuisse in gratia potius, quam in mercede. Nam Apostoli et praelati Novi Testamenti, licet minore tempore laborent quam operarii Testamenti Veteris, tamen eo parvo tempore non minus operis fecerunt quam illi longissimo tempore, imo fortasse plus operis fecerunt. Unde differentia non stat in hoc, quod pro minore labore habuerint plus mercedis, sed in hoc, quod habuerint maiorem gratiam, per quam minori tempore plus laborarunt. Exemplum: Si vocati ad vineam hora undecima, haberent a Domino vineae cibum copiosum, quo robustiores redderentur, et instrumenta aptiora quam alii, et terram fodiendam molliorem, ita ut una hora tantum terrae (f. 610*v*) foderent, quantum alii tota die: isti plus gratiae haberent, sed eandem vel maiorem mercedem iuste mererentur. Ita igitur Apostoli et apostolici praelati habent cibum solidiorem, quo fortissimi efficiuntur, nimirum carnem et sanguinem Christi, exemplum ineffabilis charitatis eius, quae plane accendit cor, et pellit omnem timorem. Sed *in his omnibus,* inquit **Rom.* 8, 37, *superamus propter eum, qui dilexit nos.* Et alibi **Eph.* 3, 19: *Scire,* inquit, *supereminentem scientiae charitatem Christi.* Antiqui non habebant nisi figuras huius cibi et potus. Deinde habuerunt isti instrumenta mirabilia, verbum evangelii multo clarius quam sint prophetiae; item sacramenta sine

55-60 Deum... testamenti *cB*: Primo non facit Deus iniustitiam: in iudicio reddit Deus unicuique secundum suum laborem, at *la.*

comparatione efficaciora; et miracula plurima et maxima. Denique habuerunt terram molliorem, quae fuit gentilitas. Nam Hebraei semper fuerunt durae cervicis, et omnes prophetas occiderunt, unde tot saeculis prophetae parum in illis profecerunt, de quo Deus in Scripturis saepe conqueritur. At gentiles faciliores fuerunt ad recipiendam et conservandam fidem. Unde Apostoli paucis annis totum fere mundum converterunt.

Haec igitur est substantia parabolae, neque oportet curiose singula scrutari, ut dicit Chrysostomus, quia parabolae similes sunt cultro, qui non scindit, nisi ab una parte. (f. 611 *r*)

* * *

Nunc pro subditis dicendum est, quare Ecclesia comparatur vineae, et singuli fideles vitibus. Et hoc etiam praelatis erit utile. Nam etiam ipsi sunt membra Ecclesiae et vites. Sicut ipse Christus, qui est Dominus vineae, tamen non dedignatur dicere **Ioan.* 15, 1: *Ego sum vitis*. Non sine magna causa tam frequenter ab Isaia, Ezechiele, Davide, Christo ipso apud omnes evangelistas fideles dicuntur vites. Vere enim ex hac similitudine possumus discere principium, medium et finem vitae christianae; et omnes virtutes, fidem, spem, charitatem, humilitatem, patientiam, obedientiam et caeteras. Sanctus Basilius hom. 5 *in Hexameron* ponit multas similitudines fidelium ad vites, quas ego omisi.

Primo igitur vitis, quo ad exteriora, est contemptibilis valde: parva, debilis, distorta, nodosa, deformis, etc. Hoc significat bonum Christiani non esse foris sed intus, **Psalm.* 44, 14: *Omnis gloria filiae regis ab intus*. **Cant.* 1, 4: *Nigra sum, sed formosa*: nigra exterius, formosa interius. Non sumus Christiani propter ulla bona externa: haec est vocatio nostra. Ad hoc necessaria est vera humilitas, virtus propria Christianorum et fundamentum totius aedificii. Unde Christus, qui dixit: *Ego sum vitis*, factus est *novissimus virorum*: *et non erat species ei, neque decor,* **Isaiae* 53, 2-3. Fuit autem Christi hu-

89 Chrysost., *In Matth.* hom. 64, 3: *MG* 58, 613.
101 Basil., *In hexaem.* V, 6: *MG* 29, 108.

militas summa, quia cum esset *Deus super omnia benedictus* *Rom. 9, 5, factus est *novissimus virorum*. Fuit voluntaria: quia non fuit humiliatus, quia id mereretur, aut quia non posset se exaltare; sed quia fuit *mitis et humilis corde, Matth.* 11, 29. (f. 611*v*)

2°. Vitis adhaerere debet palo et illi alligari, alioqui cadit, etc. Christianus debet abnegare se ipsum, et non stare super se, debet intellectum alligare palo verbi Dei per fidem, et voluntatem legi Dei per obedientiam. Qui vult de rebus divinis fidere suo ingenio, facile cadit; et hinc natae sunt omni tempore tot haereses, quia homines nolunt adhaerere palo firmissimo verbi Dei per Ecclesiam nobis declarati. Similiter oportet bonum Christianum alligari regulae infallibili, quae est voluntas Dei per superiores nobis declarata. Hoc est proprie servire Deo, et ideo ait *1 *Reg.* 15, 22: *Melior est obedientia quam victimae.* Christus vitis vera perpetuo adhaerebat palo, cum diceret *Ioan. 4, 34: *Cibus meus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.*

Ubi notatur facilitas et continuatio obedientiae sine ulla fatigatione. Sanctus Franciscus, qui fuit imitator Christi perfectissimus, quamvis generalis minister esset, tamen voluit pro sua persona peculiarem guardianum, et quia illum non semper secum habere poterat, semper socio promittebat et observabat obedientiam. Sed quia aliquando vitis manet alligata cum palo, sed illud detorquet suo pondere, ideo Dominus dicebat *Luc. 22, 42: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Ita igitur, etc. (f. 612*r*)

3°. Vitis ita putatur a vinitore, ut non solum folia, sed etiam vivos ramos amittat. Id fit, ut vitis sursum versus crescat, et fructum bonum faciat. Et quando vitis non putatur, signum est, quod de ea desperatur. Ideo Dominus generaliter dicit *Ioan. 1, 2: *Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum.* Vult Deus, ut Christiani sursum spectent, i. e. exspectent bona

140 et 142 putatur *corr.*; potatur *cod.*

132 Bonav., *Vita S. Franc.* cap. 6.

aeterna, et ad illa per spem semper respiciant; ideo subinde resecat folia et ramos, tollit honores, divitias, personas coniunctas, ut exerceat patientiam, et patientia augeat spem. *Tribulatio,* inquit Apostolus **Rom.* 5, 3, *patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem.* Qui habet bona huius mundi, quiescit in illis et non surgit ad speranda aeterna. Ideo Deus illa aufert, ut homo non inveniens quietem in terris, ponat spem suam in caelo.

Itaque bonum est signum cum putamur, malum cum non putamur sed omnia prospere succedunt. Vide exemplum Melaniae apud Hieronymum in *epist.* ad Paulam de obitu Blesillae. Melania adhuc calente mariti corpuscolo et necdum sepulto, duos perdidit filios, et ait: *Expeditius tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.* Sed mirabilius sancti Iob, qui primo amisit omnia bona externa; paulo post omnes liberos; paulo post sanitatem totius corporis; sola uxor remansit, sed ea inimica facta est. At Iob quia vitis optima erat, sic putata, intellexit, totam spem in solo Deo et promissis futurae vitae ponendam. Ideo dixit **Iob.* 19, 25: *Scio quia redemptor meus vivit, e in novissimo die de terra surrecturus sum; *et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* 19, 27: *Reposita haec spes mea in sinu meo,* id est: omni spe temporali amissa, arctius retinebo in sinu spem istam etc. (f. 612*v*)

4°. Vitis est siccissima et aptissima ad ignem concipiendum. Hoc significat mortificationem concupiscentiae, ut flamma charitatis accendatur. Impossibile est, ut simul maneant humor carnalis concupiscentiae et charitas Dei; ideo fides christiana hortatur ad virginitatem vel ad viduitatem, vel saltem ad matrimonium unius cum una. Et quia puritas mentis et corporis, quae est dispositio ad charitatem, non potest stare cum crapula, ebrietate, iocis, dissolutionibus, etc., ideo invenit ieiunia, vigilias et similia. Qui ergo vult esse vitis, et transfor-

154 et 155 putamur *corr.*: potamur *cod.*
163 putata *corr.*: potata *cod.*

156 Hieron., *Epist.* 39, 4: *ML* 22, 471.

mari in ignem divinum, siccare debet fontem concupiscentiae, etc.

5°. Vitis non vult esse solitaria, sed cum aliis multis ordine positis. *Pone,* inquit, *ordine vites.* Ita Christiani debent esse uniti, concordes, ordinati, etc., quia Ecclesia est corpus habens multa membra, mater multorum filiorum, exercitus multorum militum, etc.

6° Vinea debet esse in collibus. *Vinea,* inquit *Isaias* 5, 1, *fuit dilecto in cornu filio olei,* et Poeta: *Bachus amat colles.* Hinc vitium alia est altior, alia demissior, sed omnes sunt vites. Hoc significat subordinationem Christianorum. Sed subditi non debent invidere praelatis, quia ipsi possunt vinum producere sicut illi: et praelati non debent despicere subditos, quia nihil habent prae illis, nisi periculum, etc.

7°. Vitis, si producit vinum, utilissima est, quia producit fructum, qui laetificat Deum et homines. Si non producit vinum, nihil omnino valet, ut dixit Ezechiel **cap.* 15, quia non potest inde fieri tabula vel ligamen vel hasta, neque ornare locum, etc. Itaque aut felicissima aut infelicissima est. Ita, etc.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA

**De margarita pretiosa seu charitate*

*APUG 384 f. 430*r* 4 mart. 1601

Hoggi la santa Chiesa nell'epistola ci dichiara la grandezza della carità, et nell'evangelio la pratica dell'istessa carità. Per questo sono andato pensando, che questa dee essere quella pretiosa margarita, della quale parla il Signore **Matt.* 13, 45 in quella parabola del mercante, che va cercando le gioie, et trovatane una pretiosissima, vende tutto 'l suo, et la compra. Perchè in vero che cosa è in terra o in cielo più di-

3 4 mart. *add.*

4-6 Hoggi... pensando *cB*: Con occasione, che S. Paolo nell'epistola di hoggi non si degna di far comparatione della carità con le cose

182 VERGIL., *Buc. Ecl.* I 74.

187 VERGIL., *Georg.* II 112.

lettevole, piu utile, piu nobile, piu gloriosa, che la vera amicitia co'l vero Dio, che è un pelago infinito d'ogni bene? Voglio dunque ragionare di tre cose; 1° del modo di trovare questa gioia; 2° del modo d'acquistarla; 3° del modo di conservarla. Et sara à proposito del tempo, perche in nessun tempo il demonio procura piu di far perdere questa gioia, che hora. (f. 430*v*)

* * *

Tribus modis aliquid invenitur. Primo casu, quomodo invenitur thesaurus; secundo ex intentione quaerendo, ut de quaerente bonas margaritas; tertio partim casu, partim ex intentione, quomodo inveniuntur dignitates ab illis, qui eas non quaerunt, sed tamen se faciunt dignos. Primo modo invenitur principium charitatis, sive id quod necessario charitatem antecedit, id est electio et vocatio. **Coloss.* 1, 12: *Elegit nos in partem sortis sanctorum.* **Eph.* 1, 11: *Sorte vocati sumus.* **Rom.* 10, 20: *Inventus sum a non quaerentibus me.* **Ioan.* 15, 16: *Ego vos elegi, non vos me elegistis.* **1 Ioan.* 4, 10: *Non quia nos dilexerimus Deum, sed ipse prior dilexit nos.*

Secundo modo (f. 431*r*) invenitur ipsa amicitia Dei, eius augmentum et eius perfectio, quae est gloria caelestis. Ista debent quaeri. **Matth.* 7, 7: *Quaerite et invenietis.* **Matth.* 6, 33: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius.* **1 Cor.* 9, 24: *Sic currite, ut comprehendatis.* **2 Tim.* 2, 5: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Deinde etiamsi Deus hoc non iuberet, debemus quaerere, quia amisimus hanc margaritam nobis in primo parente donatam. Quod significatur in

basse, che non l'antipone all'eloquenza, alla sapienza, alla fede, a' miracoli, all'opere heroiche di dare tutto il suo et anco se stesso in servitio d'altri, et finalmente alle virtù principali, chiamate theologiche: nunc manent tria haec, fides, spes, charitas, maior autem horum est charitas: per questo sono andato pensando *la.*

19 secundo: *sBe* quasi casu, id est praeter intentionem, sic tamen ut operibus homo quaerat: quomodo dantur dignitates bene meritis, licet ipsi hoc non intendant. Unde illud Plauti: ambite virtutibus, non favitoribus

23–24 principium... vocatio *cB*: gratia praedestinationis et primae vocationis. *la.*

illa muliere, quae quaerit drachmam perditam accensa lucerna et everrens domum, *Luc. 15, 8-10. Denique etiamsi nec Deus iuberet nec amisissemus, tamen quaerere debemus, quia in hoc est noster finis, nostra beatitudo. *Luc. 10, 42: *Porro unum est necessarium.* Et hoc significatur per parabolam mercatoris quaerentis bonas margaritas, *Matth. 13, 45.

Quis igitur est modus quaerendi? (f. 433*v*) Primo oportet scire, an charitas sit pretiosissima margarita, et postea inquirere ubi sit. De primo oportet consulere peritos et expertos. Nullus peritior apostolo Paulo, qui erat doctissimus, et a Deo acceperat notitiam optimarum rerum, et fuerat in tertio caelo et in profundo mari, etc. Is igitur in hodierna lectione *1 *Cor.* 13, 1-13 dicit, charitatem esse rem omnium pretiosissimam. Id probat comparando eam cum omnibus temporalibus, quia nimis vilia sunt. Comparat igitur primo cum eloquentia, quae eo tempore erat in maximo precio apud populos, et dicit eloquentiam omnium hominum et omnium angelorum sine charitate nihil prodesse. Secundo ascendit ad sapientiam, quae est in maximo precio apud viros gravissimos, et dicit non solum scientiam omnem naturalem, sed etiam supernaturalem, ut Salomonis et prophetarum, sine charitate nihil esse: *Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam.* Tertio ascendit ad donum miraculorum, quod tam magnum est, ut sit in admiratione apud omnes, et faciat homines adorari ut Deos, ut accidit Paulo et Barnabae, *Act. 14, 11-18. *Si habuero tantam fidem, ita ut montes transferam, *charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et dicit, hoc etiam sine charitate non prodesse. Quarto ascendit ad virtutes morales, quae faciunt hominem bonum, ut ad liberalitatem et fortitudinem, et dicit sine charitate non prodesse. Denique ascendit ad virtutes theologales, quae sunt omnium supremae, et dicit: *Nunc manent tria haec, fides spes, charitas; maior horum est charitas.* (f. 431*r* infra)

Sed ubi inveniemus istam margaritam? Quid fecit mercator quaerens bonas margaritas? Procul a domo recessit. Nam preciosae margaritae non transferuntur a venditoribus

43 quaerendi: *nmB* vide in ultima pagina.

per plateas ante domos nostras, sed manent reconditae in officinis. Quae transferuntur per domos sunt res viles, quae superfuerunt in foro, ut olera, pisciculi, vestes antiquae, etc. Illi igitur manent domi et expendunt suas pecunias (f. 431*v*) in rebus vilibus, quae aliis superfuerunt, qui contenti sunt iis bonis, quae sensu apprehenduntur. Quod maxime nunc fit in bacchanalibus, in caenis, lusibus, etc. *Quae videntur*, inquit Apostolus 2 *Cor.* 4, 18, *temporalia sunt; quae non videntur aeterna sunt.* Ideo prudens mercator longe peregrinatur supra caelum, supra tempus, supra creaturas, ut inveniat aliquid magnum et durabile. Primum descendere potest duce fide in fundum terrae, et ibi inveniet infinitos spiritus hominum et daemonum corruisse in puteum ardentem sine fundo, unde numquam exibunt, desperatos, miserrimos, omni malo coopertos sine ulla boni admistione. Interroget, quid eos praecipitavit in tam horrendum puteum. Respondebunt: offensam Dei, inimicitiam cum Deo. Nihil enim aliud sufficiebat talem locum fabricare, neque spiritus collocare sub omnia corpora. Non divitiae damnant, non paupertas, non aliae res, sed earum abusus contra voluntatem Dei. Hinc intelligitur quanti sit momenti inimicitia Dei, quae in hoc mundo parvi penditur, et per consequens cognoscitur precium amoris Dei, et hoc est invenire margaritam pretiosam.

Sed rursus assumptis alis fidei prudens mercator ascendit super stellas, et invenit civitatem gloriosam, plenam spiritibus angelorum et hominum, qui habent omnia bona quae cupiunt, et carent omni malo, et hoc in aeternum, unde securissimi fruuntur summa felicitate. Interroget, qua via pervenerunt in eum locum. Respondebunt omnes, amorem Dei fabricasse illam civitatem, et ipsum perduxisse eos, defendisse in via, aperuisse portam, collocasse in illis sedibus. Ita invenitur margarita. Nam invenire est cognos-(f. 432*r*)cere precium eius.

* * *

Quomodo acquiritur? Dando omnia, etiam se ipsum. Id fecit ille mercator, neque est difficile ei, qui illam invenit. Qui

nondum invenit, putat esse impossibile vel potius stultum, vendere omnia et etiam se ipsum pro re invisibili. At qui invenit, idest, qui bene cognovit, non multum consultat, sed statim currit, et vendit omnia, quia videt se optimum habere mercatum, quia res illa valet multo amplius. Sed Dominus contentus est eo quod quisque habet, sed vult totum.

Quid est vendere omnia? Despicere omnia, sub pedibus omnia habere. Non multum laetari, si acquiras; non multum tristari, si perdas; pro toto mundo lucrando non facere peccatum veniale. Itaque cognoscere pretium amoris Dei, est illum invenire; despicere omnia creata, est illum acquirere. Hoc significant illa *Luc. 14, 26: *Qui non odit patrem, matrem, uxorem, filios, fratres, sorores, adhuc et animam suam, non est me dignus.* Non iubet proprie odisse, sed cum impediunt amicitiam Dei, ita contemnere, ac si odisses. Ratio huius rei est, quia amicitia Dei non potest consistere cum amicitia mundi. *Qui voluerit amicus esse mundi huius, inimicus Dei constituitur,* inquit Iacobus 4, 4. Amor mundi gravat corda, quia est amor terrenus, et sic trahit deorsum; amor Dei est ignis purificans et trahit sursum. Impossibile est, idem cor sursum et deorsum tendere. *Matth. 6, 21: *Ubi est thesaurus vester, ibi et cor vestrum erit.* Vere igitur non acquiritur amicitia Dei, nisi ab his qui renunciant amicitiae totius mundi, et sic omnia vendunt.

Ista, ut dixi, impossibilia videntur ignoranti precium amoris Dei. Ut si quis cogat hominem gulosum ieiunare his diebus, videtur res durissima; at scienti precium amicitiae Dei res facillima esset. *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam, Cant. 8, 7.* (f. 432*v*)

* * *

Quomodo conservatur? Eo modo, quo amicitia humana; videndo se, colloquendo, mutua beneficia conferendo, sed praecipue patiendo pro amico. Deus nos semper videt: **Psalm. 33, 16: *Oculi Domini super iustos.* Nos eum videre debemus per fidem actualem, credendo et cogitando illum ubique prae-

sentem. *Providebam Dominum in conspectu meo semper; Oculi mei semper ad Dominum* dicit David *Psalm. 15, 8 et 24, 15; et tamen rex erat occupatissimus. *3 *Reg.* 17, 1: *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto.* *Gen. 17, 1: *Ambula coram me.* Occurrit nobis Deus quotidie in creaturis a se factis; in imagine sua, quae est homo; in sacramento altaris, quasi in speculo ubi relucent omnia mirabilia eius. Loquimur Deo in oratione, audimus in lectione. Omnis Scriptura sancta est verbum Dei, et ideo debet audiri, non ut verbum hominum, sed sicut est vere, ut verbum Dei. Multi legunt quotidie psalmos, epistolas et evangelia, et tamen non audiunt verbum Dei, quia si audirent, plane immutarentur, accenderentur, illuminarentur. Est enim sermo Domini vivus, efficax, ignis ardens. Non audiunt ut verbum Dei, quia non cogitant esse verbum Omnipotentis. Minatur princeps terrenus mortem temporalem, et omnes tremunt: minatur princeps caelestis mortem aeternam, et non timemus! Quare? quia non accipimus ut verbum Dei. Sic de oratione: oramus, et tamen non loquimur cum Deo, quia non apprehendimus quis sit, quem oramus. Alloquitur homo privatus principem, et pallet, tremit, non movet oculos, non fatigatur stando vel genua flectendo, etc. (f. 433*r*) Beneficia Dei in nos plurima sunt, imo quicquid habemus, eius beneficium est. At nos quid illi rependimus? Quod proximis facimus, sibi acceptum refert. Sed praecipue cupit Deus ut illi serviamus obediendo praeceptis eius *Ioan. 15, 14: *Vos amici mei eritis, si feceritis quae praecipio vobis.*

Sed potissimum amicitia conservatur in patiendo aliquid pro amico. Quando enim damus id, quod nobis superest, non multum ostendimus nos amare. At quando cum nostro incommodo, tunc plane apparet amor, et ligat amatum. Exemplum de Abraham, qui cum suo maximo incommodo sacrificare Deo voluit filium, *Gen. 22, 2; item omnium martyrum. Sed idea charitatis est Christus, qui in evangelio hodierno *Luc. 18, 31-43 describitur ascendisse in Hierusalem flagellandus, illudendus, crucifigendus. Nos debemus imitari hanc ideam, et

143 dicit David *add.*

occasiones numquam desunt. In quadragesima, si quis comedat in meridie ut aliis diebus, et sumat cibum delicatum, et in tanta copia, ut vesperi non esuriat, satisfaciet praecepto Ecclesiae; sed non augebit amicitiam, quomodo faceret, si tarda hora solveret ieiunium, et non sumeret, nisi quod in ordinaria coena sumeret, et quod in prandio sumpturus erat, daret pauperibus. (f. 430*v*)

Tertio modo inveniuntur dona, quae dantur ad aliorum utilitatem, et ordinarie consequuntur perfectam charitatem, ut prophetia, miracula, revelationes, visiones, gubernationes, dignitates ecclesiasticae. Ista non quaeruntur ex intentione; sed quia dantur a Deo viris perfectis ut plurimum, quando vere ex dispositione Dei dantur: ideo qui dat operam perfectioni, aliquomodo illa quaerit, et dum humiliter fugit, tunc magis quaerit.

DOMINICA PASSIONIS

Qui ex Deo est, verba Dei audit, Ioh. 8, 47.

*APUG 384 f. 465*r* — 4 mart. 1601

Haec verba non sunt minus difficilia quam utilia. Difficilia, quia videntur contraria aliis scripturis et experientiae: utilia, quia hinc discimus, quid facere debeamus, ut simus

4-17 Haec verba... loquelam *cB*: Non è cosa, che più desideri un'anima veramente pia, che di assicurarsi di esser' in gratia di Dio et da ver salvarsi, et non potendosi del tutto assicurare, almeno salire al più alto grado di segni et conietture, che di questo si possino havere. Uno di questi segni habbiamo in queste parole: qui ex Deo est, verba Dei audit, et in sustantia vogliono dire, che chi è da Dio, cio è chi è figliolo di Dio, conosce la voce di suo Padre. E così il conoscere la voce di Dio è segno, che uno è figliolo di Dio. L'occasione di dire queste parole, fu perche poco avanti havevano detto i Giudei: Nos ex fornicatione non sumus, sed unum Patrem habemus, Deum. Allora rispose il Signore: Quare ergo loquelam *la.*

veri filii Dei et haeredes regni sempiterni. Et quia declarata obscuritate, utilitas per se consequetur, ideo solum cupio solvere duo dubia, ex quibus pendet declaratio huius loci. Dubia sunt, quomodo videlicet haec verba cohaereant cum aliis scripturis, et quomodo cohaereant cum experientia.

* * *

Quo ad primum. *Qui ex Deo est* significat: qui est filius Dei. Nam paulo ante dixerant Iudaei v. 41: *Nos ex fornicatione non sumus, sed unum Patrem habemus Deum.* Quod Dominus redarguit v. 44 dicens: *Vos ex patre diabolo estis. Nam si Patrem haberetis Deum, diligeretis utique me.* Et rursum v. 43: *Quare ergo loquelam meam non cognoscitis*? id est: si filii Dei essetis, cognosceretis me pro fratre. Deinde clarius addit v. 47: *Qui ex Deo est, verba Dei audit;* id est: filius cognoscit vocem patris. Vos autem (f. 465*v*) non cognoscitis vocem Dei, sed vocem diaboli, et ei oboeditis. Itaque Dominus dicit prius esse, filium Dei fieri, quam audire verba eius. Unde addit v. 47: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et cap. 10, 4-5 per similitudinem pastoris et ovium: *Oves,* inquit, *pastorem sequuntur et vocem eius audiunt; alienum autem non sequuntur, quia non noverunt vocem alienorum.* Est enim proprietas ovium cognoscere vocem proprii pastoris. Unde ibidem 10, 26: *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* At in aliis Scripturis contrarium habemus, prius esse audire verbum, et postea fieri filium Dei. Nam verbum est semen, ex quo renascimur. *Renati,* inquit Petrus I, 1, 23, *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei.* Et ipse Dominus **Luc.* 8, 11: *Semen est verbum Dei.* Et Paulus **Rom.* 10, 17: *Fides ex auditu, auditus per verbum Christi.* Et certe si auditio verbi praecedit fidem, multo magis gratiam iustificantem, quae facit nos filios, **Rom.* 5, 1: *Iustificati ex fide* **pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Respondeo primo, illud *Qui ex Deo est* intelligi secundum praedestinationem; quomodo intelligitur illud: *Oves vo-*

(f. 466*r*)*cem eius audiunt*, ut docent Augustinus et Chrysostomus et Gregorius et alii, et colligitur ex ipso evangelio. Nam Dominus dicit *Ioan.* 10, 16: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient.* Loquitur de gentilibus convertendis. Sicut etiam *Ioan.* 11, 52: *Non solum moriturus erat pro gente, sed etiam ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Per gentem intelligit populum Iudaeorum, per filios Dei dispersos gentiles tunc incredulos et vagantes et errantes etc. Et *Ioan.* 10, 27-29: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego vitam aeternam do eis, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater quod dedit mihi, maius omnibus est, 'et nemo potest rapere de manu Patris mei,* id est: vos videtis quod mihi mater dedit, ideo putatis me nimis audacem; at quamvis quod mihi mater dedit, sit infirmum, tamen quod mihi dedit Pater, maius omnibus est, id est natura divina, etc. Unde Augustinus: *Secundum electionem multae oves foris, multi lupi intus.* Praedestinatio praecedit vocationem et verbi auditionem; vocatio et verbi auditio iustificationem. *'Rom.* 8, 30: *Quos praedestinavit, hos et vocavit; quos vocavit, hos et iustificavit.*

Sed quamvis haec interpretatio vera sit, ac proinde signum sit praedestinationis audire verbum Dei, tamen alii et maxime recentiores exponunt haec loca de filiis ex praesenti iustitia, quia Dominus reprehendit Iudaeos, quod non credant et non fiant oves; quod non faceret, si solum loqueretur de filiis ex praedestinatione. Et praeterea nulla sunt signa certa et solida praedestinationis, nisi mediante gratia, imo perseverantia in gratia. Nam qui audit hodie verbum Dei, forte cras non audiet; et qui non audit hodie, cras forte audiet. Unde nullum est signum certum praedestinationis, nisi (f. 466*v*)

41-42 Aug., In Ioh. cap. 8, tract. 42, 16: *ML* 35, 1706; Chrysost., *In Ioh.* hom. 54, 3: *MG* 59, 300; Gregor. M., *Hom. in Ev.* 18, 1: *ML* 76, 1150.

59 iustificationem *corr.*: praedestinationem *cod.*

62-66 alii... nulla *eB*: negari non debet, quia etiam signum sit praesentis gratiae. Nulla enim *la.*

56 Aug., *In Ioh.* cap. 10, tract. 45, 12: *ML* 35, 1725.

63 Recentiores vide apud Bellarm., *De script. eccl.* in Indice I.

quod dicit sanctus Petrus: perseverantia in bonis operibus. 2 *Petr.* 1, 10: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis,* nimirum vobis certam faciatis, quia Deo semper est certa. *Novit enim Dominus qui sunt eius* *2 *Tim.* 2; et **Luc.* 13 : *Ego scio quos elegerim.* Ut igitur intelligamus, quomodo audire verbum Dei sit signum et effectus gratiae praesentis, et simul sit causa eiusdem, sciendum est, quod omnia nutriuntur ex quibus constant, ut philosophi dicunt. Plantae nascuntur ex terra et aqua, et ex eadem nutriuntur et vivunt; in animalibus idem est fons materiae generationis unde nascuntur, et lactis unde nutriuntur. Unde statim ac feminae pariunt, incipiunt lac habere. Sic igitur in generatione spirituali verbum ante fidem est semen, post fidem est cibus; lac incipientibus, panis solidus perfectis. Et multo adhuc magis hoc est verum in spiritualibus, quia cum sint perfectiora, eo magis uniuntur. V. g. in corporalibus aliud est cibus, aliud est vinum; in spiritualibus una res est utrumque. **Eccli* 24, 29: *Qui edunt me, adhuc esurient; qui bibunt me,* (f. 467*r*) *adhuc sitient.* Sic etiam in corpore sunt quinque sensus ad cognoscenda quinque obiecta; in spiritu est unus tantum, nimirum intellectus, qui percipit illa omnia obiecta. Verbum ergo Dei, quia spirituale, utrumque esse potest: semen et cibus. Et ex verbi auditu nascitur homo spiritualiter, et ex eodem verbo nutritur, et sic audire verbum est signum vitae et causa vitae. Pisces nascuntur in aquis et ex aquis, et nutriuntur in aquis et ex aquis. Sic Christiani nascuntur ex aqua baptismi in verbo vitae, et nutriuntur ex aqua sapientiae salutaris, cuius fons est verbum. *Fons sapientiae,* inquit *Ecclesiasticus* 1, 5, *verbum Dei in excelsis.* Unde notarunt veteres, et maxime Optatus Milevitanus lib. 3 *contra Parmenianum,* Augustinus lib. 18 *de civitate Dei* et Prosper in *libro de praedictionibus,* quod nomen graecum ἰχθύς, piscis, habet literas, quae significant: Iesus Christus, Dei filius, Salvator; ut intelligamus, nos esse pisciculos et filios illius magni

100–102 Optat., *De Schism. Dom.* III 2: *ML* 11, 991; Aug., *De Civ. Dei* 18, 23: *ML* 41, 579; Prosp. Aquit., *De prom. et praed.* II 39, 90: *ML* 51, 816.

piscis, qui est natus ab aeterno ex fonte aquae vivae, ex intellectu divino: et nos debemus perpetuo nutriri aqua sapientiae, etc. Unde Tertullianus in libro *de baptismo* vocat Christianos pisciculos, et sanctus Hieronymus in *epist.* 43: *Bonosus,* inquit, *tamquam ichtyos filius aquas petit.* (f. 467*v*)

* * *

Alterum dubium est, cum tam multi audiant verbum Dei, unde fit, ut tam pauci sint ex Deo. Nam experientia docet, plurimos esse peccatores et non converti, etiamsi quotidie audiant verbum Dei. Respondeo: audire verbum non est audire solis auribus. Sic enim et Iudaei audiebant; qui tamen arguuntur, quod non audiant. Audire ergo hoc loco est cognoscere vocem Dei, apprehendere Deum esse qui loquitur, et quod tibi loquitur. Hoc est: eum tibi loqui, qui non potest mentiri nec fallere, et qui potest adimplere quae promittit, et inferre quae comminatur. Haec autem non apprehendit, nisi qui habet Spiritum Dei, et proinde est filius. Nam verbum Spiritus a Spiritu cognoscitur, *1 *Cor.* 2, 14: *Animalis homo non perci-*(f.468*r*)*pit ea, quae sunt Spiritus Dei.* Ideo dicebat Dominus **Ioan.* 3, 7:*Oportet vos nasci denuo, quia quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Et Apostolus **Rom.* 8, 9: *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et Spiritus est, qui in corde clamat: *Abba pater,* **Rom.* 8, 15, **Gal.* 4, 6.

Quid est habere spiritum Christi? Idem sentire, idem sa-

117-120 Hoc est... Nam verbum *cB*: Nemo enim ita audit, quin credat et oboediat. Sicut qui cognoscit principem loqui et sibi loqui, semper oboedit. Ideo dicebat Dominus: Si Deus Pater vester est, quare loquelam meam non cognoscitis? Ego enim ex Patre processi et venio. Et ideo dedit exemplum. Nam omnes quidem audiunt sibilum pastoris, sed solae cognoscunt et sequuntur, quae sunt oves propriae. Quando mater vocat filios, etiam non filii audiunt, sed soli filii cognoscunt matris vocem et accurrunt. Illi ergo sibi audiunt, id est cognoscunt vocem Dei, qui sunt filii Dei. *la.*

---

107 Teätull., *De bapt.* I 1: *ML* 1, 1305 (1198).
108 Hieron., *Epist.* 7, 3: *ML* 22, 339.

pere, idem cupere, idem magnifacere, idem contemnere, etc. *Hoc,* inquit **Philipp.* 2, 5, *sentite in vobis, quod et in Christo.* Quid magnifaciebat, et quid parvifaciebat Christus? Erat *Pontifex futurorum bonorum,* ut dicitur in epistola hodierna, **Hebr.* 9, 11. Aaron erat pontifex bonorum praesentium, *Is.* 1, 19: *Bona terrae comedetis,* etc.: at Christus futurorum. Ideo non promittit bona huius mundi, nisi per modum additamenti. **Matth.* 6, 33: *Haec omnia adiicientur vobis;* sed promittit regnum aeternum. Temporalia omnia parvi faciebat, et ideo ex eis vix necessaria capiebat. Spiritualia maximi faciebat, et ideo voluit impleri thesauris scientiae et gratiae, imo et visionis beatificae; nec voluit differre usque ad mortem, sicut distulit gloriam corporis, sed in primo instanti conceptionis haec omnia voluit. Hic est spiritus Christi. Praeterea amavit humilitatem extreme et charitatem ardentissime, peccata ita fugit, ut noluerit vel umbram in se residere, et ideo libere dicebat **Ioan.* 8, 46: *Quis ex vobis arguet me de peccato*? Hic est igitur spiritus Christi, ponere terminum desideriis rerum temporalium; necessariis contentum esse; erigere oculos ad spem altissimam, ad quam vocati sumus, ut fruamur bono quo Deus beatus est; pluris facere (f. 468*v*) minimam Dei offensam, quam amissionem totius mundi. Qui hunc spiritum non habet, non potest intelligere verba Dei. *Audiebant,* inquit *Lucas* 16, 14, *haec omnia Pharisaei, qui erant avari, et deridebant eum.* Et ipse Dominus **Ioan.* 5, 44: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis.* Et alibi **Ioan.* 8, 37: *Quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis,* id est: non solum non recipitis me ut Messiam, sed vultis occidere ut blasphemum, quia non estis capaces verborum meorum, quia toti estis carnales et temporales, et non habetis Spiritum, qui solus intelligit verba spiritualia.

Ac ne forte queramur, quod Deus nobis non loquatur: Deus loquitur nobis omnibus modis, quibus potest aliquis loqui: per linguam propriam, per literas, per nuncium et per nutus, quomodo loquimur surdis vel brutis. Nam equo lo-

quimur per frenum et calcaria. His quatuor modis loquitur Deus, quia tot sunt hominum genera. Nam alii sunt spirituales, alii animales; et spirituales sunt vel incipientes vel proficientes vel perfecti. Os ad os loquitur per internas inspirationes, *Psalm.* 84, 9: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Sic loquitur Deus perfectis contemplativis, qui in terra vivunt vitam angelorum. Sic loquebatur Deus sancto Francisco, et ideo in singulis orationibus totus mutabatur. Modus audiendi hanc vocem est ire in solitudinem **Ose* 2, 14: *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius.* Haec solitudo etiam in cubiculo haberi potest. Per literas loquitur proficientibus, qui non sciunt contemplari, nec ascendere usque ad praesentiam Dei, (f. 469*r*) sed sciunt legere literas Dei, et cognoscunt suum exilium. Et haec via est minus alta, sed est magis tuta, modo legant attente, et intelligant vere esse verba Dei. Hoc enim sufficit, ut ex eis mire proficiant. Exemplum Davidis, qui semper meditabatur in lege Dei, media nocte, mane, meridie et vespere, et dicebat sibi esse dulciorem melle, chariorem auro. *Abscondi,* inquit, **Psalm.* 118, 11, *in corde meo eloquia tua.* Per nuncium loquitur Deus incipientibus, qui nec ascendere possunt ad Deum, nec intelligere literas eius, et dicunt cum Iudaeis Mosi **Exod.* 20, 19: *Loquere tu nobis et audiemus.* Unde praedicatores proprie dati sunt pro populo, ut ei declarent verba Dei, **Luc.* 10, 16: *Qui vos audit, me audit.* Unde quando praedicatores non incumbunt in hoc, ut populus intelligat, quid velit ab eis Deus, tempus perdunt, etiamsi eloquentissime et altissime praedicent, et Deo rationem reddent. Per nutus loquitur Deus iis, qui sunt infra gradum incipientium, et sunt animales, Spiritum non habentes, veluti pueri vel aegroti et phrenetici. Hos Deus allicit nucibus et castaneis, id est bonis huius mundi; ut si non cognoscunt loquelam Dei, saltem cognoscant manum Dei, et cogitent, quod si ipsis tam malis et ingratis Deus tanta bona dat, quid daret, si boni es-

---

170 Bonav., *Vita S. Franc.* cap. 10.

180 Cf. *Psalm.* 1, 2; 54, 18; 87, 14; 118, 62; 118, 148; 118, 164.

sent. Aliquando flagellis eos in viam reducit. Nam mala, quae nos premunt, ad Deum ire compellunt. Tollit enim bona temporalia, ut tollat occasiones peccandi. Deus est veluti magnus medicus, omnium venas (f. 469*v*) explorat, et omnes curat, sicut expedit illis: unum cauterio, inedia, minutione sanguinis; alium cibo, pullis, saccaro, etc. Itaque nemo queri debet de sua sorte, sed agnoscere manum Dei, ut paulatim ascendat ad cognitionem vocis in nunciis, deinde in literis, deinde in ipsa Dei loquutione in corde, ut aliquando perveniamus ad ipsam visionem Dei, ubi cessantibus nutibus et nunciis et literis fruamur Verbo in saecula saeculorum.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS

Super Epistolam: **Hora est iam nos de somno surgere.*

*APUG 384 f. 15*r* *2 dec. 1601

Lectio ex *epistola ad Romanos* est magnifacienda, praecipue Romanis, quia scripta est ipsis immediate, et ab Apostolo, a quo maxime diligebantur. Si nunc de caelo angelus deferret epistolam B. Pauli ad Romanos, quanta aviditate audiretur! At nihil minus habet haec, quia licet sit scripta in terris, tamen scripta est Deo dictante, et tam certa est veritas harum epistolarum, ut si angelus contrarium doceret, non esset audiendus, ut idem ait *ad Gal.* 1, 8.

Lectio hodierna sumpta est ex cap. 13 epistolae, ubi posteaquam Apostolus hortatus fuerat ad bene vivendum, ad obedientiam praecipue erga superiores et ad charitatem erga proximos: addit, nunc esse tempus, si unquam fuit, ista observandi, quia vicina est dies iudicii, in qua sumus coronandi vel damnandi in aeternum. Utitur autem pulcherrima metaphora desumpta ex nocte et somno. *Hora,* inquit 13, 11, *est iam nos de somno surgere.* Somnum vocat vitam eorum, qui solum

[1] Sermo inde a linea 72 a Bellarmino adhibitus est Capuae ad novam faciendam contionem. Hac de causa tota introductio (1-72: Lectio... appropinquavit) ab auctore expuncta est. Cf. vol. IV.

[12] ex *add.*

temporalia curant, et de rebus aeternis solliciti non sunt. Nam qui dormit, non vivit vitam rationalem, sed vegetalem et animalem tantum. Reficit corpus, quiescit corpore; ratio sopita iacet, sola imaginatio ludit. Et videtur quidem somnians adipisci divitias vel honores, et inde gaudet, ac si vera essent; et contra videtur sibi aliquando incidere in inopiam, ignominiam, etc., et inde dolet, ac si vera essent; sed postea evigilans cognoscit, illusionem meram fuisse. Res omnes (f. 15*v*) temporales etiamsi verae sint absolute, tamen comparatae ad aeternas, nihil sunt nisi vana somnia. Numquid non sunt somnia divitiae huius mundi, quae hodie habentur, cras amittuntur? Idem de honoribus et aliis bonis huius vitae. Et tamen plurimi ita gaudent vel tristantur propter ista, ac si vera et stabilia essent.

Igitur de somno surgere est aperire oculos mentis, et serio ac prudenter inspicere, quae sint vera bona, quae vera mala, et quaerere media ad illa acquirenda, ad ista fugienda. Et dicit Apostolus: *Hora est*, quia hoc tempus nobis datum ad surgendum non est longum, non est dies vel mensis vel annus, sed brevissima hora, ut si hoc amittamus, sine remedio simus. Hoc significabat Angelus *Apocal.* 10, 2-6 qui habens pedem unum in terra et alterum in mari, ut omnes eum audirent, *iuravit per viventem in saecula saeculorum, quia tempus non erit amplius*. Et ideo Apostolus paulo ante dixerat 13, 11: *Et hoc scientes tempus, quia hora est* **iam nos de somno surgere*, quasi diceret: cognoscite bene hoc tempus, quia preciosum et brevissimum est.

Reddit rationem, cur dixerit esse horam surgendi. *Nunc enim*, inquit v. 11, *propior est nostra salus, quam cum credidimus*. Non transierunt ab initio fidei usque ad tempus huius epistolae nisi 20 vel 30 anni; et tamen quasi multum hoc esset, Paulus dicit: *propior est nostra* (f. 16*r*) *salus, quam cum credidimus*. Paulus vult hoc dicere: totum tempus ab initio fidei usque ad iudicium brevissimum est, licet videatur nobis longum dum transit. Unde Ioannes dicit *1 *Ep.* 2, 18: *Novissima hora est*. Et ipse Paulus *1 *Cor.* 10, 11: *Nos sumus, in*

quos fines saeculorum devenerunt. Non potest autem a brevissimo aliquid tolli, quin redigatur quasi ad nihilum. Sic igitur Paulus ratiocinatur: Cum coepimus credere in Christum, novissima hora erat; huius hora iam pars aliqua effluxit; ergo sumus vicinissimi iudicio ultimo et nostrae aeternae saluti. Proinde celeriter surgendum est a somno, ne incauti opprimamur. Quia vero nobis videtur longum tempus non solum usque ad iudicium, sed etiam usque ad mortem nostram, hoc ipsum est signum magnum, quod dormimus et somniamus. Qui enim vere vigilant, et cogitant aeternitatem, illi intelligunt hanc brevitatem, et dicunt cum Ioanne: *Novissima hora est;* et cum Iacobo 4, 15: *Quid est vita vestra? Vapor ad modicum parens*; et cum Iob 7, 6: *Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur.*

Pergit Apostolus et probat, iudicium esse vicinum, et proinde horam esse surgendi. *Nox,* inquit 13, 12, *praecessit, dies autem appropinquavit.* (f. 16*v*) Chrysostomus et alii graeci legunt *nox processit;* latini *praecessit.* Vox graeca προέκοψεν utrumque sensum recipit. Si legamus *praecessit,* tunc oportet distinguere tria tempora, noctem, auroram et diem; et sensus est: nunc est aurora, quia nox finita est et dies brevi aderit. Si legamus *processit,* non oportet distinguere nisi duo tempora, noctem et diem; et auroram intelligere cum nocte, ut ultimam eius partem. Utroque modo hic significatur aurora, quae est hora solita surgendi a somno.

Significat autem Apostolus per noctem tempus infidelitatis; per auroram tempus fidei; per diem tempus visionis, quod erit quo ad animam mox a morte, si nihil purgandum supersit; quo ad corpus, in die resurrectionis. Nox est infidelitas, quia sicut noctu non cognoscuntur res, nisi propinquae et imperfecte; unde multa iudicantur aliter quam sint; in aurora cognoscuntur res distantes et perfectius; at orto sole cognoscuntur

74 recipit: *sBe* Si legamus « processit » sensus est: nox longe progressa est, et ad finem properat, dies autem consequenter prope est.

72 Chrysost., *In ep. ad Rom.* 13, 11, Rom. 24, 1: *MG* 60, 622-623.

distantissimae et perfectissime, ut nullus subesse possit error: ita tempore infidelitatis non cognoscebantur res distantes, quales sunt invisibiles et aeternae; et ipsae tem-(f. 17*r*)porales videbantur meliores quam essent, et ideo illae solae magnifiebant. At veniente fide coeperunt videri res distantissimae non solum quo ad locum, id est supra coelum et infra terram, sed etiam quo ad tempus. Nam cognitae sunt res praeteritae ab initio mundi, et res futurae post mundi consummationem. Et res temporales coeperunt cognosci magis distincte, et sic contemni et relinqui, ut patet in martyribus et aliis sanctis. At veniente visione Dei, quem Iacobus 1, 17 vocat *Patrem luminum,* ita clare perspicientur omnia, et intelligetur magnitudo creatoris et parvitas creaturae, ut nullus sit futurus particeps illius visionis, qui possit adduci ad unum verbum ociosum dicendum pro lucro totius mundi.

At si nunc est aurora, unde fit, ut plurimi decipiantur in aestimandis et amandis rebus temporalibus, ut olim gentiles, imo magis quam aliqui gentiles? Quia claudunt oculos ad lumen fidei, non considerant doctrinam fidei. Habent lucernam fidei, sed ea non utuntur, cum operantur; et sicut qui discedunt a lumine minus vident, quam qui sunt assueti vivere in tenebris, ita etc. Deberent proficere in lumine, et retrocedunt more cancrorum ab aurora versus mediam noctem. *Iustorum semita,* inquit Salomon **Prov.* 4, 18, *tamquam lux splendens procedit usque ad perfectum diem; via impiorum tenebrosa*: *nesciunt ubi corruant.* Et si Paulus dicit *1 *Tim.* 5, 8, esse *infideli deteriorem, qui suorum curam non habet,* quid diceret de illo, qui animae suae curam non habet? (f. 17*v*)

Declarat Apostolus, quid sit surgere a somno dicens 13, 12: *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Vocat opera tenebrarum peccata, ut paulo post ipse declarat dicens: *non in comessationibus et ebrietatibus,* **non in cubilibus et impudicitiis.* Dicuntur autem peccata opera tenebrarum, tum quia sunt opera tenebrosa et turpia, tum quia fiunt auctore principe tenebrarum, tum quia in tenebris fieri solent — nam **Ioan.* 3, 20, *qui male agit odit lucem,* et ideo

quaerit excusationes —; tum denique, quia similia sunt actionibus nocturnis. Sicut enim noctu ordinarie iacemus, nudi sumus, ociamur, dormimus, vitam animalium vivimus, non hominum, quia ratio sopita est: ita etiam qui peccant, dum peccant, ociosi sunt, quia frustra laborant, non progrediuntur in via Domini, nudi sunt et inermes, non vident pericula in quibus versantur; vivunt ut animalia, solis praesentibus gaudentes vel dolentes.

Haec igitur opera mala non solum nunc deponenda sunt, sed abiicienda, id est magno impetu et celeritate excutienda. Quomodo qui dormit, et admonetur ut surgat et fugiat, quia domus comburitur vel hostes imminent, non surgit pedetentim, sed magno impetu proiicit linteamina et stragula, etc. (f. 18*r*) Valde utilis est conversio fervens et actus intensus, magis quam multi actus remissi.

Et induamur arma lucis. Non videtur recta antithesis. Debuisset enim operibus opera opponere. Sed rectissima est. Nam voluit continuare metaphoram noctis et somni. Qui enim surgit, primum opus quod facit, est induere se, et si miles est vel inimicos habet, armare se. Quia igitur Christiani perpetuum habent bellum cum daemone, Paulus hortatur, ut abiiciant opera nocturna et induant se armis, quod est primum ex operibus diurnis. Vocat arma lucis iustitiam seu charitatem, ut ipse declarat ad *Ephes.* 6, 14: *Induti loricam iustitiae.* Iustitia autem est charitas, ut sanctus Augustinus docet in libro *de natura et gratia,* in fine. Et quia charitas opponitur directe peccato, sicut iustitia iniquitati, ideo Pauli antithesis est optima in sensu, licet verba videantur aliud sonare.

Vocatur charitas arma lucis, quia est lucidissima et pulcherrima, quia descendit a patre luminum, quia non erubescit lucem et publicum, et quia similis est operi diurno. Dicitur autem charitas non solum vestis, sed etiam arma, quia defendit ab omni malo. Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur*

130–131 vivunt... dolentes *cB*: inaniter gaudent, vel laetantur more somniantium. *la.*

148 Aug., *De nat. et grat.* 70, 84: *ML* 44, 290.

in bonum, *Rom.* 8, 28. Defendit a malo prosperitatis, quia *benigna est,* et distribuit aliis id quod habet; *non inflatur, non est ambitiosa,* *non *quaerit quae sua sunt,* *1 *Cor.* 13, 5. Defendit a malo adversitatis, quia *patiens est, omnia suffert, omnia sustinet,* *1 *Cor.* 13, 7. Ita videmus, quod omnes martyres et ceteri sancti per hanc vicerunt et triumpharunt de omnibus hostibus. (f. 18*v*).

Sicut in die honeste ambulemus; hoc est: non solum induamur et armemur, sed etiam ambulemus, id est operemur bona opera. Hoc enim est ambulare ad patriam, progredi in meritis cumulandis. *Non in comessationibus *et ebrietatibus; non in cubilibus et impudicitiis; non in contentione et aemulatione.* Explicat metaphoram. Quod dixerat: *Abiiciamus opera tenebrarum* explicat dicens: Non ambulemus in peccatis gulae, luxuriae, irae et invidiae. Ponit haec tantum loco exempli, et nominat quatuor, quorum unum ex altero nascitur. Prima est gula. Inde oritur luxuria; nam *in vino est luxuria,* *Eph.* 5, 18. Inde oritur invidia rivalium. Inde ira et contentio, unde homicidia et innumera mala.

Sed induimini Dominum Iesum Christum. Explicat illud: *Induamur arma lucis.* Nam induere Christum est induere novum hominem, id est novam vitam instituere secundum charitatem Dei et proximi, cuius exemplar fuit Christus, ita ut efficiamur verae imagines Christi. *Et carnis curam ne feceritis in desideriis.* Hoc respondet illis verbis: *Sicut in die honeste ambulemus,* et est documentum utilissimum ad peccata vitanda et bona opera facienda. Omnium enim malorum radix est amor proprius sive concupiscentia. Iubet igitur Paulus, ut carnis cura non fiat in desideriis, id est: curetur caro ut satisfiat necessitati, non desideriis eius. Nutriatur caro non sicut ipsa desiderat, sed sicut ratio dictat. Discurre de cibo, potu, somno, divitiis, honoribus etc. Exemplum de iumentis, quae bene tractantur, ut opus est ad laborem, non ut ipsa vellent.

CONSPECTUS GENERALIS VOLUMINIS I.

PRAEVIA

PAG.

Editor Lectoribus v
Synopsis totius operis, per 9 volumina divisi ix

INTRODUCTIO GENERALIS AD BELLARMINI OPERA ORATORIA POSTUMA

Praevia

I: De documentis et subsidiis in introductionibus adhibitis 1
II: Elenchus documentorum et subsidiorum adhibitorum in introductionibus 3

Pars Prima: De Bellarmino oratore 15

Secto I: De Bellarmino praedicatore 15

Caput I: Periodus prae-Lovaniensis 16
Ante ingressum in Soc. Iesu 16
Romae et Florentiae: 1560-1564 . . . 17
Montis Vicii et Patavii: 1564-1569 . . 20
Caput II: Periodus Lovaniensis: 1569-1576 . . . 23
Contiones, fructus, fama 23
Longitudo sermonum 26
Editio sermonum Lovaniensium . . . 28
Conspectus Chronologicus 29
Caput III: Extra Lovanium? 30
Caput IV: Transitus ad Cardinalatum 31
Caput V: Cardinalatus initium: serm. in S. Mariae in Via: 1599-1602 32
Caput VI: Periodus Capuana: 1602-1605 34
Praedicationis continuitas 34
Fructus et concursus 38
Modus praedicandi 39
Caput VII: Periodus ultima 1605-1613 41

PAG.

SECTIO II: De Bellarmino Catecheta 43

Caput I: Instructiones orales catecheticae . . . 43
Caput II: Opuscula Catechetica 47

SECTIO III: De Bellarmino instructore et exhortatore domestico 51
Caput I: Bellarminus Scholasticus et Sacerdos. . 52
Caput II: Bellarminus Rector et Provincialis . . 54
Caput III: Bellarminus Cardinalis 58
a) De familia cardinalitia 59
b) De institutis religiosis Bellarmino commissis 60
c) De exhortationibus ad Patres S. I. . 61
d) De exhortationibus in Novitiatu Sti Andreae 62
Caput IV: Exhortationes moribundi 64

SECTIO IV: De imagine perfecti oratoris sacri ad mentem Bellarmini 67
Caput I: De fervore caritatis 68
Caput II: De sapientia 70
Caput III: De eloquentia 73

PARS ALTERA: De fontibus sermonum, instructionum, exhortationum 76

SECTIO I: De contionibus Lovaniensibus 76

Caput I: De 15 sermonibus autographis . . . 77
Caput II: De correctionibus autographis marginalibus et correctorio autographo . . 79
Caput III: De apographis et exceptis 81
Caput IV: De summa expositionis in Psalm. 90: Qui habitat 83

SECTIO II: De contionibus post-Lovaniensibus . . . 83

Caput I: De iam editis 86
Caput II: De fonte primario autogr. APUG 384 et 385*a* 87
Caput III: De fonte secundario apogr. Opp. NN. 231 . 92
Caput IV: De fontibus accessoriis 98

SECTIO III: De instructionibus et exhortationibus . . 99

Caput I: De fontibus autogr. instructionum . . 99
Caput II: De fontibus exhortat. domest. non editis . 102

PAG.

Caput III: De Exhortat. domest. iam editis et eorum fontibus 104
a) De editis 104
b) De cod. Vat. Lat. Ross. 735 . . . 105
c) De supplementis ad Cod. Ross. . . 107

PARS TERTIA: De ratione editionis conficiendae 110

Caput I: De materia editionis 110
Caput II: De materiae distributione 111
Caput III: De chronologia orationum stabilienda . 113
Caput IV: De introductionibus specialibus . . . 114
Caput V: De recensione textus 115
Caput VI: *a*) De transpositionibus, additionibus, mutationibus . . . . . .
b) Compendia et signa critica . . . 120
Caput VII: De fontibus ab ipso Bellarmino adhibitis . 121

APPENDIX: Libri et scripta citata in sermonibus S. Roberti Bellarmini 122
I: Auctores 122
II: Vitae Sanctorum 136

EPILOGUS 140

DE RATIONE FORMANDAE CONTIONIS

TEXTUS DOCUMENTI 143

SERMONES DOMINICALES ROMANI
1599-1600-1601-1606

INTRODUCTIO ad Sermones Dominc. 1500-1600-1601-1606 . . 153
Caput I: Adventus anni 1599 153
Caput II: Quadragesima anni 1600 154
Caput III: Adventus 1600 156
Caput IV: Adventus anni 1606 158
Caput V: Contiones sparsae anni 1601 160

APPENDIX: An Cardinalis S. Mariae in Via teneatur ad curam animarum et ad quid teneatur . 161

SECTIO I: Sermones Adventus anni 1599 163
Dominica prima Adventus 163
Dominica secunda Adventus 171
Dominica tertia Adventus 180
Dominica quarta Adventus 188

PAG.

SECTIO II: Sermones Quadragesimae anni 1600 . . . 197

Dominica prima Quadrag.: de tentatione et ieiunio . 197
Dominica secunda Quadrag.: de transfiguratione et oratione 205
Dominica tertia Quadrag.: de verbo Dei 211
Idem sermo in redactione primigena 217
Dominica quarta Quadr.: de multiplicatione panum et mendicitate 222
Dominica Passionis: de passione Domini 229
Dominica Palmarum: de laude Dei et Regno Chr. . 237
Dominica Resurrectionis 245

SECTIO III: Sermones habiti tempore Adventus et Nativitatis anni 1600: super « Missus est Angelus » ser. I 253
Dominica prima Adventus 253
Dominica secunda Adventus 259
Dominica tertia Adventus 264
In Natali Domini: super epist. « Apparuit » I . . 270
In die Circumcisionis: super epist. « Apparuit » II . 277

SECTIO IV: Sermones habiti tempore Adventus et Nativitatis anni 1606: super « Missus est Angelus » ser. II 283
Dominica prima Adventus 283
Dominica secunda Adventus 290
Dominica tertia Adventus 298
In die Natali 306
In die Circumcisionis: deest 312
In die Epiphaniae 313

SECTIO V: Sermones Dominicales sparsi anni 1601 . . 319

Dominica sexta post Epiphaniam: de grano sinapis . 319
Dominica Septuagesimae: de praelatis et subditis. . 324
Dominica Quinquagesimae: de margarita pretiosa seu charitate 330
Dominica Passionis 336
Dominica prima Adventus 343

CONSPECTUS GENERALIS VOLUMINIS PRIMI 349

GTU LIBRARY
3 2400 00562 4543

26099